

MARTYROLOGIUM ROMANUM


MARTYROLOGIUM ROMANUM



MARTYROLOGIUM ROMANUM

EX DECRETO SACROSANCTI ŒCUMENICI
CONCILII VATICANI II INSTAURATUM
AUCTORITATE IOANNIS PAULI PP. II
PROMULGATUM

EDITIO ALTERA



TYPIS VATICANIS
A.D. MMIV

Editio typica 2001
Editio altera 2004

Venditio operis fit cura Librariæ Editricis Vaticanæ
(Libreria Editrice Vaticana, Città del Vaticano)

CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Prot. N. 551/00/L

DECRETUM

Victoriam paschalem Christi in Sanctis suis utriusque Testamenti inde a priscis temporibus celebravit Ecclesia, fidelium consortium in communione mystici corporis eiusdem Domini Iesu Christi Salvatoris nostri læte confitens.

Sæculorum decursu multimode memoriam nominum et rerum gestarum Sanctorum ipsa servare curavit. Unde etiam Martyrologium Romanum, cuius editio princeps Gregorii papæ XIII iussu prodiit anno 1584, ad novam Calendarii rationem et ecclesiasticæ historiæ veritatem restitutum, aliorum Romanorum Pontificum mandato pluries recognitum est, emendatum et auctum usque ad annum 1960. Verumtamen profluebat ex antiquissimo Martyrologio Latino, Hieronymiano nuncupato, quod redactum est ex confluentibus variis Calendariis, scilicet Romano, Africano et Syriaco, posteaque gradatim nominibus multorum Sanctorum ex aliis regionibus ampliatum, passim tamen geminationibus, confusionibus aliisque erroribus obscuratum.

Ad normam vero Constitutionis « Sacrosanctum Concilium » Concilii Œcumenici Vaticani II de Sacra Liturgia, ut « passiones seu vitæ Sanctorum fidei historicæ reddantur » (art. 92 c), necesse est nomina Sanctorum in Martyrologio adscripta eorumque elogia iudicio historicæ disciplinæ subicere et diligentius tractare quam antea. Præterea Sanctos et Beatos inscribere oportuit, qui publica veneratione ab Ecclesia comprobata gaudent, sive cultu immemorabili, etiam locali, sive declaratione sollemni inde ab anno 1960 facta.

Quod opus ingens et laboriosum longo temporis spatio ductum nunc ita peractum est, ut, tertio millennio ineunte, in lucem possit prodire et fidelibus cotidie nomina exemplaque Sanctorum proponere.

Proinde hanc editionem Martyrologii Romani Summus Pontifex IOANNES PAULUS Pp. II auctoritate sua apostolica approbavit et Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum nunc promulgat atque typicam esse declarat. Ipsa editio, lingua latina exarata, statim ac prodierit vigere incipiet.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex ædibus Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, die 29 mensis iunii anni 2001, in sollemnitate Ss. Petri et Pauli, Apostolorum.

GEORGIUS A. Card. MEDINA ESTÉVEZ
Præfectus

✠ FRANCISCUS PIUS TAMBURRINO
Archiepiscopus a Secretis

CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Prot. N. 1140/04/L

DECRETUM

A progenie in progenies misericordia Dei Patris omnipotentis, qui verbum veritatis Evangelii in universo mundo uberat, ut magnum consilium salutis ad omnem plenitudinem in Christo perveniat, christifidelibus omnium Sanctorum merita tribuit venerari, ut desideratam hominibus Domini propitiationis abundantiam, multiplicatis intercessoribus, largiretur. Quæ mirabilia Sanctissimæ Trinitatis dilectionis, Deum ipsum mirabilem et unum Sanctum in omnibus sanctis adorans, indefesse colit et proclamat Ecclesia in cultu Sanctorum, quibus Dominus divisiones gratiarum in terra et unam in cælo mercedem gloriosam contulit.

Signum præstans huius populi Dei erga Sanctos devotionis exstat Martyrologium Romanum nuperrime ex decreto Sacrosancti Œcumenici Concilii Vaticani II recognitum, cuius editio typica 29 iunii anni 2001 promulgata est. Parva ergo interposita mora, attento nunc usu, qui e liturgica oritur instauratione, acceptisque peculiaribus consiliis eorum, qui ad studium tanti ac laboriosi operis se contulerunt, visum est emendationes quasdam inducere, quo ditior ac clarior textus fieret.

Haud pauci, igitur, servi Dei a Summo Pontifice IOANNE PAULO Pp. II ad dignitatem Beatorum vel Sanctorum evecti hanc in editionem inserti sunt, ut protinus opportunis elogiis die suo natali colerentur. Aliquæ variationes inductæ sunt, quæ plerumque ad Sanctos pertinent, cuius mentio in præcedenti editione defuerat vel dubia quædam historiæ ratione panderat; immutationes insuper minores linguam latinam et orthographiam expoliunt.

Proinde Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum editionem hanc alteram Martyrologii Romani vigore facultatum

specialium a Summo Pontifice IOANNE PAULO Pp. II ipsi tributarum nunc promulgat et «typicam» esse declarat. Conferentiis Episcoporum curæ erit textum, qui in hac editione invenitur, in linguas vernaculas vertere et ad hoc Dicasterium mittere recognoscendum.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex ædibus Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, die 29 mensis iunii anni 2004, in sollemnitate Ss. Petri et Pauli, Apostolorum.

FRANCISCUS Card. ARINZE
Præfectus

✠ DOMINICUS SORRENTINO
Archiepiscopus a Secretis

PRÆNOTANDA

PRÆNOTANDA

I

De sanctitate in œconomia salutis

De universali vocatione hominum ad sanctitatem

1. Deus Pater universos homines ad divinam imaginem conditos (cf. *Gn* 1, 26-27) salvos fieri vult et ad agnitionem veritatis venire (cf. *1 Tim* 2, 4), quæ Dominus Iesus Christus est, via hominum ad Patrem (cf. *Io* 14, 6). Omnes, proinde, in primis christifideles cuiuscumque status vel ordinis, ad vitæ christianæ plenitudinem et caritatis perfectionem vocati sunt, qua sanctitate in societate quoque terrena humanior vivendi modus promovetur.[1]

2. Quinimmo Deus Pater, omnia in Christo instaurans (cf. *Eph* 1, 10), voluntatem suam manifestavit, hominum scilicet sanctificationem (cf. *1 Thess* 4, 3), quæ per Christum, cum Christo et in Christo,[2] magis magisque in dies, ad maiorem gloriam unius et indivisæ Trinitatis atque ad uberiorem Ecclesiæ sanctitatem in vita christifidelium augescit.[3]

3. Ipse vero, cum sit Sanctus (cf. *1 Pt* 1, 16), ut omnes unum in Christo Iesu fiant, eos eripuit de potestate tenebrarum et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ (cf. *Io* 11, 51-52) ac sociat in sanctitate sua et virtute Sancti Spiritus, in laudem gloriæ gratiæ suæ (cf. *Eph* 1, 6.12).

De sanctitate in Christi mysterio

4. Magister et exemplar Dominus Iesus Christus, Dei Filius, qui cum Patre et Spiritu «solus sanctus» celebratur,[4] et omnis sanctitatis

[1] Cf. Concilium Œcumenicum Vaticanum II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 40.

[2] Cf. Missale Romanum, doxologia Precum eucharisticarum.

[3] Cf. Conc. Œc. Vatic. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 47.

[4] Cf. Missale Romanum, hymnus *Gloria in excelsis*.

fons est et virtutum origo, sanctitatem vitæ, cum ipse auctor et consummator eius exstet, omnibus et singulis discipulis prædicavit: «Estote ergo vos perfecti sicut et Pater vester cælestis perfectus est» (*Mt* 5, 48).[5] In ipso Patris mysterio, quod Christus est, christifideles Spiritus Sanctus in baptismate confirmat et eos ad propositum certamen impellit, ut immarcescibilem coronam gloriæ (cf. *2 Tim* 4, 7-8; *1 Cor* 9, 25; *Apoc* 2, 10) in communione omnium Sanctorum consequantur.[6] Christifideles ipsi in Christo Iesu, iuxta eiusdem monitum: «Si quis vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me» (*Mt* 16, 24; cf. *Mc* 8, 34; *Io* 12, 26), imitatores eiusdem Salvatoris esse nituntur, ita ut, fide, spe, caritate suffulti, per fratres iam in Christo viventes ad mysteria salutis implenda conversationes inveniant, ipsorum insigni incitentur exemplo et pia intercessione perpetuo commendentur.[7]

De sanctitate in Ecclesiæ vita

5. Deus Pater autem Sanctorum confessione mirabili Ecclesiam suam nova semper virtute fecundat et fidelibus certissima præbet suæ dilectionis indicia.[8]

Christus Dominus quoque Ecclesiam tamquam sponsam suam diligit, pro qua seipsum tradidit, ut illam sanctificaret (cf. *Eph* 5, 25-26), eamque sibi utpote Corpus suum coniunxit atque sanctitatis dono cumulavit ad gloriam Dei.[9]

Spiritus Sanctus idem Christi corpus animat, ut ab ipso accipiat sanctitatem, cum ipso regnum veritatis et vitæ, regnum scilicet sanctitatis et gratiæ, regnum iustitiæ, amoris et pacis[10] clarificet; in ipso omnes fideles a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei (cf. *Rom* 8, 21) constituuntur.

[5] Cf. Conc. Œc. Vatic. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 40; Origenes, *Commentarium in Romanos* 7, 7 (PG 14, 1122B); Ps.-Macarius, *De Oratione*, 11 (PG 34, 861AB); S. Thomas Aquinas, *Summa Theol.* II-II, 9, 184, a. 3.

[6] Cf. Missale Romanum, *Praefatio I de Sanctis.*

[7] Cf. Missale Romanum, *Praefatio II de Sanctis.*

[8] *Ibidem.*

[9] Cf. Conc. Œc. Vatic. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 39.

[10] Cf. Missale Romanum, *Praefatio de Christo universorum Rege.*

6. Proinde Ecclesia sancta simul et semper purificanda est,[11] ad quam tamen in Christo vocati sunt omnes et in qua, per gratiam Dei omnipotentis, Sanctorum consortio gaudeant, donec eorundem gloriosa in Christo communio in fine temporum consummetur. Ipsa Ecclesia, Sanctorum Mater, sedulo semper curat, ut christifideles vocationem ad sanctitatem foveant et ad ipsam perveniant. Præsertim in adiunctis huius temporis novæ evangelizationis, maximi momenti est ut totum pastorale iter in ipsa sanctitate collocetur, quæ intellegi oportet non quidem uti via extraordinaria aliquorum tantum, sed ut intentio omnium christifidelium ad vitæ christianæ plenitudinem et caritatis perfectionem.[12]

II

De Sanctorum memoria seu veneratione

De Christi vitæ memoria in Sanctorum vita

7. Clementissimus Pater, qui per Filium dilectionis suæ, sicut conditor generis est humani, ita benignissimus reformator,[13] Sancto Spiritu adiuvante, Sanctorum conversatione exemplum, communione consortium, intercessione subsidium unicuique christifideli largitur.[14]

8. Ecclesia autem Trinitatem confitetur mirabilem in Sanctis ipsis, qui vivam Salvatoris in mundo præsentiam atque germanam Ecclesiæ ipsius naturam omnibus hominibus patefaciunt, utpote imagines divinæ sanctitatis, ex qua illa exoriuntur Sanctorum opera, quæ simul et Christi mirabilium sunt manifestatio.[15]

9. Omnis enim Sanctorum liturgica commemoratio in Ecclesiæ vita exhibita suapte natura tendit ad Christum ac terminatur in eo, qui est «corona Sanctorum omnium»,[16] et per ipsum, Spiritu Sancto comi-

[11] Cf. Missale Romanum, *Ordo Missae: Professio fidei*; Conc. Œc. Vatic. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 8.

[12] Cf. Ioannes Paulus II, Ep. Ap., *Novo Millennio ineunte*, diei 6 ianuarii 2001, n. 30: AAS 93 (2001) p. 267.

[13] Cf. Missale Romanum, *Praefatio communis III*.

[14] Cf. Missale Romanum, *Praefatio I de Sanctis*.

[15] Cf. Conc. Œc. Vatic. II, Const. de sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, n. 111.

[16] Cf. Liturgia Horarum, *Preces* in sollemnitate Omnium Sanctorum.

tante, ad Patrem, qui est mirabilis in Sanctis suis et in ipsis magnificatur (cf. *2 Thess* 1, 10).[17]

10. Sanctorum quidem vita per temporis decursum quasi continuatio seu memoria Christi vitæ et in hoc sæculo elucet, resurrectionis ipsius gloriam demonstrans,[18] et in cælestium gloria atque veluti stella a stella differens in claritate (cf. *1 Cor* 15, 40-41) christifidelibus proponitur: « omnia prætereunt, Sanctorum gloria durat in Christo, qui cuncta novat dum permanet ipse ».[19]

11. Proinde eadem memoria liturgica Sanctorum innititur, non tantum ut exempla eorum omnibus fidelibus proponantur imitanda, sed magis adhuc ut totius Ecclesiæ unio in Spiritu roboretur (cf. *Eph* 4, 1-6). Nam sicut christiana inter viatores communio propinquius nos ad Christum adducit, ita consortium cum Sanctis nos Christo coniungit, a quo tamquam e fonte et capite omnis gratia et ipsius Populi Dei vita promanant.[20]

12. Qua de causa, dies transitus Sanctorum ex hac vita ad æternum consortium fulcitur Christi vita, videlicet eius Paschali Mysterio, et merito nominatur et « dies natalis » eorum est, de more in sacra liturgia commemoratus.

De Sanctorum cultu

13. Ecclesia viatorum inde a primævis vitæ suæ temporibus Apostolos et martyres Christi celebravit, qui sui sanguinis effusione, ad imitationem Salvatoris patientis super Crucem, in spe resurrectionis supremum fidei et caritatis testimonium dederunt (cf. *Apoc* 22, 14).[21]

14. Exinde Sancti iuxta genuinam traditionem in Ecclesia coluntur,[22] quæ peculiari et filiali christifidelium venerationi commendat Beatam Mariam semper Virginem, Dei Matrem, quam Christus ho-

[17] Cf. Conc. Œc. Vatic. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 50.

[18] Cf. Ioannes Paulus II, Ep. Ap., *Dies Domini*, diei 31 maii 1998, n. 78: AAS 90 (1998) p. 761.

[19] Cf. S. Paulinus Nolanus, *Carmina*, XIV, 3-4: CSEL 30, 67.

[20] Cf. Pius Pp. XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*: AAS 39 (1947) pp. 581-582.

[21] Cf. Conc. Œc. Vatic. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 50.

[22] Cf. Conc. Œc. Vatic. II, Const. de sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, n. 111.

minum omnium Matrem constituit, atque verum et authenticum promovet cultum aliorum Sanctorum.[23]

15. Cultu publico eos tantum Dei servos venerari licet, qui auctoritate Ecclesiæ in album Sanctorum vel Beatorum relati sint.[24] Eorum reliquiæ authenticæ necnon effigies in veneratione habentur, prout cultus Sanctorum in Ecclesia mirabilia quidem Christi in servis eius prædicat et fidelibus opportuna præbet exempla imitanda.[25]

16. Quoad sanctos Archangelos Michaelem, Gabrielem et Raphaelem, Angelos Custodes atque innumeras turbas Angelorum, qui coram Deo omnipotenti astant, ut die ac nocte serviant ei vultus Dei gloriam incessanter contemplantes,[26] quorumque nomina ab eo tantum cognoscuntur, ipsis tantummodo tribuatur cultus, qui libris liturgicis vel genuina Ecclesiæ traditione admittitur.

De Sanctorum communione in Liturgia exercita

17. In sacra Liturgia divinæ maiestatis laudem socia exsultatione Ecclesia tota concelebrat.[27] Universi enim qui Christi sunt, Spiritum eius habentes, in unam Ecclesiam coalescunt et invicem cohærent in ipso (cf. *Eph* 4, 16).

18. Ex eo deducitur quod cælites intimius cum Christo uniuntur, totam Ecclesiam in sanctitate firmius consolidant, cultum, quem ipsa hic in terris Deo exhibet, nobilitant ac multipliciter ad ampliorem eius ædificationem contribuunt.[28] Quos imitantes fideles, dum in itinere ad Patrem Christi vestigia sequuntur, semper, ut invicem adiuvent, enituntur. Eorum vitam in Christo contemplantes, lucem quærunt etiam ad mysteria Dei investiganda. Nam in vita Sanctorum, qui, humanitatis nostræ consortes, ad imaginem tamen Christi perfectius transformantur (cf. *2 Cor* 3, 18), Deus præsentiam vultumque suum hominibus vivide

[23] Cf. Codex Iuris Canonici, can. 1186.

[24] *Ibidem*, can. 1187.

[25] Cf. Conc. Œc. Vatic. II, Const. de sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, n. 111; cf. etiam Codex Iuris Canonici, cann. 1188-1190.

[26] Cf. Missale Romanum, *Prex Eucharistica IV*, Praefatio.

[27] Cf. Missale Romanum, Praefationes, *passim*.

[28] Cf. *1 Cor* 12, 12-27; Conc. Œc. Vatic. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 49.

manifestat. In eis ipse nos alloquitur signumque nobis præbet Regni sui.[29] Quod speciali modo apparet in illis sanctis, qui peculiaribus donis Spiritus Sancti præditis non tantum vitæ, sed doctrinæ quoque excellentia eluxerunt. Hoc autem non unice considerandum est de scientia theologica, sed etiam de «scientia amoris» illa, quæ ab illuminatione Spiritus Sancti derivatur per experientiam mysteriorum Dei.[30]

19. Sanctorum intercessione, in Christo æterno et summo sacerdote (cf. *Heb* 3, 1; 4, 14; 5, 10; 7, 26; 9, 11), mediatore Dei et hominum (cf. *1 Tim* 2, 5), in Ecclesia communio magis magisque in dies augescit, cum liturgica celebratio peragitur. Quod præsertim fit in Eucharistiæ celebranda, ubi præcipua ratione gratias agendo universa iungitur Ecclesia cum cælitibus communicans memoriamque venerans omnium Sanctorum,[31] et in Liturgiæ Horarum celebratione, in qua laus Sanctissimæ Trinitatis per Sanctos eius numquam cessat.

III

De Martyrologio Romano

De Martyrologii indole naturaque liturgica

20. Sæculorum decursu, inter libros pro liturgicis celebrationibus ad cultum Sanctissimæ Trinitati digne, ut decet, tribuendum computatum est Martyrologium, cuius natura liturgica gradatim in dies eluxit.

21. Relationes inter antiquissima Calendaria liturgica et Martyrologium, aptis additis indicationibus practicis mutuorum inter eadem nexuum ac divinorum mysteriorum celebrationum, sensim auxerunt usque ad hodiernam indolem, ubi finis et usus præcipue liturgici patent.

[29] Cf. Conc. Œc. Vatic. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 50.

[30] Cf. Ioannes Paulus II, Litt. Ap., *Divini amoris scientia*: Sancta Teresia a Iesu Infante et a Sacro Vultu Doctor Ecclesiæ universalis renuntiatur, n. 7: AAS 90 (1998) p. 936; et Conc. Œc. Vatic. II, Const. dogm. de divina revelatione *Dei Verbum*, n. 8.

[31] Cf. Missale Romanum, *Prex Eucharistica I seu Canon Romanus*, Communicantes.

De Martyrologii instauratione

22. Sæculis procedentibus, Martyrologium pluries renovatum est ac nuperrime eiusdem instauratio ex decreto Sacrosancti Œcumenici Concilii Vaticani II, simulque promulgatio aliorum liturgicorum librorum instauratorum, urget, ut ipsum Martyrologium, debita historica investigatione præmissa, cum aliis Ritus Romani libris denuo apte congruat.

23. Elenchus tamen Sanctorum necnon Beatorum in Martyrologio, cum eos respiciat Sanctos et Beatos, de quibus supra, n. **15**, ex inveterata et usitata traditione a mense ianuario usque ad decembrem, sicut in Calendario Romano, civilis anni cursui respondet, licet minime anni liturgici cursum parvi pendere curet.

De necessitudine Martyrologii cum aliis liturgicis libris

24. Celebratio liturgica prout manifestatio et actualizatio amoris Ecclesiæ pro Sponso Iesu Christo, cuius totum mysterium anno progrediente explicat et recolit, etiam cultum Sanctorum refert. Sancti enim, per multiformem Dei gratiam, ad perfectionem provecti atque æternam iam adepti salutem Deo in cælis laudem perfectam decantant et pro christifidelibus præsertim, verum pro omnibus quoque hominibus, intercedunt. Proinde Christi mysterium et cultus Sanctorum ita mutuo coalescunt, ut in Ecclesiæ liturgia relationes adsint inter Martyrologium et alios libros liturgicos pro Christi mysterii celebratione, in qua et Sancti inveniuntur.

25. Qua de causa, Ecclesia, ne Sanctorum festivitates celebrationibus ipsa mysteria salutis recolentibus prævaleant, cum elencho Sanctorum Beatorumque et normas liturgicas præbet, quarum virtute statutis diebus eorum memoriæ celebrari queunt.[32]

26. Compertum enim est, præter sollemnitates vel festa Sanctorum necnon memorias obligatorias, in feriis, quæ admittunt celebrationem memoriæ ad libitum, iusta de causa celebrari posse, eodem gradu,

[32] Cf. CONC. ŒC. VATIC. II, Const. de sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, n. 111.

officium et Missam alicuius Sancti inscripti eo die in hoc Martyrologio Romano aut in Proprio Martyrologii, id est in Appendice propria Martyrologii Romani rite approbata.[33]

De Sanctorum Beatorumque elencho in Martyrologio

27. Martyrologio Romano, quod liber liturgicus censendum, propositum est nec exhaustivum præbere elenchum omnium Sanctorum ac Beatorum, nec prolixa ipsorum elogia, e quibus vel tractatus asceticæ ædificationis vel historia Ecclesiæ utpote Sanctorum familiæ et gentis sanctæ ex divina acquisitione (cf. *1 Pet* 2, 9; *1 Thess* 5, 9-10; *2 Thess* 2, 13) erui deducique possint.

28. Martyrologium vero elenchum refert memoriarum imprimis quidem Beatæ Mariæ Virginis, Dei Genitricis, dein Angelorum et demum christifidelium, qui in cultu Ecclesiæ sive universalis sive particularis ac religiosæ cuiuslibet familiæ hodiernis temporibus adsunt, non vero integrum catalogum omnium, qui beatissima atque æterna Dei visione gaudent.[34]

29. Quas ob causas, Martyrologium Romanum Sanctos refert in Calendario Romano inscriptos, cum momentum universale præ se ferant in universa Ecclesia Ritus Romani, necnon plures, sed non omnes, ex his, qui Ecclesiæ cuique particulari vel religiosæ familiæ commendati sunt et liturgico quovis gradu commemorati. Status hic particularis seu localis commemorationum Sanctorum antiquiorum ac Beatorum omnium a Media Ætate usque ad hodierna tempora asterisco (*) indicatur iuxta numerum, qui ordinem chronologicum Sanctorum ac Beatorum in die designat.

[33] Cf. *Institutio generalis de Liturgia Horarum*, nn. 244, 234-239; S. Congregatio pro Cultu Divino, Instr. *De Calendaria particularia*, nn. 8-10: AAS 62 (1970) pp. 653-654.

[34] Cf. *Institutio generalis Missalis Romani*, n. 316.

IV

De Martyrologii usibus

De celebratione Sanctorum vel Beatorum

30. Sicut supra, n. **26**, relatum est, Missa vel etiam Officium alicuius Sancti in Martyrologio Romano aut in Proprio Martyrologii rite approbato inscripti celebrari potest, iusta de causa, die quo nomen eius inseritur, in feriis, quibus celebratio memoriæ ad libitum admittitur.[35]

31. Huiusmodi celebratio alicuius Beati in Martyrologio aut in Proprio Martyrologii rite approbato inscripti diœcesi, nationi seu ampliori dicioni aut familiæ religiosæ reservetur, quibus ab Apostolica Sede concessa est.[36]

32. Oportet ut quævis diœcesis vel familia religiosa suum Calendarium Proprium habeat[37] ac singulæ vero Conferentiæ Episcoporum conficiant Calendaria Propria suæ quæque nationis vel, una cum aliis Conferentiis, Calendarium amplioris dicionis, quæ omnia cum Martyrologio Romano debite congruenda sunt et Sedi Apostolicæ approbanda seu confirmanda.

33. Si vero dies natalis alicuius Sancti vel Beati in Martyrologio indicatus alia celebratione superioris gradus quotannis impeditur, Sanctus vel Beatus iste commemorari potest in Calendariis Propriis die libero proximo vel, si casus fert, die alia ratione ipsi proprio, ut, exempli gratia, die inventionis, elevationis aut translationis corporis, vel etiam die canonizationis aut beatificationis, qui tamen de more minus conveniens censendus est.[38] Quod si fuerit, in lectione Marty-

[35] Cf. *Institutio generalis Missalis Romani*, n. 316; *Institutio generalis de Liturgia Horarum*, n. 244.

[36] Cf. S. Congregatio pro Cultu Divino, Instr. *Calendaria particularia*, nn. 8-9: AAS 62 (1970) pp. 653-654.

[37] *Normae Universales de Anno liturgico et de Calendario*, nn. 48-55; S. Congregatio pro Cultu Divino, Instr. *Calendaria particularia*, diei 24 iunii 1970, nn. 1-9, 12: AAS 62 (1970), pp. 651-654.

[38] Cf. S. Congregatio pro Cultu Divino, Instr. *Calendaria particularia*, n. 21: AAS 62 (1970) p. 656.

rologii loco suo una alterave e formulis infra, p. 30, n. **12**, propositis adhibeatur.

34. Quivis Sanctus in Martyrologio Romano inscriptus eligi potest ut titulus ecclesiæ. Si vero de Beato agatur, ab Apostolica Sede indultum petere oportet,[39] nisi Beatus ipse in Calendario diœcesis vel nationis iam rite inscriptus sit.[40]

De lectione Martyrologii

35. Elogia Sanctorum alicuius diei semper præcedenti die leguntur.

36. Lectio Martyrologii laudabiliter fit in choro, sed etiam extra chorum peragi potest.

37. In Martyrologio legendo servetur ordo, qui infra invenitur.

V

De Propriis Martyrologii

38. Unicuique diœcesi, nationi vel familiæ religiosæ exarare licet Proprium Martyrologii seu Appendicem Martyrologii, in qua Sancti et Beati enuntientur in Calendario Proprio inscripti, qui a Martyrologio Romano absint vel diverso die celebrentur vel alio gradu celebrationis peragantur vel quorum elogium opportune aliquantulum amplificare visum est. Huiusmodi Proprium ad Congregationem de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum transmittatur ad recognitionem et approbationem seu confirmationem obtinendam.

39. Quæ tamen amplificata elogia ne mere ad modum generis litterarii «Vitæ» vel «Legendæ» componantur, sed, quantum fieri potest, victoriam paschalem Christi in servis suis patefaciant et distinctivam

[39] Cf. S. Congregatio pro Cultu Divino, Instr. *Calendaria particularia*, n. 34: AAS 62 (1970) p. 659; Pontificale Romanum, *Ordo Dedicationis ecclesiae et altaris*, editio typica, 1977, caput II, n. 4.

[40] Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, Notificatio de dedicatione aut benedictione ecclesiae in honorem alicuius Beati, diei 29 novembris 1998: *Notitiae* 34 (1998) p. 664.

gratiam unicuique tributam fidelibus exhibeant.[41] Fides insuper historica semper stricte servetur,[42] nec admittantur elementa homiletica seu «ædificationis». Ne elogia insuper quadraginta fere verba excedant.

VI

De aptationibus quæ Conferentiis Episcoporum competunt

40. Conferentiarum Episcoporum est versiones in linguas vulgares Martyrologii Romani comparare, integritate et fidelitate adamussim servatis attentisque generis litterarii notis peculiaribus.

41. Convenit ut in Martyrologio edendo elogia cuiusvis diei, quæ totius nationis vel dicionis ex concessione Sanctæ Sedis censenda sunt propria, primo loco ponantur post elogia, quæ ad celebrationes pertinent in Calendario Generali inscriptas, et eisdem imprimantur typis. Illa vero elogia, quæ regionis vel diœcesis sunt propria, in Appendice particulari locum semper habeant. Textus autem cuiuscumque editionis Conferentiæ Episcoporum ad normam iuris approbandus est et Sedi Apostolicæ recognoscendus. Quod valet, mutatis mutandis, pro quavis familia religiosa.

42. In editionibus parandis, omnino distinguendum est inter versiones Martyrologii Romani, quæ integræ esse debent, et collectiones partiales, quæ, ex Martyrologio Romano ad usum pastoralem excerptæ, ad usum liturgicum ne destinentur.

[41] Cf. Conc. Œc. Vatic. II, Constitutio de sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, n. 92.
[42] *Ibidem*, n. 111.

DE PRONUNTIATIONE LUNÆ AD LIBITUM PERAGENDA

Quamvis ubique terrarum calendarium solare cognitum et vulgatum habeatur, opportunum tamen visum est enuntiandi diem iuxta calendarium lunare consuetudinem servare, quæ vero ad lectionem liturgicam Martyrologii ad libitum fieri potest.

Momentum computationis diei lunaris elucet ex eo quod, maxima Sollemnitas Paschalis, cum præcedenti Quadragesima et subsequenti tempore paschali, a plenilunio mensis aprilis pendeat. Ideoque in hac typica editione Martyrologii computatio lunaris asservatur, ut peculiaris nexus inter populum Antiqui et Novi Fœderis, etiam in mysterio paschali celebrando, eniteat. Ceterum, computatio lunaris ab Ecclesiis Orientalibus et a plurimis non christianis religionibus et culturis in universo orbe custoditur.

In hoc Martyrologio dispositæ supra notitias Sanctorum triginta exstant litteræ, quot sunt numeri ex quibus cyclus epactarum lunæ a chronographis compositus est, quæ singulis diebus totius anni, convenienti computo peracto, indicant quota luna sit pronuntianda; singula littera ad convenientem præterea remittit numerum ipsi subiacentem in seriem triginta vel undetriginta notarum ordinatum, qui singulas designat dies mensis lunaris. Usus huiusmodi ordinum litterarum numerorumque lunæ reperiendæ commodatorum a convenientibus tabulis temporariis rectus est, in quibus unicuique anno proprius *numerus aureus* respondet, qui positionem currentis anni indicat intra cyclum lunarem undeviginti annorum in his computationibus adhibitum, necnon *epacta*, seu discrimen undecim dierum occurrens inter finem anni lunaris et initium anni solaris, et *littera Martyrologii* postremo huic supradictæ epactæ intime ac facile connexa, quemadmodum appositus ostendit prospectus:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**
I	II	III	IV	V	VI	VII	VIII	IX	X	XI	XII	XIII	XIV	XV
r	**s**	**t**	**u**	**A**	**B**	**C**	**D**	**E**	**F/F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
XVI	XVII	XVIII	XIX	XX	XXI	XXII	XXIII	XXIV	XXV	XXVI	XXVII	XXVIII	XXIX	*

Quæ omnia elementa computationi lunæ necessaria quoad spatium temporis inter annum 2004 et 2033, in tabella temporaria infra[43] reperiuntur. Ad pronuntiandum, itaque, diem lunationis singulis diebus uniuscuiusque anni, noto numero aureo, sumenda est epacta et mox littera ei respondens, quæ detecta in tabellis æquationis in Martyrologio super notitias Sanctorum positis numerum diei lunaris ei respondentem ostendet, nempe quota sit luna pronuntianda singulis diebus totius anni usque ad ultimam diem decembris. *Exemplum*: Anno 2005, numerus aureus currens est 11, cui respondet epacta XIX et littera Martyrologii «**u**», quæ toto eo anno inquirenda est in tabellis æquationis in Martyrologio; quibus consultis, diei primæ seu kalendis ianuarii litteræ «**u**» respondebit numerus 20, qui est luna pronuntianda; et diei secundæ seu quarto nonas augusti numerus 26.

Quibus autem annis numerus aureus 1 currit, a kalendis ianuarii luna semper pronuntianda est una die minor quam in Martyrologio adnotatur usque ad finem illius lunationis. *Exemplum*: Anno 2204, quo numerus aureus currens est 1, respondet epacta XXVIII et littera Martyrologii «**M**», quæ toto eo anno inquirenda est in tabellis æquationis; quibus consultis, die prima seu kalendis ianuarii litteræ «**M**» respondere videbitur numerus seu dies lunationis 29, in cuius locum tamen 28 est luna pronuntianda; quo modo prosequendum est usque tantum ad diem secundam seu quartum nonas ianuarii, cum luna erit 29 (etsi numerus 30 notetur), dum vero diei tertiæ seu tertio nonas ianuarii regulariter respondebit luna 1. Huic normæ modo derogatur quotiescumque dicto numero aureo 1 respondebit littera Martyrologii «**P**» maiuscula, sub qua semper luna pronuntianda erit ut numerus in tabellis æquationis indicat, nempe quemadmodum et in aliis annis fieri solet.

Si quis annus forte in epactam vigesimam quintam incidit, cui duplex littera «**F**» maiuscula respondet alia nigro alia rubro colore notata, dies lunationis cernenda est prout numerus aureus sit e prioribus undecim vel a 12 usque ad 19. *Exemplum*: Anno 2011 numerus aureus 17 correspondet epactæ XXV et scilicet litteræ Martyrologii «**F**». Die decima tertia seu idibus aprilis illius anni sub littera «**F**» varia indicatur luna, quæ tamen, cum numerus aureus sit maior quam 12 inclusive, pronuntianda est quemadmodum sub epacta nigra, nempe 10. Vertente autem anno 2303, cui numerus aureus 9 respondet et ipsa epacta XXV, iisdem idibus aprilis, cum numerus aureus minor sit

[43] Vide p. 26.

quam 11 inclusive, pronuntianda est dies lunationis sub littera Martyrologii «**F**» rubro colore exarata, nempe 9.

Tabella temporaria modo valet ad annum usque 2199; aliæ vero construi possunt auxilio peculiarium tabularum perpetuarum æquationis cycli epactarum, e quibus pro aliquot annis desumi possunt, noto numero aureo,[44] epacta[45] et littera Martyrologii unicuique anno respondentes. Quæ novæ tabellæ, instar subsequentis speciminis depromptæ, vicissim tantum ad tempus usque mutationis cycli epactarum valent. *Exemplum*: Ab anno 2200, cui numerus aureus 16 respondet, a quo appositum specimen initium capit, usque modo ad annum 2299 componi potest proposita tabula, ubi omnia recolliguntur necessaria elementa ad inquirendum quota luna tantum in illo temporis spatio pronuntianda sit.

TABELLA LITTERARUM MARTYROLOGII
RESPONDENTIUM AUREIS NUMERIS ET EPACTIS
AB INITIO ANNI 2200 USQUE AD FINEM ANNI 2299

Num. aurei	16	17	18	19		1	2	3	4	5
Epactae	XIII	XIV	V	XVI		XXVIII	IX	XX	I	XII
Litt. Mart.	**n**	**E**	**e**	**r**		**M**	**i**	**A**	**a**	**m**
Num. aurei	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15
Epactae	XXIII	IV	XV	XXVI	VII	XVIII	XXIX	X	XXI	II
Litt. Mart.	**D**	**d**	**q**	**G**	**g**	**t**	**N**	**k**	**B**	**b**

Anno 2248, ergo, cui numerus aureus est 7, respondebit epacta IV et scilicet littera Martyrologii «**d**» minuscula, a qua, sicut supra dictum est, dies lunationis singulis diebus illius anni reperitur.

[44] Computata parte integra in ratione inter annum, cuius interest elementa invenire, et 19, numerus aureus evincitur subtrahendo de illo eodem anno, addito uno, supradictam partem integram undevicies multiplicatam.

[45] Computata summa, quæ ex multiplicatione efficitur inter numerum aureum anni, cuius interest epactam invenire, et 11, abhinc usque ad annum 2099 epacta evincitur: a) si huius multiplicationis summa maior est quam tredecim, unum addendo reliquo quotientis integri, qui ex illa eadem summa fit, deducto tredecim, in triginta divisa; b) si vero minor est quam tredecim, unum addendo summæ supradictæ multiplicationis, addito triginta et tredecim deducto (seu, scilicet, summæ multiplicationis duodeviginti addendo). Ab anno 2100 usque ad 2199, loco numerorum tredecim et unius, numeri respective quattuordecim et duo erunt adhibendi.

TABELLA TEMPORARIA
EPACTARUM ET LITTERARUM MARTYROLOGII

Annus Domini	Numerus aureus	Epacta	Littera Martyrologii	Annus Domini	Numerus aureus	Epacta	Littera Martyrologii
2004	10	VIII	**h**	2019	6	XXIV	**E**
2005	11	XIX	**u**	2020	7	V	**e**
2006	12	*	**P**	2021	8	XVI	**r**
2007	13	XI	**l**	2022	9	XXVII	**H**
2008	14	XXII	**C**	2023	10	VIII	**h**
2009	15	III	**c**	2024	11	XIX	**u**
2010	16	XIV	**p**	2025	12	*	**P**
2011	17	XXV	**F**	2026	13	XI	**l**
2012	18	VI	**f**	2027	14	XXII	**C**
2013	19	XVII	**s**	2028	15	III	**c**
2014	1	XXIX	**N**	2029	16	XIV	**p**
2015	2	IX	**k**	2030	17	XXV	**F**
2016	3	XXI	**B**	2031	18	VI	**f**
2017	4	II	**b**	2032	19	XVII	**s**
2018	5	XIII	**n**	2033	1	X	**N**

ORDO
LECTIONIS MARTYROLOGII

I

ORDO LECTIONIS MARTYROLOGII INTRA LITURGIAM HORARUM

1. In choro lectio fit de more ad Laudes matutinas, post orationem conclusivam Horæ. Lector absolute incipit a diei insequentis mentione. Lectio concluditur his verbis:

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini.

℟. Mors Sanctórum eius.

2. Deinde sequi potest una ex lectionibus brevibus infra propositis, pp. 41-60, quam lector concludit acclamans:

℣. Verbum Dómini.

℟. Deo grátias.

3. Post lectionem sacerdos vel diaconus, qui celebrationi præest, unam dicit ex orationibus infra propositis, pp. 63-68. Item facit laicus, qui, absente ministro ordinato, celebrationem moderatur.

4. Deinde fit benedictio et dimissio, iuxta has formulas:

Dóminus nos benedícat
et ab omni malo deféndat
et ad vitam perdúcat ætérnam.

Et fidélium ánimæ
per misericórdiam Dei
requiéscant in pace.
℟. Amen.

℣. Ite in pace.

℟. Deo grátias.

5. Si autem hoc minime oportere videtur, nihil obstat quominus Martyrologii lectio ad quamlibet Horam minorem simili modo peragatur.

6. Ad Horam minorem lectio fit statim post orationem conclusivam, ut supra proponitur. In fine versiculus additur Pretiósa, denique acclamatio Benedicámus Dómino et responsum modo consueto vel ut supra, n. **4**.

7. In lectione elogiorum peragenda nuntiatur primo loco, si casus fert, celebratio mobilis, formulis adhibitis quæ infra, pp. 35-37, ponuntur.

Die tamen Resurrectionis Domini, antequam elogia diei sequentis legantur, præponatur memoria Dominicæ Paschatis.

8. Feria v Hebdomadæ sanctæ, Feria vi in Passione Domini et Sabbato sancto, lectio Martyrologii omnino excludatur, elogiis Sanctorum hac vice omissis.

9. In vigilia Nativitatis Domini, post enuntiatum diem vicesimum quintum mensis decembris, annuntiatio sollemnis Nativitatis cantatur modo peculiari, ut infra, pp. 71-74.

10. In Martyrologio proclamando, indicatio diei lunaris ad libitum fit post diei enuntiationem, quomodo infra, pp. 23-26, describitur.

11. Elogia Sanctorum vel Beatorum asterisco indicata tantum in diœcesibus vel in familiis religiosis leguntur, quibus cultus huius Sancti vel Beati concessus est.

12. Si qua memoria in alium diem transferri vel reponi contigerit, in fine correspondentis elogii addatur mentio diei translati aut repositi:

Pro innuendo die translato:	ipsíus autem memória (hoc anno) apud nos fiet die ...
Pro innuendo die reposito:	Sancti N., cuius dies natális recensétur die ...

II

ORDO LECTIONIS MARTYROLOGII EXTRA LITURGIAM HORARUM

13. Adunato cœtu sive in choro sive in capitulo sive ad mensam, lector absolute incipit a mentione diei insequentis, singulorum Sanctorum et Beatorum proclamat elogia et lectionem concludit dicens:

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini.
℟. Mors Sanctórum eius.

14. Deinde sequi potest una ex lectionibus brevibus infra propositis, pp. 41-60, quam lector concludit acclamans:

℣. Verbum Dómini.
℟. Deo grátias.

15. Post lectionem sacerdos vel diaconus, qui celebrationi præest, dicit unam ex orationibus infra propositis, pp. 63-68. Item facit laicus, qui, absente ministro ordinato, celebrationem moderatur.

16. Post orationem ritus concluditur benedictione et dimissione, iuxta has formulas:

Dóminus nos benedícat
et ab omni malo deféndat
et ad vitam perdúcat ætérnam.

Et fidélium ánimæ
per misericórdiam Dei
requiéscant in pace.
℟. Amen.

℣. Ite in pace.
℟. Deo grátias.

17. Quoad modum elogia cum additionibus legendi, adhibeantur quæ supra, nn. **4-9**, exponuntur.

ELOGIA
PRO CELEBRATIONIBUS MOBILIBUS

ELOGIA
PRO CELEBRATIONIBUS MOBILIBUS

Celebrationes mobiles, cum suæ naturæ ratione singulis annis mutentur, in mensium dierumque decursu adscribi nequeunt; quapropter hoc in loco positæ sunt, ut unaquæque earum, post indicationem diei ac mensis, immediate præponatur elogiis Martyrologii illius diei, qua eo anno celebranda est.

1. *Dominica I Adventus*

Domínica prima Advéntus Dómini nostri Iesu Christi, quo témpore primus Dei Fílii advéntus inter hómines recólitur ac simul secúndus eius advéntus in fine témporum exspectátur.

2. *Dominica quæ occurrit infra octavam Nativitatis Domini vel, ea deficiente, die 29 decembris*

Festum Sanctæ Famíliæ Iesu, Maríæ et Ioseph, ex qua christiánis famíliis sanctíssima proponúntur exémpla et opportúna invocántur auxília.

3. *Dominica quæ occurrit post diem 6 ianuarii*

Festum Baptísmatis Dómini nostri Iesu Christi, in quo diléctus Dei Fílius mirabíliter declarátur, aquæ sanctificántur, purificátur homo, orbis terrárum exsúltat.

4. *Feria IV Cinerum*

Dies Cínerum et inítium sacratíssimæ Quadragésimæ: ecce advéniunt dies pæniténtiæ ad rediménda peccáta, ad salvándas ánimas; ecce tempus acceptábile, quo ad montem sanctum Páschatis ascénditur.

5. *Dominica I Quadragesimæ*

Domínica prima in Quadragésima, qua, Dómino nostro Iesu Christo exémplum præbénte, exóritur venerábile sacraméntum ánnuæ observatiónis quadragesimális.

6. *Dominica in Palmis de Passione Domini*

Domínica in Palmis de Passióne Dómini, quando Dóminus noster Iesus Christus, iuxta Zacharíæ prophetíam, sedens super pullum ásinæ, Hierosólymam intrávit, cui turba cum ramis palmárum óbviam venit.

7. *Feria V Hebdomadæ sanctæ, feria VI in Passione Domini et Sabbato sancto*

Lectio Martyrologii omittitur.

8. *Dominica Paschæ in Resurrectione Domini*

Hac die, quam fecit Dóminus, sollémnitas sollemnitátum et Pascha nostrum: Resurréctio Salvatóris nostri Iesu Christi secúndum carnem.

Deinde pronuntiatur mentio diei sequentis ac mensis, et leguntur elogia diei sequentis.

9. *In Ascensione Domini*[46]

Sollémnitas Ascensiónis Dómini nostri Iesu Christi, quando quadragésimo post resurrectiónem die coram discípulis elevátus est in cælum, ad déxteram Patris sedens, donec véniat in glória iudicáre vivos et mórtuos.

10. *Dominica Pentecostes*

Dies Pentecóstes, qua conclúditur sacrum quinquagínta diérum Paschæ ac commemorántur, simul cum effusióne Spíritus Sancti in discípulos Hierosólymis, primórdia Ecclésiæ atque inítium apostólicæ missiónis ad omnes tribus, linguas, pópulos et natiónes.

11. *Dominica post Pentecosten*

Sollémnitas sacratíssimæ et indivíduæ Trinitátis, qua unum Deum in Trinitáte et Trinitátem in unitáte confitémur ac venerámur.

[46] Ubi sollemnitas Ascensionis Domini non est de praecepto servanda, assignatur, tamquam diei proprio, dominicae VII Paschae.

12. *Feria V vel Dominica post Sanctissimam Trinitatem*[47]

Sollémnitas sanctíssimi Córporis et Sánguinis Christi, quibus sacris alimóniis ipse remédium immortalitátis et pignus resurrectiónis præbet.

13. *Feria VI post Dominicam II post Pentecosten*

Sollémnitas sacratíssimi Cordis Iesu, qui, mitis et húmilis corde, in cruce exaltátus, fons vitæ et dilectiónis factus est, ex quo háuriant gentes univérsæ.

14. *Sabbato post sollemnitatem sacratissimi Cordis Iesu*

Memória Immaculáti Cordis beátæ Maríæ Vírginis, in quo ipsa, memóriam mysteriórum salútis in Fílio suo effectórum consérvans, eorum perfectiónem in Christo ardénter exspectávit.

15. *Dominica ultima «per annum»: Domini nostri Iesu Christi universorum Regis*

Sollémnitas Dómini nostri Iesu Christi, universórum Regis. Ipsi soli impérium, glória et maiéstas in infiníta sǽcula sæculórum.

[47] Ubi sollemnitas sanctissimi Corporis et Sanguinis Christi non est de praecepto servanda, assignatur, tamquam diei proprio, dominicae post Ss.mam Trinitatem.

LECTIONES BREVES

LECTIONES BREVES

I

PROPRIUM DE TEMPORE

1. *Tempore Adventus* Is 33, 2-3.5-6

Dómine, miserére nostri, te enim exspectávimus; esto bráchium nostrum in mane et salus nostra in témpore tribulatiónis. A voce fragóris fugérunt pópuli, ab exaltatióne tua dispérsæ sunt gentes. Sublímis est Dóminus, quóniam hábitat in excélso; implet Sion iudício et iustítia. Et erit fírmitas in tempóribus tuis; divítiæ salútis sapiéntia et sciéntia: timor Dómini ipse est thesáurus eius.

Verbum Dómini.
℟. Deo grátias.

2. *In Nativitate Domini* Rom 1, 1-3.5-6

Paulus servus Christi Iesu, vocátus apóstolus, segregátus in evangélium Dei, quod ante promíserat per prophétas suos in Scriptúris Sanctis de Fílio suo, qui factus est ex sémine David secúndum carnem. Per quem accépimus grátiam et apostolátum ad obœditiónem fídei in ómnibus géntibus pro nómine eius, in quibus estis et vos vocáti Iesu Christi, Dómini nostri.

Verbum Dómini.
℟. Deo grátias.

3. *In Nativitate Domini et per Octavam* Hebr 1, 8-12

Thronus tuus, Deus, in sǽculum sǽculi et virga æquitátis virga regni tui. Dilexísti iustítiam et odísti iniquitátem, proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo exsultatiónis præ partícipibus tuis. Tu in princípio, Dómine, terram fundásti et ópera mánuum tuárum sunt cæli. Ipsi períbunt, tu autem pérmanes; et omnes ut vestiméntum veteráscent

et velut amíctum invólves eos, sicut vestiméntum et mutabúntur. Tu autem idem es et anni tui non defícient.

Verbum Dómini.

℟. Deo grátias.

Die 26 decembris:

4. *In festo sancti Stephani, protomartyris* Act 7, 55-56.59-60

Cum esset Stéphanus plenus Spíritu Sancto, inténdens in cælum, vidit glóriam Dei et Iesum stantem a dextris Dei et ait: «Ecce vídeo cælos apértos et Fílium hóminis a dextris stantem Dei». Et lapidábant Stéphanum invocántem et dicéntem: «Dómine Iesu, súscipe spíritum meum». Pósitis autem génibus clamávit voce magna: «Dómine, ne státuas illis hoc peccátum»; et, cum hoc dixísset, obdormívit.

Verbum Dómini.

℟. Deo grátias.

Die 27 decembris:

5. *In festo sancti Ioannis, Apostoli et Evangelistæ* Eccli 15, 1- 5

Qui timet Deum, faciet hæc et, qui cóntinens est legis, apprehéndet illam; et obviábit illi quasi mater honorificáta et quasi múlier a virginitáte suscípiet illum. Cibábit illum panem vitæ et intelléctus et aqua sapiéntiæ salutáris potábit illum et firmábitur in illa et non flectétur et confídet in illam et non confundétur; et exaltábit illum præ próximis suis et in médio ecclésiæ apériet os eius et adimplébit illum spíritu sapiéntiæ et intelléctus et stola glóriæ véstiet illum.

Verbum Dómini.

℟. Deo grátias.

Die 28 decembris:

6. *In festo sanctorum Innocentium, martyrum* Apoc 14, 4-5; 22, 14

Hi empti sunt ex homínibus primítiæ Deo et Agno; et in ore ipsórum non est invéntum mendácium: sine mácula enim sunt ante thronum

Dei. Beáti, qui lavant stolas suas, ut sit potéstas eórum super lignum vitæ et per portas intrent in civitátem.

Verbum Dómini.

℟. Deo grátias.

Die Dominica infra octavam Nativitatis Domini:

7. *In festo sanctæ Familiæ Iesu, Mariæ et Ioseph* Phil 2, 5-8

Hoc sentíte in vobis, quod et in Christo Iesu: qui cum in forma Dei esset, non rapínam arbitrátus est esse se æquálem Deo, sed semetípsum exinanívit formam servi accípiens, in similitúdinem hóminum factus; et hábitu invéntus ut homo, humiliávit semetípsum, factus obœdiens usque ad mortem, mortem autem crucis.

Verbum Dómini.

℟. Deo grátias.

8. *In vigilia Epiphaniæ Domini* Gal 4, 4-7

Ubi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum, factum ex mulíere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redímeret, ut adoptiónem filiórum reciperémus. Quóniam autem estis fílii, misit Deus Spíritum Fílii sui in corda nostra clamántem: «Abba, Pater!». Itaque iam non es servus, sed fílius; quod si fílius, et heres per Deum.

Verbum Dómini.

℟. Deo grátias.

9. *In Epiphania Domini* Is 60, 1.3.6

Surge, illumináre, Ierúsalem, quia venit lumen tuum et glória Dómini super te orta est. Et ambulábunt gentes in lúmine tuo et reges in splendóre ortus tui. Inundátio camelórum opériet te, dromedárii Mádian et Epha; omnes de Saba vénient, aurum et tus deferéntes et laudem Dómino annuntiántes.

Verbum Dómini.

℟. Deo grátias.

10. *Per Quadragesimam* Is 55, 6-7

Quǽrite Dóminum, dum inveníri potest; invocáte eum, dum prope est. Derelínquat ímpius viam suam et vir iníquus cogitatiónes suas; et revertátur ad Dóminum, et miserébitur eius, et ad Deum nostrum, quóniam multus est ad ignoscéndum.

Verbum Dómini.

℟. Deo grátias.

Vel: Bar 5, 5-7

Surge, Ierúsalem, et sta in excélso et circúmspice ad oriéntem et vide congregátos fílios tuos a solis ortu usque ad occásum verbo Sancti, gaudéntes in memória Dei. Exiérunt enim abs te pédites abdúcti ab inimícis; indúcet autem illos ad te portátos cum glória sicut thronum regni; constítuit enim Deus humiliáre omnem montem excélsum et rupes perénnes et conválles implére ad æqualitátem terræ, ut ingrediátur Israel in securitáte glóriæ Dei.

Verbum Dómini.

℟. Deo grátias.

11. *Dominica de Palmis in Passione Domini ac feria II, III et IV Hebdomadæ Sanctæ* Is 50, 5-7

Dóminus Deus apéruit mihi aurem; ego autem non rebellávi, retrórsum non ábii. Dorsum meum dedi percutiéntibus et genas meas velléntibus, fáciem meam non avérti ab increpatiónibus et sputis. Dóminus Deus auxiliátor meus; ídeo non sum confúsus, ídeo pósui fáciem meam ut petram duríssimam et scio quóniam non confúndar.

Verbum Dómini.

℟. Deo grátias.

12. *Feria V Hebdomadæ sanctæ, feria VI in Passione Domini et Sabbato sancto*

Lectio Martyrologii omittitur.

13. *Dominica Paschæ in Resurrectione Domini et per Octavam*
Col 3, 1-4

Si conresurrexístis Christo, quæ sursum sunt, quǽrite, ubi Christus est in déxtera Dei sedens; quæ sursum sunt, sápite, non quæ supra terram. Mórtui enim estis et vita vestra abscóndita est cum Christo in Deo! Cum Christus apparúerit, vita vestra, tunc et vos apparébitis cum ipso in glória.

Verbum Dómini.
℟. Deo grátias.

14. *Per tempus paschale usque ad Vigiliam Ascensionis Domini inclusive*
1 Cor 15, 13-14.16-17.20

Si resurréctio mortuórum non est, neque Christus suscitátus est! Si autem Christus non suscitátus est, inánis est ergo prædicátio nostra, inánis est et fides vestra. Nam si mórtui non resúrgunt, neque Christus resurréxit; quod si Christus non resurréxit, stulta est fides vestra, adhuc estis in peccátis vestris. Nunc autem Christus resurréxit a mórtuis, primítiæ dormiéntium.

Verbum Dómini.
℟. Deo grátias.

Vel: Act 13, 30-33

Deus suscitávit eum a mórtuis; qui visus est per dies multos his, qui simul ascénderant cum eo de Galilǽa in Ierúsalem, qui nunc sunt testes eius ad plebem. Et nos vobis evangelizámus eam, quæ ad patres promíssio facta est, quóniam hanc Deus adimplévit fíliis eórum, nobis resúscitans Iesum, sicut et in Psalmo secúndo scriptum est: « Fílius meus es tu; ego hódie génui te ».

Verbum Dómini.
℟. Deo grátias.

15. *In Ascensione Domini et diebus sequentibus usque ad vigiliam Pentecostes*
Act 1, 9-11

Vidéntibus illis, Iesus elevátus est et nubes suscépit eum ab óculis eórum. Cumque intueréntur in cælum, eúnte illo, ecce duo viri astitérunt iuxta illos in véstibus albis, qui et dixérunt: « Viri Galilǽi,

quid statis aspiciéntes in cælum? Hic Iesus, qui assúmptus est a vobis in cælum, sic véniet, quemádmodum vidístis eum eúntem in cælum ».

Verbum Dómini.

℟. Deo grátias.

16. *Dominica Pentecostes* Act 2, 2-4

Factus est repénte de cælo sonus tamquam adveniéntis spíritus veheméntis et replévit totam domum, ubi erant sedéntes. Et apparuérunt illis dispertítæ linguæ tamquam ignis sedítque supra síngulos eórum; et repléti sunt omnes Spíritu Sancto et cœpérunt loqui áliis linguis, prout Spíritus dabat elóqui illis.

Verbum Dómini.

℟. Deo grátias.

17. Dominica post Pentecosten: *Sanctissimæ Trinitatis* 1 Io 5, 5-8

Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quóniam Iesus est Fílius Dei? Hic est, qui venit per aquam et sánguinem, Iesus Christus; non in aqua solum sed in aqua et in sánguine. Et Spíritus est, qui testificátur quóniam Spíritus est véritas. Quia tres sunt, qui testificántur: Spíritus et aqua et sánguis; et hi tres in unum sunt.

Verbum Dómini.

℟. Deo grátias.

18. Feria V vel Dominica post Ss.mam Trinitatem: *SS. mi Corporis et Sanguinis Christi* 1 Cor 11, 26-27

Quotiescúmque manducábitis panem hunc et cálicem bibétis, mortem Dómini annuntiátis, donec véniat. Itaque quicúmque manducáverit panem hunc vel bíberit cálicem Dómini indígne, reus erit córporis et sánguinis Dómini.

Verbum Dómini.

℟. Deo grátias.

19. Feria VI post Dominicam II post Pentecosten: *Sacratissimi Cordis Iesu* Eph 3, 14.16-19

Huius rei grátia flecto génua mea ad Patrem, ut det vobis secúndum divítias glóriæ suæ virtúte corroborári per Spíritum eius in interiórem hóminem, habitáre Christum per fidem in córdibus vestris, in caritáte radicáti et fundáti, ut valeátis comprehéndere cum ómnibus Sanctis, quæ sit latitúdo et longitúdo et sublímitas et profúndum, scire étiam supereminéntem sciéntiæ caritátem Christi, ut impleámini in omnem plenitúdinem Dei.

Verbum Dómini.
℟. Deo grátias.

20. Dominica ultima «per annum»: *Domini nostri Iesu Christi universorum Regis* Cf. Col 1, 16-20

Omnia per ipsum et in ipsum creáta sunt et ipse est ante ómnia et ómnia in ipso constant. Et ipse est caput córporis Ecclésiæ; qui est princípium, primogénitus ex mórtuis, ut sit in ómnibus ipse primátum tenens, quia in ipso complácuit omnem plenitúdinem habitáre et per eum reconciliáre ómnia in ipsum, pacíficans per sánguinem crucis eius, sive quæ in terris sive quæ in cælis sunt, in Christo Iesu, Dómino nostro.

Verbum Dómini.
℟. Deo grátias.

21. *In Dominicis et feriis «per annum»* 2 Thess 2, 15-17; 3, 5

Itaque, fratres, state et tenéte traditiónes, quas didicístis sive per sermónem sive per epístulam nostram. Ipse autem Dóminus noster Iesus Christus et Deus Pater noster, qui diléxit nos et dedit consolatiónem ætérnam et spem bonam in grátia, consolétur corda vestra et confírmet in omni ópere et sermóne bono. Dóminus autem dírigat corda vestra in caritátem Dei et patiéntiam Christi.

Verbum Dómini.
℟. Deo grátias.

Vel: Rom 11, 16-18

Quod si primítiæ sanctæ sunt, et massa; et si radix sancta, et rami. Quod si áliqui ex ramis fracti sunt, tu autem, cum oleáster esses, insértus es in

illis et consócius radícis pinguédinis olívæ factus es, noli gloriári advérsus ramos; quod si gloriáris, non tu radícem portas, sed radix te.

Verbum Dómini.

℟. Deo grátias.

Vel: Eccli 44, 2.13-15

Multam glóriam fecit Dóminus, magnificéntiam suam a sǽculo. Usque in ætérnum manet semen eórum et glória eórum non derelinquétur. Córpora ipsórum in pace sepúlta sunt et nomen eórum vivit in generatiónem et generatiónem; sapiéntiam ipsórum narrent pópuli et laudem eórum núntiet Ecclésia.

Verbum Dómini.

℟. Deo grátias.

Vel: Iac 5, 8-11

Patiéntes estóte et vos, confirmáte corda vestra, quóniam advéntus Dómini appropinquávit. Nolíte ingemíscere, fratres, in alterútrum, ut non iudicémini. Ecce iudex ante iánuam assístit. Exémplum accípite, fratres, labóris et patiéntiæ prophétas, qui locúti sunt in nómine Dómini. Ecce beatificámus eos, qui sustinuérunt; sufferéntiam Iob audístis et finem Dómini vidístis, quóniam misericors est Dóminus et miserátor.

Verbum Dómini.

℟. Deo grátias.

Vel: 1 Thess 2, 9-12

Mémores estis, fratres, labóris nostri et fatigatiónis; nocte et die operántes, ne quem vestrum gravarémus, prædicávimus in vobis evangélium Dei. Vos testes estis et Deus quam sancte et iuste et sine queréla vobis, qui credidístis, fúimus; sicut scitis quáliter unumquémque vestrum, tamquam pater fílios suos, deprecántes vos et consolántes testificáti sumus, ut ambularétis digne Deo, qui vocat vos in suum regnum et glóriam.

Verbum Dómini.

℟. Deo grátias.

Vel: Sap 18, 1-3

Sanctis tuis máxima erat lux; et horum quidem vocem illi audiébant, sed figúram non vidébant, et, quia non et ipsi éadem passi erant, magnificábant; quóniam autem, qui ante læsi erant, non lædébant, grátias agébant et, quod eos ante distulíssent, donum petébant. Propter quod ignis ardéntem colúmnam, ducem ignótæ viæ, et solem sine læsúra gloriósæ peregrinatiónis præstitísti.

Verbum Dómini.
℟. Deo grátias.

Vel: Eccli 34, 14-20

Spíritus timéntium Dóminum vivet et in respéctu illíus benedicétur. Spes enim illórum in salvántem illos et óculi Dei in diligéntes se. Qui timet Dóminum, nihil trepidábit et non pavébit, quóniam ipse est spes eius. Timéntis Dóminum beáta est anima eius. Ad quem réspicit? Et quis est fortitúdo eius? Oculi Dómini super timéntes eum: protéctor poténtiæ, firmaméntum virtútis, tégimen ardóris et umbráculum meridiáni, custódia offensiónis et adiutórium casus, exáltans ánimam et illúminans óculos, dans sanitátem vitæ et benedictiónem.

Verbum Dómini.
℟. Deo grátias.

II

PROPRIUM SANCTORUM

Die 3 ianuarii:

22. *Sanctissimi Nominis Iesu* Col 3, 16-17

Verbum Christi hábitet in vobis abundánter, in omni sapiéntia docéntes et commonéntes vosmetípsos psalmis, hymnis, cánticis spiritálibus, in grátia cantántes in córdibus vestris Deo; et omne quodcúmque fácitis in verbo aut in ópere, ómnia in nómine Dómini Iesu grátias agéntes Deo Patri per ipsum.

Verbum Dómini.
℟. Deo grátias.

Die 25 ianuarii:

23. *In Conversione sancti Pauli, apostoli* Act 9, 19-22

Fuit cum discípulis, qui erant Damásci, per dies áliquot et contínuo in synagógis prædicábat Iesum, quóniam hic est Fílius Dei. Stupébant autem omnes, qui audiébant et dicébant: «Nonne hic est, qui expugnábat in Ierúsalem eos, qui invocábant nomen istud, et huc ad hoc vénerat, ut vinctos illos dúceret ad príncipes sacerdótum?». Saulus autem magis convalescébat et confundébat Iudǽos, qui habitábant Damásci, affírmans quóniam hic est Christus.

Verbum Dómini.
℟. Deo grátias.

Die 2 februarii:

24. *In Præsentatione Domini* Ex 13, 2.13

Sanctífica mihi omne primogénitum, quod áperit vulvam in fíliis Israel, tam de homínibus quam de iuméntis: mea sunt enim ómnia. Omne autem primogénitum hóminis de fíliis tuis prétio rédimes.

Verbum Dómini.
℟. Deo grátias.

Die 19 martii:

25. *In sollemnitate sancti Ioseph, Sponsi beatæ Mariæ Virginis* Sap 10, 9-12

Sapiéntia hos, qui eam obsérvant, a labóribus liberávit. Hæc prófugum iræ fratris iustum dedúxit per vias rectas et osténdit illi regnum Dei et dedit illi sciéntiam Sanctórum; honestávit illum in labóribus et complévit labóres illíus. In avarítia circumveniéntium illum áffuit illi et honéstum fecit illum. Custodívit illum ab inimícis et ab insidiántibus tutávit illum; et post certámen forte bravíum dedit illi, ut sciret quóniam ómnium poténtior est píetas.

Verbum Dómini.
℟. Deo grátias.

Die 25 martii:

26. *In sollemnitate Annuntiationis Domini* Is 11, 1-3

Egrediétur virga de stirpe Iesse et flos de radíce eius ascéndet; et requiéscet super eum Spíritus Dómini: spíritus sapiéntiæ et intelléctus, spíritus consílii et fortitúdinis, spíritus sciéntiæ et timóris Dómini; et delíciæ eius in timóre Dómini.

Verbum Dómini.
℟. Deo grátias.

Die 24 iunii:

27. *In Nativitate sancti Ioannis Baptistæ* Is 49, 7

Hæc dicit Dóminus, redémptor Israel, Sanctus eius, ad contémptum in ánima, ad abominátum in gente, ad servum dominórum: Reges vidébunt et consúrgent, príncipes quoque et adorábunt propter Dóminum, quia fidélis est, Sanctum Israel, qui elégit te.

Verbum Dómini.
℟. Deo grátias.

Die 29 iunii:

28. *In sollemnitate sanctorum Petri et Pauli, apostolorum* Act 12, 5-7

Et Petrus quidem servabátur in cárcere; orátio autem fiébat sine intermissióne ab ecclésia ad Deum pro eo. Cum autem productúrus eum esset Heródes, in ipsa nocte erat Petrus dórmiens inter duos mílites vinctus caténis duábus et custódes ante óstium custodiébant cárcerem. Et ecce ángelus Dómini ástitit et lumen refúlsit in habitáculo; percússo autem látere Petri, suscitávit eum dicens: «Surge velóciter!». Et cecidérunt caténæ de mánibus eius.

Verbum Dómini.

℟. Deo grátias.

Die 6 augusti:

29. *In Transfiguratione Domini* Apoc 21, 10-11.23

Sústulit me in spíritu super montem magnum et altum et osténdit mihi civitátem sanctam Ierúsalem descendéntem de cælo a Deo, habéntem claritátem Dei; lumen eius símile lápidi pretiosíssimo, tamquam lápidi iáspidi, in modum crystálli. Et cívitas non eget sole neque luna, ut lúceant ei; nam cláritas Dei illuminávit eam et lucérna eius est Agnus.

Verbum Dómini.

℟. Deo grátias.

Die 15 augusti:

30. *In Assumptione beatæ Mariæ Virginis* Iudt 15, 9-10

Tu exaltátio Ierúsalem, tu gloria magna Israel, tu laus magna géneris nostri! Fecísti ómnia hæc in manu tua, fecísti bona cum Israel et complácuit in illis Deus. Benedícta esto tu, múlier, apud Deum omnipoténtem in ætérnum tempus. Et dixit omnis pópulus: «Fiat, fiat!».

Verbum Dómini.

℟. Deo grátias.

Die 8 septembris:

31. *In Nativitate beatæ Mariæ Virginis* Gen 17, 16.19

Benedícam ei et ex illa quoque dabo tibi fílium. Benedictúrus sum eam erítque in natiónes; reges populórum oriéntur ex ea. Constítuam pactum meum illi in fœdus sempitérnum et sémini eius post eum.

Verbum Dómini.

℟. Deo grátias.

Die 14 septembris:

32. *In Exaltatione sanctæ Crucis* Phil 2, 8-11

Christus humiliávit semetípsum factus obœdiens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus illum exaltávit et donávit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nómine Iesu omne genu flectátur cæléstium et terréstrium et infernórum, et omnis lingua confiteátur: Dóminus Iesus Christus!, in glóriam Dei Patris.

Verbum Dómini.

℟. Deo grátias.

Die 15 septembris:

33. *In memoria beatæ Mariæ Virginis Perdolentis*

Lam 2, 18; 3, 19-23

Clamet cor tuum ad Dóminum super muros fíliæ Sion; deduc quasi torréntem lácrimas per diem et noctem. Non des réquiem tibi neque táceat pupílla óculi tui. Recordáre paupertátis et peregrinatiónis meæ, absínthii et fellis. Memória memor est et tabéscit in me ánima mea. Hæc récolam in corde meo, ídeo sperábo. Misericórdiæ Dómini, quia non sumus consúmpti, quia non defecérunt miseratiónes eius. Novæ sunt omni mane, magna est fides tua.

Verbum Dómini.

℟. Deo grátias.

Die 29 septembris:

34. *In festo sanctorum Michaelis, Gabrielis et Raphaelis, archangelorum* Apoc 12, 7-10

Et factum est prœlium in cælo, Míchael et ángeli eius, ut prœliaréntur cum dracóne. Et draco pugnávit et ángeli eius et non váluit, neque locus invéntus est eórum ámplius in cælo. Et proiéctus est draco ille magnus, serpens antíquus, qui vocátur Diábolus et Sátanas, qui sedúcit univérsum orbem; proiéctus est in terram et ángeli eius cum illo proiécti sunt. Et audívi vocem magnam in cælo dicéntem: « Nunc facta est salus et virtus et regnum Dei nostri et potéstas Christi eius, quia proiéctus est accusátor fratrum nostrórum, qui accusábat illos ante conspéctum Dei nostri die ac nocte ».

Verbum Dómini.

℟. Deo grátias.

Die 1 novembris:

35. *In sollemnitate omnium Sanctorum* Apoc 7, 12.14-15

Benedíctio et gloria et sapiéntia et gratiárum áctio et honor et virtus et fortitúdo Deo nostro in sǽcula sæculórum. Amen. Hi sunt, qui véniunt de tribulatióne magna et lavérunt stolas suas et dealbavérunt eas in sánguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei et sérviunt ei die ac nocte in templo eius; et, qui sedet in throno, habitábit super illos.

Verbum Dómini.

℟. Deo grátias.

Die 8 decembris:

36. *In Conceptione Immaculata beatæ Mariæ Virginis* Apoc 12, 1.5-6

Signum magnum appáruit in cælo: múlier amícta sole et luna sub pédibus eius et super caput eius coróna stellárum duódecim. Et péperit fílium másculum, qui rectúrus est omnes gentes in virga férrea; et raptus est fílius ad Deum et ad thronum eius. Et múlier fugit in desértum, ubi habet locum parátum a Deo, ut ibi pascant illam diébus mille ducéntis sexagínta.

Verbum Dómini.

℟. Deo grátias.

III

COMMUNIA

37. *In Dedicatione Ecclesiæ eiusque Anniversario* Apoc 21, 4-5

Abstérget Deus omnem lácrimam ab óculis eórum et mors ultra non erit, neque luctus neque clamor neque dolor erit ultra, quia prima abiérunt. Et dixit, qui sedébat super throno: « Ecce nova fácio ómnia ». Et dicit: « Scribe: Hæc verba fidélia sunt et vera ».

Verbum Dómini.

℟. Deo grátias.

38. *In celebrationibus beatæ Mariæ Virginis* Iudt 13, 18-19

Benedícta tu es, fília, a Deo excélso præ ómnibus muliéribus, quæ sunt super terram. Et benedíctus Dóminus Deus noster, qui creávit cælum et terram, qui diréxit te in vulnus cápitis príncipis inimicórum nostrórum. Quóniam non discédet laus tua a corde hóminum memorántium virtútis Dei usque in sempitérnum.

Verbum Dómini.

℟. Deo grátias.

39. *In celebrationibus sanctorum Apostolorum et Evangelistarum extra tempus paschale* Rom 10, 14.17

Quómodo invocábunt, in quem non credidérunt? Aut quómodo credent ei, quem non audiérunt? Quómodo autem áudient sine prædicánte? Ergo fides ex audítu, audítus autem per verbum Christi.

Verbum Dómini.

℟. Deo grátias.

40. *In celebrationibus sanctorum Apostolorum et Evangelistarum tempore paschali* Act 5, 41-42

Et illi quidem ibant gaudéntes a conspéctu concílii, quóniam digni hábiti sunt pro nómine contuméliam pati; et omni die in templo et circa domos non cessábant docéntes et evangelizántes Christum, Iesum.

Verbum Dómini.

℟. Deo grátias.

41. *In celebrationibus plurimorum sanctorum martyrum extra tempus paschale* Sap 3, 7-9

Fulgébunt iusti et tamquam scintíllæ in arundinéto discúrrent; iudicábunt natiónes et dominabúntur pópulis et regnábit Dóminus illórum in perpétuum. Qui confídunt in illo, intéllegent veritátem et fidéles in dilectióne acquiéscent illi, quóniam grátia et misericórdia est Sanctis eius et visitátio eléctis eius.

Verbum Dómini.

℟. Deo grátias.

42. *In celebrationibus plurimarum sanctarum virginum et martyrum extra tempus paschale* 2 Cor 4, 17-18

Id enim, quod in præsénti est, leve tribulatiónis nostræ supra modum in sublimitátem ætérnum glóriæ pondus operátur nobis, non contemplántibus nobis, quæ vidéntur, sed quæ non vidéntur; quæ enim vidéntur, temporália sunt, quæ autem non vidéntur, ætérna sunt.

Verbum Dómini.

℟. Deo grátias.

43. *In celebrationibus unius sancti martyris extra tempus paschale* Eccli 39, 6-8

Iustus cor suum tradet ad vigilándum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, et in conspéctu Altíssimi deprecábitur. Apériet os suum in oratióne et pro delíctis suis deprecábitur. Si enim Dóminus magnus volúerit, spíritu intellegéntiæ replébitur.

Verbum Dómini.

℟. Deo grátias.

44. *In celebrationibus unius sanctæ martyris extra tempus paschale* Eccli 51, 8-9.11-12

Appropinquávit usque ad mortem ánima mea et vita mea appropínquans erat in inférno deórsum. Memorátus autem sum misericórdiæ tuæ, Dómine, et operatiónis tuæ, quæ a sǽculo est, quóniam éruis sustinéntes te, Domine, et líberas eos de mánibus iniquórum.

Verbum Dómini.

℟. Deo grátias.

45. *In celebrationibus unius sanctæ virginis et martyris extra tempus paschale* Eccli 51, 13-14

Exaltávi de terra supplicatiónem meam et pro morte defluénte deprecátus sum. Invocávi Dóminum: Pater meus es tu, ne derelínquas me in die tribulatiónis meæ et in témpore superbórum sine adiutório.

Verbum Dómini.

℟. Deo grátias.

46. *In celebrationibus plurimorum sanctorum martyrum tempore paschali* 2 Cor 4, 11.13-14

Semper nos, qui vívimus, in mortem trádimur propter Iesum, ut et vita Iesu manifestétur in carne nostra mortáli. Habéntes autem eúndem spíritum fídei, sicut scriptum est: "Crédidi, propter quod locútus sum", et nos crédimus, propter quod et lóquimur, sciéntes quóniam, qui suscitávit Dóminum Iesum, et nos cum Iesu suscitábit et constítuet vobíscum.

Verbum Dómini.

℟. Deo grátias.

47. *In celebrationibus unius sancti martyris tempore paschali* Rom 8, 28-29

Scimus quóniam diligéntibus Deum ómnia cooperántur in bonum, his, qui secúndum propósitum vocáti sunt. Nam, quos præscívit, et prædestinávit confórmes fieri imáginis Fílii eius, ut sit ipse primogénitus in multis frátribus.

Verbum Dómini.

℟. Deo grátias.

48. *In celebrationibus plurimarum sanctarum martyrum tempore paschali* Hebr 12, 1-2

Ideóque et nos tantam habéntes circumpósitam nobis nubem téstium, deponéntes omne pondus et circúmstans nos peccátum, per patiéntiam currámus propósitum nobis certámen, aspiciéntes in ducem fídei et consummatórem Iesum, qui pro gáudio sibi propósito

sustínuit crucem, confusióne contémpta, atque in déxtera throni Dei sedet.

Verbum Dómini.
℟. Deo grátias.

49. *In celebrationibus unius sanctæ martyris tempore paschali*
Eccli 51, 8-9.11-12

Appropinquávit usque ad mortem ánima mea et vita mea appropínquans erat in inférno deórsum. Memorátus autem sum misericórdiæ tuæ, Dómine, et operatiónis tuæ, quæ a sǽculo est, quóniam éruis sustinéntes te, Domine, et líberas eos de mánibus iniquórum.

Verbum Dómini.
℟. Deo grátias.

50. *In celebrationibus plurimorum sanctorum pastorum* Hebr 13, 17

Obœdíte præpósitis vestris et subiacéte eis; ipsi enim pervígilant pro animábus vestris quasi ratiónem reddittúri, ut cum gáudio hoc fáciant et non geméntes: hoc enim non éxpedit vobis.

Verbum Dómini.
℟. Deo grátias.

51. *In celebrationibus unius sancti pastoris* Eccli 45, 19-21

Factum est illi in testaméntum ætérnum et sémini eius sicut dies cæli: ministráre illi et fungi sacerdótio et benedícere pópulum suum in nómine eius. Ipsum elégit ab omni vivénte offérre sacrifícium Deo, incénsum et ádipes et incéndere bonum odórem et memoriále et placáre pro pópulo suo. Et dedit illi in præcéptis suis potestátem, in testaméntis iudiciórum: docére Iacob testimónia et in lege sua lucem dare Israel.

Verbum Dómini.
℟. Deo grátias.

52. *In celebrationibus Doctorum Ecclesiæ* Eccli 39, 1-3

Qui accómmodat ánimam suam ad timórem Dei et in lege Altíssimi meditátur, sapiéntiam ómnium antiquórum exquíret et in prophetíis

vacábit. Narratiónem virórum nominatórum conservábit et in versútias parabolárum simul introíbit. Occúlta proverbiórum exquíret et in abscónditis parabolárum conversábitur.

Verbum Dómini.

℟. Deo grátias.

53. *In celebrationibus plurimorum Sanctorum* Eccli 2, 11-13

Respícite, fílii, generatiónes antíquas et vidéte: quis sperávit in Dómino et confúsus est? aut quis permánsit in mandátis eius et derelíctus est? aut quis invocávit eum et despéxit illum? Quóniam pius et miséricors est Dóminus et remíttet in die tribulatiónis peccáta et protéctor est ómnibus exquiréntibus se in veritáte.

Verbum Dómini.

℟. Deo grátias.

54. *In celebrationibus unius Sancti* Eccli 2, 18-20

Qui timent Dóminum, non erunt incredíbiles verbo illíus; et, qui díligunt illum, conservábunt viam illíus. Qui timent Dóminum, inquírent quæ beneplácita sunt ei; et, qui díligunt eum, replebúntur lege ipsíus. Qui timent Dóminum, præparábunt corda sua et in conspéctu illíus sanctificábunt ánimas suas.

Verbum Dómini.

℟. Deo grátias.

55. *In celebrationibus plurimarum sanctarum virginum* 1 Cor 7, 34.35

Múlier innúpta et virgo cógitat, quæ Dómini sunt, ut sit sancta et córpore et spíritu. Porro hoc ad utilitátem vestram dico, non ut láqueum vobis iníciam, sed ad id, quod honéstum est, et ut assídue cum Dómino sitis sine distractióne.

Verbum Dómini.

℟. Deo grátias.

56. *In celebrationibus unius sanctæ virginis* Sap 4, 1-2

Mélius est absque líberis esse cum virtúte; immortálitas est enim in memória illíus, quóniam et apud Deum nota est et apud hómines.

Cum præsens est, imitántur illam; et desíderant eam, cum se edúxerit; et in perpétuum coronáta triúmphat, incoinquinatórum certáminum prǽmium vincens.

Verbum Dómini.

℟. Deo grátias.

57. *In celebrationibus plurimarum sanctarum mulierum* 1 Tim 5, 5-7

Quæ vere vídua est et desoláta, sperat in Deum et instat obsecratiónibus et oratiónibus nocte ac die; nam, quæ in delíciis est vivens, mórtua est. Et hæc prǽcipe, ut irreprehensíbiles sint.

Verbum Dómini.

℟. Deo grátias.

58. *In celebrationibus unius sanctæ mulieris* Prov 31, 29-31

Multæ fíliæ fórtiter operátæ sunt, tu supergréssa es univérsas. Fallax grátia et vana est pulchritúdo; múlier timens Dóminum, ipsa laudábitur. Date ei de fructu mánuum suárum et laudent eam in portis ópera eius.

Verbum Dómini.

℟. Deo grátias.

ORATIONES

ORATIONES

In fine celebrationis, in qua Martyrologium legitur, sacerdos post lectionem, iunctis manibus, sine Orémus, et omnibus respondentibus: Amen, dicere potest ad libitum formulam hanc:

Sancta María et omnes Sancti
intercédant pro nobis ad Dóminum,
ut nos mereámur ab eo adiuvári et salvári,
qui vivit et regnat in sǽcula sæculórum.

Vel dicit ad libitum unam ex orationibus, quæ sequuntur:

1. Exáudi, Dómine, pópulum cum Sanctórum tuórum
tibi patrocínio supplicántem,
ut temporális vitæ nos tríbuas pace gaudére
et ætérnæ reperíre subsídium.
Per Christum.

2. Fratérna nos, Dómine, Sanctórum tuórum coróna lætíficet,
quæ et fídei nostræ prǽbeat incitaménta virtútum
et multíplici nos suffrágio consolétur.
Per Christum.

3. Da nobis, quǽsumus, Dómine,
ut cum tuórum Sanctórum memória
perpétua eorúndem tuitióne lætémur.
Per Christum.

4. Dómine Deus noster,
multíplica super nos grátiam tuam
et, quorum celebrámus gloriósa certámina,
tríbue súbsequi in sancta professióne victóriam.
Per Christum.

5. Benedícimus, Dómine, misericórdias tuas,
qui nos incessabíliter Sanctórum tuórum
sinis commemoratióne fovéri, supplíciter exorántes,
ut, quorum memóriam gérimus, patrocínia sentiámus.
Per Christum.

6. Pacem tuam, Dómine, nostris illábere pectóribus
et, qui Sanctos tuos in cæléstem aulam suscepísti,
nobis quoque caritátis stúdium,
eórum méritis suffragántibus,
largíri iúbeas in ætérnum.
Per Christum.

7. Omnípotens sempitérne Deus, qui inter innúmera benefícia
Sanctórum tuórum nos exémplis præcípue consoláris,
præsta, quǽsumus,
ut ad cæléstis óperis institúta
et recordátio beáta nos íncitet
et orátio iustórum digna perdúcat.
Per Christum.

8. Deus, qui nos Sanctórum tuórum
et memória lætíficas
et imitatióne súscitas ad proféctum,
præsta, ut quos venerámur obséquio,
étiam piæ conversatiónis sequámur exémplo.
Per Christum.

9. Fidéles tuós, Dómine, cælésti visitatióne circúmda
et méntibus eórum rorem tuæ benedictiónis infúnde,
ut, Sanctórum précibus suffúlti,
tuam perfectiónis grátiam réferant.
Per Christum.

10. Da nobis, omnípotens Deus, in Sanctórum tuórum
te semper commemoratióne laudáre,
quia refovére curábis,
quos in honóre tuo perseveráre concésseris.
Per Christum.

11. Præsta fámulis tuis, Dómine,
abundántiam protectiónis et grátiæ
et, Sanctórum tuórum intercessióne,
da salútem mentis et córporis,
da contínuæ sanctitátis augménta
et tibi semper fac esse devótos.
Per Christum.

12. Adésto, Dómine, plebi tuæ,
quæ in Sanctis tuis te mirábilem proclámat,
et in tua misericórdia confidénti
opem tuæ largitátis impénde.
Per Christum.

13. Esto, quǽsumus, Dómine, propítius plebi tuæ
Sanctórum tuórum vestígiis inhærére eniténti,
ut, de die in diem, quæ tibi non placent réspuens,
tuórum pótius repleátur dilectiónibus mandatórum.
Per Christum.

14. Grátias tibi, omnípotens Deus,
de Sanctórum victória referéntes,
cleméntiam tuam súpplices implorámus,
ut, eórum sustentáti suffrágiis,
in tuis semper láudibus exsultémus.
Per Christum.

15. Advéniat, quǽsumus, Dómine,
misericórdia speráta supplícibus
et Sanctórum précibus cæléstis munificéntia tribuátur,
qua et recte poscénda cognóscant
et postuláta percípiant.
Per Christum.

16. Præsta, Dómine, quǽsumus,
ut, sicut Sanctórum tuórum
nos natalícia celebránda non déserunt,
ita iúgiter suffrágiis comiténtur.
Per Christum.

17. Da nobis, omnípotens et misericors Deus,
ut Sanctórum tuórum natalícia commemorántes,
quorum prædicámus triúmphos,
eórum fidem veráciter imitémur.
Per Christum.

18. Misericórdiam tuam pétimus et rogámus, Deus,
qui Sanctis tuis glóriam in Christo tribuísti,
ut et nos semper benedictióne refícias,
per quam placitúros tibi
in ætérnum effícias coherédes.
Per Christum.

19. Ad humilitátis nostræ preces,
Dómine, placátus inténde
et beatitúdinem cæléstem nobis concéde,
quos tantis Sanctórum præsídiis muníre dignáris.
Per Christum.

20. Præsta nobis, quǽsumus, omnípotens Deus,
Sanctórum tuórum assíduam intercessiónem,
ut, grátia Christi operánte,
eórum quoque ássequi mereámur exémpla.
Per Christum.

21. Custódi, Dómine, fidéles tuos
Christum in suis Sanctis victórem agnoscéntes
et, ut eísdem perpétuam misericórdiam largiáris,
tuo semper nómini fac devótos.
Per Christum.

22. Fámulis tuis, quǽsumus, Dómine, adésto,
et super eos grátiam tuam multíplica,
ut, Sanctórum suffrágium sentiéntes,
ad eórum exémpla assequénda impellántur.
Per Christum.

23. Ecclésiæ tuæ, Dómine, vocem placátus admítte,
ut, Christum in tot Sanctis gloriósum contémplans,
regnum indeféssse annúntiet cælórum.
Per Christum.

24. Omnípotens sempitérne Deus,
qui in Sanctis tuis semper es ubíque mirábilis,
quǽsumus cleméntiam tuam,
ut, sicut illis eminéntem glóriam contulísti,
sic ad consequéndas misericórdias tuas
eórum nos fácias précibus adiuvári.
Per Christum.

25. Sancti tui, quǽsumus, Dómine,
iúgiter nobis a te
et véniam póstulent et proféctum.
Per Christum.

26. Præsta nobis, Dómine, misericórdiam tuam
Sanctórum tuórum suffrágiis implorátam
et, quos intercessóres nostros esse tribuísti,
fac eos et maiestátem tuam iúgiter exoráre
et salutária impetráre pro nobis.
Per Christum.

27. Adésto, Dómine, pópulo tuo
cum Sanctórum patrocínio supplicánti,
ut, quod própria fidúcia non præsúmit,
suffragántium méritis consequátur.
Per Christum.

28. Grátias ágimus, Dómine,
multiplicátis circa nos miseratiónibus tuis,
qui et pascháli Christi mystério nos salvas
et Sanctórum tuórum deprecatióne susténtas.
Per Christum.

29. Véritas domínii tui universális, Deus,
quam Sancti tui in ærúmnis agnovérunt,
spléndeat in corde Ecclésiæ peregrínæ
et fac, ut fidéles tui, quæ sursum sunt sapiéntes,
secúra tibi sérviant libertáte.
Per Christum.

30. Da auxílium, Dómine, quǽsumus,
maiestáti tuæ potestatíque subiéctis
et, quidquid suis méritis non præsúmunt,
Sanctórum tuórum précibus consequántur.
Per Christum.

31. Meménto, Dómine, quǽsumus, condiciónis humánæ,
ut Sancti tui pro nobis
et cleméntiam tuam semper exórent
et incessabíliter audiántur.
Per Christum.

32. Sanctórum tuórum, Dómine, précibus adiuvémur
et, quod possibílitas nostra non óbtinet,
eórum nobis postulatióne donétur.
Per Christum.

33. Omnípotens sempitérne Deus,
qui Sanctórum tuórum nos intercessióne custódis,
præsta, ut, quorum fovémur méritis,
proficiámus piæ confessiónis exémplis.
Per Christum.

34. Prætende nobis, Dómine, misericórdiam tuam,
et Sanctos tuos, quorum nos fecísti patrocíniis adiuvári,
tríbue maiestátem tuam iúgiter exoráre pro nobis.
Per Christum.

35. Pórrige, quǽsumus, déxteram, Dómine, pópulo deprecánti
et, cui tríbuis Sanctórum intercessióne sustentári,
præbe grátiæ tuæ auxílium,
ut, te ductóre confídens, et mala cuncta declínet
et ómnia, quæ bona sunt, apprehéndat.
Per Christum.


36. Sanctórum tuórum intercessiónibus, quǽsumus, Dómine,
grátia tua nos semper prótegat
et christifidélibus vivéntibus atque defúnctis
misericórdiam tuam ubíque prætende.
Per Christum.

CANTUS MARTYROLOGII


CANTUS MARTYROLOGII

Elogium Martyrologii


Martyrologium de more cantatur hoc modo:



Quarto No-nas ia-nu- á-ri- i. Luna ....




To-nus sic flécti-tur, † *et sic fi-ní- tur.*




Pe-rí- o-dus fi-ná-lis lecti- ó-nem sic conclú- dit.

Elogium
In Nativitate Domini


Textus cum cantu



Octá-vo Ka-léndas ia-nu- á-ri- i. Luna ....



Innú-me-ris transáctis sǽ-cu-lis a cre- a-ti- ó-ne mundi,




quando in princí-pi- o De- us cre- á-vit cæ-lum et terram



et hó-mi-nem formá-vit ad i-má-gi-nem su- am; permúltis




é-ti- am sǽ-cu-lis, ex quo post di-lú-vi- um Altíssi-mus in



nú-bi-bus arcum po-sú- e-rat, signum fœ́-de-ris et pa-cis;




a mi-gra-ti- ó-ne A-bra-hæ, pa-tris nostri in fi-de, de Ur




Chaldæ- ó-rum sǽ-cu-lo vi-gé-si-mo pri-mo; ab e-gréssu




pó-pu-li Isra- el de Æ-gýpto, Mó-y-se du-ce, sǽ-cu-lo dé-




ci-mo térti- o; ab uncti- ó-ne Da-vid in re-gem anno cír-



ci-ter mil- lé-si-mo, hebdó-ma-da se-xa-gé-si-ma quinta,




iuxta Da-ni- é- lis pro-phe-tí- am; Olympí- a-de centé-si-ma




nona-gé-si-ma quarta; ab Urbe cóndi-ta anno septingenté-



si-mo quinquagé-si-mo se-cúndo; anno impé-ri- i Cǽ-sa-ris




Octa-vi- á-ni Augústi quadragé-simo se-cúndo; to-to Orbe




in pa-ce compó-si-to, Ie-sus Christus, æ-térnus De- us æ-ter-



ní-que Pa-tris Fí- li- us, mundum vo-lens advéntu su- o




pi- íssi-mo conse-crá-re, de Spí-ri-tu Sancto concéptus,




no-vémque post concepti- ó-nem de-cúrsis ménsi-bus,



in Béthle-hem Iudæ násci-tur ex Ma-rí- a Vírgi-ne factus



ho-mo: Na-tí-vi-tas Dó-mi-ni nostri Ie-su Chri-sti



se-cúndum carnem.

Reliqua elogia huius diei cantantur in tono consueto.

MARTYROLOGIUM ROMANUM

IANUARIUS

Die 1 ianuarii

Kaléndis ianuárii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
2	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
21	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**26**	**27**	**28**	**29**	**30**	**1**

In octáva Nativitátis Dómini et die eius Circumcisiónis, sollémnitas sanctæ Dei Genetrícis Maríæ, quam Patres in Concílio Ephesíno Theotókon acclamavérunt, quia ex ea Verbum carnem assúmpsit et inter hómines habitávit Dei Fílius, princeps pacis, cui Nomen super omne nomen datum est.

2. Cæsaréæ in Cappadócia, deposítio sancti Basilíi, epíscopi, cuius memória crástina die ágitur.

3. In Campánia et Aprútio, commemorátio sancti Iustíni, qui epíscopus celebrátur, zelo et christifidélium defensióne clarus.

4. Romæ, sancti Almáchii, qui, ludis gladiatórum obsístens, Alýpio præfécto Urbi iubénte, ab ipsis gladiatóribus occísus inter victóres mártyres adnumerátus est.

5. Ad montem Iuram in pago Gálliæ Lugdunénsis, commemorátio sancti Eugéndi, abbátis Condatiscénsis, qui iam inde a puerítia in monastério degit, ubi vitam commúnem monachórum omni stúdio promóvit.

6. Ruspis in Byzacéna, sancti Fulgéntii, epíscopi, qui, múnere procuratóris Byzacénæ functus, mónachus evásit; deínde epíscopus efféctus, témpore vandálicæ persecutiónis, ab ariánis multa perpéssus est et in Sardíniam a rege Thrasamúndo bis relegátus. Tandem pópulo suo

restitútus, eum per réliquos vitæ annos veritátis et grátiæ verbo fidéliter nutrívit.

7*. Viénnæ in Burgúndia, sancti Clari, abbátis monastérii Sancti Marcélli, qui religiósæ perfectiónis exémplum mónachis trádidit.

8*. Trecis in Néustria, sancti Frodobérti, fundatóris et primi abbátis monastérii Cellénsis.

9*. In monastério Fiscamnénsi in Normánnia, tránsitus sancti Guliélmi, abbátis Sancti Benígni Divionénsis, qui novíssimis vitæ suæ tempóribus plúrimos mónachos in quadragínta monastériis distribútos fírmiter ac prudénter rexit.

10. Apud Silviníacum in Burgúndia, tránsitus sancti Odilónis, abbátis Cluniacénsis, qui, sevérus in se, in áliis vero dulcis et miséricors, inter belligerántes indútias pro Deo instítuit et, témpore famis, omnímodo afflíctos levávit, dein primus commemoratiónem ómnium fidélium defunctórum postrídie festi Omnium Sanctórum in monastériis suis constítuit.

11. Gablónæ in Bohémia, sanctæ Zdislávæ, matrisfamílias, quæ afflíctis magno solácio fuit.

12*. Gualdi Captaneórum in Umbria, beáti Hugolíni, qui vitam eremíticam duxit.

13*. Romæ, sancti Ioséphi Maríæ Tomasi, presbýteri ex Ordine Clericórum Regulárium vulgo Theatinórum et cardinális, qui, cultus divíni instauratiónem ardénter cúpiens, in perquiréndis edendísque antiquióribus sacræ Litúrgiæ téxtibus et monuméntis totíus fere vitæ tempus exégit atque púeris catechizándis óperam dedit.

14*. Aprilíaci apud Andégavum in Gállia, beatórum fratrum Ioánnis et Renáti Lego, presbyterórum et mártyrum, qui, gállica perturbatióne sæviénte, cum nefárium iusiurándum clero impósitum iuráre recusássent, decolláti sunt.

15*. Romæ, sancti Vincéntii Maríæ Strambi, epíscopi Maceraténsis et Tolentíni, e Congregatióne Passiónis, qui commíssas ipsi diœcéses sancte rexit et ob fidelitátem erga Románum Pontíficem servátam exsílium perpéssus est.

16*. Hasseléti prope Traiéctum Mosæ in Bélgio, beáti Valentíni Paquay, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum, qui in præcatióne, ministério reconciliatiónis et mariális corónæ devotióne mirum christiánæ caritátis prǽbuit exémplum, in spíritu humilitátis e mínimis áttingens summa.

17*. Leópoli in Ucraína, beáti Sigismúndi Gorazdowski, presbýteri, qui, polónus natióne, pietáte erga próximum exímius et óperum ad vitam tuéndam præcúrsor, Institútum Sorórum Sancti Ioseph fundávit, omnímodis in bonum páuperum et derelictórum incúmbens.

18*. Intra castra detentiónis Dacháni prope Monáchium Baváriæ in Germánia, beáti Mariáni Konopiński, presbýteri et mártyris, qui, polónus natióne, atrocitátes a médicis crudéliter irrogátas perpéssus pro Christo Dómino occúbuit.

Die 2 ianuarii

Quarto Nonas ianuárii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
22	23	24	25	26	27	27	28	29	30	1	2

Memória sanctórum Basilíi Magni et Gregórii Nazianzéni, episcopórum et Ecclésiæ doctórum. Basilíus, epíscopus Cæsariénsis in Cappadócia, magnus doctrína et sapiéntia appellátus, meditatiónem Scripturárum laborémque in obœdiéntia et in fratérna caritáte mónachos dócuit, quorum régulis a seípso conféctis ordinávit vitam, egrégiis scriptis fidéles erudívit atque cura pastoráli páuperum et infirmórum enítuit; óbiit die prima ianuárii. Gregórius, amícus eius, epíscopus Sasiménsis, deínde Constantinopolitánus, tandem Nazianzénus, divinitátem Verbi magno cum ardóre defféndit, quam ob rem étiam Theólogus est appellátus. Tantórum doctórum coniúncta memória gaudet Ecclésia.

2. Romæ, depositio sancti Telésphori, papæ, qui, teste sancto Irenǽo, séptimus ab Apóstolis epíscopus constitútus, gloriósum martýrium duxit.

3. In território Coráno miliário trigésimo ab Urbe, sanctórum Argéi, Narcíssi et Marcellíni, mártyrum.

4*. Massíliæ in Província Gálliæ, sancti Theodóri, epíscopi, qui, cum disciplínam ecclesiásticam institúere conátus esset, a Childebérto et Guntrámno régibus multátus est terque in exsílium pulsus.

5*. In monastério Bobiénsi in Æmília, sancti Bladúlphi, presbýteri et mónachi, sancti Columbáni discípuli.

6. Medioláni in Langobárdia, sancti Ioánnis Boni, epíscopi, qui sedem episcopálem, Génuæ éxsulem Langobardórum causa, civitáti suæ restítuit, fide ac bonis móribus Deo et homínibus gratus.

7*. In agro Tutelénsi in Aquitánia, sancti Vincentiáni, eremítæ.

8*. Limeríci in Hibérnia, sancti Mainchíni, qui epíscopus cólitur.

9. In monastério Corbeiénsi in pago Gálliæ Ambianénsi, sancti Adalhárdi, abbátis, qui ómnia ita dispósuit, ut unicuíque satis essent, scílicet nec cuíquam superflúerent nec in vácuum quid períret, sed ad Dei laudem benígne daréntur.

10*. Mauriánæ in Sabáudia, sancti Airáldi, epíscopi, qui, tum in Portárum solitúdine tum in Maurianénsi sede, pastóris prudéntiæ et consílio austeritátem morésque cartusianórum coniúnxit.

11*. Troýnæ in Sicília, sancti Silvéstri, abbátis, sub sanctórum Patrum orientálium disciplína.

12*. Fori Lívii in Æmília, beáti Marcolíni Amanni, presbýteri ex Ordine Prædicatórum, qui in siléntio ac solitúdine, necnon in servítio páuperum et in puerórum cura totam vitam humíllima simplicitáte perdúxit.

13*. Soncíni in Langobárdia, beátæ Stéphanæ Quinzani, vírginis, soróris Tértii Ordinis Sancti Domínici, contemplatióni domínicæ passiónis necnon christiánæ institutióni puellárum assídue déditæ.

14*. Andégavi in Gállia, beatórum Guliélmi Repin et Lauréntii Bâtard, presbyterórum et mártyrum, qui, gállica perturbatióne grassánte, ob fidelitátem erga Ecclésiam cápite truncáti sunt.

15*. In civitáte *Lachine* in Quebecénsi província Cánadæ, beátæ Maríæ Annæ (Maríæ Stellæ) Soureau-Blondin, vírginis, quæ, ad iuventútem usque litterárum ignára, Congregatiónem Sorórum Sanctæ Annæ fundávit pro fíliis agricolárum instituéndis, semper in ministério egrégium præbens exémplum magístræ iuventútis.

Die 3 ianuarii

Tértio Nonas ianuárii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
4	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
23	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**28**	**29**	**30**	**1**	**2**	**3**

Sanctíssimi Nóminis Iesu, in quo solo omne flectátur genu, cæléstium, terréstrium et infernórum, ad glóriam divínæ maiestátis.

2. Romæ in cœmetério Callísti via Appia, depositio sancti Anthéri, papæ, qui, post Pontiánum mártyrem, brevem ténuit episcopátum.

3. Apud Nicomedíam in Bithýnia, sanctórum Theopémpti et Theónæ, qui in persecutióne Diocletiáni imperatóris martýrium obiérunt.

4. Cæsaréæ in Cappadócia, sancti Górdii centuriónis, mártyris, quem sanctus Basilíus verum ǽmulum centuriónis Cruci adstántis laudat, eo quod in Diocletiáni imperatóris persecutióne Iesum Dei Fílium conféssus sit.

5. Patávii in Venétia, commemorátio sancti Daniélis, diáconi et mártyris.

6. Párii in Hellespónto, sancti Theógenis, mártyris, qui, sub Licínio imperatóre inter tirónes ascítus, propter fidem christiánam militáre recúsans, cárceri cruciatibúsque datus est, demum in mare demérsus.

7. Viénnæ in Gállia Lugdunénsi, sancti Floréntii, epíscopi, qui Concílio Iúliæ Valéntiæ hábito intérfuit.

8. Parísiis in Gállia, deposítio sanctæ Genovéfæ, vírginis Nemptodurénsis, quæ quíndecim annos nata, sancto Germáno Autissiodorénsi epíscopo hortánte, vírginum velámen accépit, íncolas civitátis Hunnórum incúrsu extérritos firmávit et concíves témpore famis sustínuit.

9*. Leóntii in Sicília, sancti Luciáni, epíscopi.

10*. In monastério Mannemaménsi in Kérala Indiæ dicióne, beáti Cyríaci Elíæ Chavara, presbýteri, fundatóris Congregatiónis Fratrum Carmelitárum Maríæ Immaculátæ.

Die 4 ianuarii

Prídie Nonas ianuárii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
5	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
24	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**29**	**30**	**1**	**2**	**3**	**4**

1. In Mœsia, sanctórum Hermétis et Caii, mártyrum, quorum alter RetiáriæRatiáriæ, alter Bonóniæ.

2*. Arvérnæ in Aquitánia, sancti Abrúnculi, epíscopi, qui, primum Ecclésiæ Lingonénsi præpósitus, ob Burgundiórum minas nocte fúgiens apud Arvérnos transmigrávit et sancti Sidónii Apollináris sedem occupávit.

3. Divióne in Burgúndia, sancti Gregórii, qui, postquam multos annos múnere cómitis in regióne Augustodunénsi functus erat, epíscopus Lingonénsis ordinátus est.

4*. Ucétiæ in Gállia Narbonénsi, sancti Ferréoli, epíscopi, qui régulam pro mónachis scripsit et, invídia in exsílium pulsus, post tres annos ágnitus ut verus vir Dei, pópulo suo læto ánimo rédditus est.

5*. Meldis in Néustria, sancti Rigoméri, epíscopi.

6. Remis item in Néustria, sancti Rigobérti, epíscopi, qui, contra cánones a Cárolo Martéllo, duce Francórum, a sede expúlsus, vitam in humilitáte egit.

7*. Bruáci ad Scaldim prope Valentiánam in Artésia Néustriæ, sanctæ Pharaíldis, víduæ, quæ, invíta viro violénto nupta, oratiónem et vitæ austeritátem usque ad senectútem ampléxa esse dícitur.

8*. Fulgínii in Umbria, beátæ Angelæ, quæ, cóniuge filiísque vita functis, sancti Francísci vestígia sequens, Deo pénitus se dicávit et altióres vitæ mýsticæ experiéntias libro vitæ suæ concrédidit.

9*. In Sancta Cruce Vallis Arni in Etrúria, beátæ Christiánæ (Oríngæ) Menabuoi, vírginis, quæ monastérium fundávit sub Régula sancti Augustíni.

10*. Dunélmi in Anglia, beáti Thomæ Plumtree, presbýteri et mártyris, qui, sub Elísabeth regína Prima, cápite damnátus propter fidelitátem Ecclésiæ cathólicæ servátam, quóniam láquei pœnam ante patíbulum fórtiter pro vita máluit, eándem súbiit.

11. Emmetsbúrgi in Terra Maríæ e Civitátibus Fœderátis Américæ Septemtrionális, sanctæ Elísabeth Annæ Seton, quæ, vídua effécta, fidem cathólicam proféssa est et puéllis instituéndis necnon paupéribus púeris altendis cum Soróribus a Caritáte Sancti Ioseph, quarum Congregatiónem fundávit, sollértem dedit óperam.

12*. Matríti in Hispánia, beáti Emmanuélis González García, epíscopi, qui, exímius iuxta cor Dómini pastor, sanctíssimæ Eucharístiæ cultum summa cum sedulitáte promóvit et Congregatiónem Sorórum Missionariárum a Názareth fundávit.

Die 5 ianuarii

Nonis ianuárii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
25	26	27	28	29	30	30	1	2	3	4	5

1. Alexandríæ in Ægýpto, sanctæ Syncléticæ, vírginis, quæ vitam eremíticam duxísse narrátur.

2. Carthágine, sancti Deográtias, epíscopi, qui plúrimos a Vándalis captívos ab urbe Roma ductos redémit, quos in duábus amplis basílicis, léctulis atque stramínibus parátis, coadunávit.

3. Romæ, commemorátio sanctæ Æmiliánæ, vírginis, ámitæ sancti Gregórii papæ Magni, quæ, paulo post Tharsíllam sorórem, ad Dóminum migrávit.

4*. In Británnia Minóre, sancti Convoiónis, abbátis, qui Rotóne monastérium Sancti Salvatóris cóndidit, ubi sub eius disciplína et sancti Benedícti Régula mónachi floruérunt pietáte insígnes, et, cœnóbio a Normánnis evérso, apud Plebelánum novum monastérium exstrúxit, ubi octogenárius óbiit.

5. Londínii in Anglia, sancti Eduárdi, cognoménto Confessóris, qui, rex Anglórum pópulo suo propter exímiam caritátem dilectíssimus, regno pacem comparávit atque communiónem cum sede Romána tenáciter promóvit.

6*. Prope Falcobúrgum in regióne Limburgénsi, sancti Gerláci, eremítæ, in paupéribus aléndis insígnis.

7*. Tudérti in Umbria, beáti Rogérii, presbýteri ex Ordine Minórum, qui, discípulus sancti Francísci, fervens eius imitátor fuit.

8*. Andégavi in Gállia, beatórum Francísci Peltier, Iacóbi Ledoyen et Petri Tessier, presbyterórum et mártyrum, qui in gállica perturbatióne, cum sacerdótium fidéles servavíssent, decolláti sunt.

9. Philadelphíæ in Pennsilvánia e Civitátibus Fœderátis Américæ Septemtrionális, sancti Ioánnis Nepomucéni Neumann, epíscopi, e Congregatióne Sanctíssimi Redemptóris, qui migrántes paupertátis causa ope, consílio et caritáte adiúvit et de puerórum christiána institutióne summópere sollícitus fuit.

10*. Génuæ in Itália, beátæ Maríæ Repetto, vírginis, e Soróribus Dóminæ Nostræ a Refúgio in Monte Calvário, quæ, mundo abscóndita, in afflíctis sublevándis dubiísque in spem salútis erigéndis præclára éxstitit.

11*. Eblánæ in Hibérnia, beáti Cároli a Sancto Andréa (Ioánnis Andréæ) Houben, presbýteri e Congregatióne Passiónis, séduli pæniténtiæ sacraménti minístri.

12*. In urbe *Jazlowice* in Ucraína, beátæ Marcellínæ Darowska, quæ, cóniuge et primogénito defúnctis, Deo se dicávit et, de famíliæ dignitáte semper sollícita, ad puéllas instituéndas Congregatiónem fundávit Sorórum ab Immaculáta Conceptióne Beátæ Maríæ Vírginis.

13*. Spoléti in Itália, beáti Petri Bonilli, presbýteri, fundatóris Institúti Sorórum a Sacra Família pro puéllis egénis et paréntibus orbátis adiuvándis atque educándis.

14. Cæsaraugústæ in Hispánia, sanctæ Genovéfæ Torres Morales, vírginis, quæ iam a pueritia vitæ asperitátes expérta et advérsa valetúdine affécta, Institútum Sorórum a Sacratíssimo Corde Iesu et Angelis fundávit, ut muliéribus auxílio essent.

Die 6 ianuarii

Octávo Idus ianuárii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
7	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
26	**27**	**28**	**29**	**30**	**1**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**

Sollémnitas Epiphaníæ Dómini, in qua triplex recólitur magni Dei et Dómini nostri Iesu Christi manifestátio: in

Béthlehem, Iesus infans a magis est adorátus; in Iordáne a Ioánne baptizátus, a Spíritu Sancto unctus et a Deo Patre Fílius vocátus; in Cana Galilǽæ ad núptias aquam in vinum novum mutans glóriam suam manifestávit.

2. Antínoe in Thebáide, sanctórum Iuliáni et Basilíssæ, mártyrum.

3*. Nannétibus in Británnia Minóre, sancti Felícis, epíscopi, qui próprii zeli testimónium concívibus desérviens perhíbuit, ecclésiam cathedrálem ædificávit necnon ruráles gentes continénter evangelizávit.

4*. Herbípoli in Francónia Germániæ, beáti Macárii, abbátis, qui primus monastério Scottórum in hac civitáte prǽfuit.

5. Barcinóne in Cataláunia Hispániæ, sancti Raymúndi de Penyafort, cuius memória crástina die ágitur.

6*. Famagústæ in Cypro ínsula, tránsitus sancti Petri Thomæ, epíscopi Constantinopolitáni, ex Ordine Carmelitárum, qui Románi Pontíficis in Oriénte legáti missióne functus est.

7. Fǽsulis in Etrúria, sancti Andréæ Corsini, epíscopi, ex Ordine Carmelitárum, qui, austeritáte et assídua sanctárum Scripturárum meditatióne insígnis, convéntus peste vastátos restítuit et Ecclésiam suam sapiénter rexit, paupéribus solácium ásferens et dissidéntes reconcílians.

8. Valéntiæ in Hispánia, sancti Ioánnis de Ribera, epíscopi, vices quoque regis geréntis, qui, sanctíssimæ Eucharístiæ cultor et veritátis cathólicæ defénsor, pópulum diutúrnis institutiónibus erudívit.

9. Romæ, sancti Cároli de Sétia, religiósi ex Ordine Fratrum Minórum, qui, inde a pueritia victum cotidiánum sibi comparáre coáctus, cómites ad imitatiónem Christi ac sanctórum inducébat et tandem, ut exoptábat, franciscáli veste indútus ante Sanctíssimum altáris Sacraméntum in adoratiónem se impéndit.

10. Item Romæ, sanctæ Raphaélæ Maríæ a Sacro Corde Porras Aylón, vírginis, quæ Congregatiónem Ancillárum Sacratíssimi Cordis

Iesu instítuit, at mente capta iudicáta in tribulatiónibus et pæniténtia vitam sancte complévit.

11*. Marianópoli in província Quebecénsi Cánadæ, beáti Andréæ (Alaphrídi) Bessette, religiósi e Congregatióne a Sancta Cruce qui insígne sanctuárium in honórem sancti Ioseph ædificándum ibídem curávit.

Die 7 ianuarii

Séptimo Idus ianuárii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
8	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
27	**28**	**29**	**30**	**2**	**2**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**

Sancti Raymúndi de Penyafort, presbýteri ex Ordine Prædicatórum, qui, vir sciéntia cánonum exímius, de sacraménto pæniténtiæ recte ac fructuóse scripsit et, magíster generális eléctus, novam Constitutiónum Ordinis redactiónem apparávit atque in summa senectúte Barcinóne in Hispánia pie in Dómino obdormívit.

2. Meliténe in Arménia, sancti Polyéucti, mártyris, qui, miles edícto Décii imperatóris diis sacrificáre coáctus, simulácra fregit, quaprópter multa passus est torménta, demum decollátus et ipso sánguine suo effúso baptizátus.

3. Nicomedíæ in Bithýnia, pássio sancti Luciáni, Antiochénæ Ecclésiæ presbýteri et mártyris, qui, doctrína et eloquéntia clarus, ante tribúnal addúctus ad contínuas interrogatiónes torméntis adiúnctas se christiánum intrépide confitebátur.

4*. Passáviæ in Nórico, commemorátio sancti Valentíni, epíscopi Rǽtiæ.

5. Pápiæ in Ligúria, sancti Crispíni, epíscopi.

6*. Cúriæ Rhætórum apud Helvétios, sancti Valentiniáni, epíscopi, qui paupéribus ópibus subvénit, pro captívis prétium solvit et nudis vestes lárgiter donávit.

7*. Solemníaci apud Lemóvicum in Aquitánia, sancti Tillónis, qui, discípulus sancti Elígii, faber et mónachus fuit.

8*. Constantinópoli, sancti Cyri, epíscopi, qui, mónachus in Paphlagónia, ad sedem Constantinopolitánam evéctus est, qua póstea eiéctus in exsílio óbiit.

9*. Cenómani in Gállia, sancti Alderíci, epíscopi, qui ad Dei atque sanctórum cultum omni stúdio se cóntulit.

10. In silva apud Ringstádium in Dánia, sancti Canúti, cognoménto Lavard, mártyris, qui, dux Slesvicénsis, iustus et prudens principátum ténuit et pietátem fovit, ab hóstibus auctoritátis suæ ínvidis interféctus.

11*. Panórmi in Sicília, tránsitus beáti Matthǽi Guimerá, epíscopi Agrigentíni, ex Ordine Minórum, Sanctíssimi Nóminis Iesu cultóris et assertóris.

12*. Suzútæ in Iapónia, beáti Ambrósii Fernández, mártyris, qui quæstu et lucro ductus in Oriéntem ábiit, sed in Societátem Iesu religiósus póstea admíssus, multis privatiónibus afflíctus in cárcere pro Christo óbiit.

13. In vico *An Bái* in Tunquíno, sancti Ioséphi Tuân, mártyris, qui, paterfamílias et agrícola, cum ante crucem, quam calcáre iussus erat, genufléxus orávit, decollátus est sub imperatóre Tự Đức.

14*. Leódii in Bélgio, beátæ Maríæ Terésiæ (Ioánnæ) Haze, vírginis, quæ ad servítium debílium et páuperum Congregatiónem Filiárum a Cruce cóndidit.

Die 8 ianuarii

Sexto Idus ianuárii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
28	29	30	1	2	3	3	4	5	6	7	8

1. Hierápoli in Phrýgia, sancti Apollináris, epíscopi, qui sub Marco Aurélio imperatóre doctrína et sanctitáte flóruit.

2. In Líbya, sanctórum mártyrum Theóphili, diáconi, et Helládii, qui primo laniáti ac téstulis peracútis compúncti, demum in ignem coniécti esse dicúntur.

3. Bellóvaci in Gállia Bélgica, sanctórum Luciáni, Maximiáni et Iuliáni, mártyrum.

4. Metis item in Bélgica, sancti Patiéntis, epíscopi.

5. In Nórico Ripénsi, sancti Severíni, presbýteri et mónachi, qui, post Attilæ mortem, Hunnórum príncipis, in hanc provínciam véniens, pópulos inérmes deféndit, feróces mansuefécit, infidéles convértit, monastéria cóndidit et religióne incúltos instrúxit.

6. Pápiæ in Ligúria, sancti Máximi, epíscopi.

7*. In monastério Chozíbæ in Palæstína, sancti Geórgii, mónachi et eremítæ, qui, tota hebdómada reclúsus, domínica die cum frátribus orábat, quos in spiritálibus audiébat omnibúsque suadébat.

8*. In regióne Aberdonénsi Scótiæ, sancti Nathaláni, epíscopi, caritáte erga páuperes insígnis.

9. Ratísbonæ in Bavária, sancti Erhárdi, qui, génere scotus, stúdio Evangélii propagándi flagrans, hanc regiónem petívit, ubi múnere episcopáli functus est.

10*. Morséllæ in Brabántia, sanctæ Gúdilæ, vírginis, quæ in domo sua caritáti et oratióni se cóntulit.

11*. Cassíliæ in Hibérnia, sancti Albérti, epíscopi, angli natióne diúque pro Christo peregríni.

12. Venétiis, sancti Lauréntii Giustiniani, epíscopi, qui hanc Ecclésiam doctrína ætérnæ sapiéntiæ illustrávit.

13*. Novi Castri ad Tinam flumen in Anglia, beáti Eduárdi Waterson, presbýteri et mártyris, qui, sub Elísabeth regína Prima cápite damnátus quod sacérdos Angliam petivísset, patíbulo suspénsus est.

Die 9 ianuarii

Quinto Idus ianuárii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
29	30	1	2	3	4	4	5	6	7	8	9

1. Ancónæ in Picéno Itáliæ, sancti Marcellíni, epíscopi, qui urbem illam, ut sanctus Gregórius papa Magnus scribit, divína virtúte ab incéndio liberávit.

2*. Cantuáriæ in Anglia, sancti Hadriáni, abbátis, qui, in Africa natus, Neápoli Campániæ Angliam pervénit et, lítteris sacris simul et sæculáribus luculénter instrúctus, discipulórum turmam salutári sciéntia erudívit.

3*. In Scótia, sancti Feláni, abbátis monastérii Sancti Andréæ, qui, disciplínæ austeritáte præclárus, in solitúdine vitam exégit.

4*. In monte Olýmpo in Bithýnia, sancti Eustrátii, cognoménto Thaumatúrgi, abbátis monastérii Abgári.

5*. Thenesíaci in pago Pictaviénsi Aquitániæ, sancti Honoráti de Busentíaco, qui, armentórum negotiátor, pecúnia sua páuperes dotábat et a fúribus, quos increpáverat, necátus est.

6*. Certáldi in Etrúria, beátæ Iúliæ della Rena, e Tértio Ordine Sancti Augustíni, quæ angústa in cella prope ecclésiam reclúsa soli Deo vixit.

7*. Ancónæ in Picéno Itáliæ, beáti Antónii Fatáti, epíscopi, qui prudéntem et æquánimum in ómnibus missiónibus a Pontifícibus Románis ipsi créditis, austérum in se, largum vero in páuperes se præbuit.

8*. Nancéii in Gállia, beátæ Maríæ Terésiæ a Iesu (Aléxiæ) Le Clerc, vírginis, quæ cum sancto Petro Fourier, Congregatiónem Canonissárum Regulárium Nostræ Dóminæ, sub Régula sancti Augustíni, ad instituéndas puéllas excitávit.

9. Seuli in Coréa, sanctárum mártyrum Agathæ Yi, vírginis, cuius et paréntes martýrio coronáti sunt, et Terésiæ Kim, víduæ, quæ in cárcere pro Christo íctibus percússæ, demum iugulátæ sunt.

10*. Prope Monáchium Baváriæ in Germánia intra castra detentiónis Dachāni, beatórum Iosēphi Pawłowski et Casimíri Grelewski, presbyterórum et mártyrum, qui, témpore belli, e Polónia invása a persecutóribus fídei deportáti, per suspéndii cruciátum martýrium complevérunt.

Die 10 ianuarii

Quarto Idus ianuárii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
11	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
30	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**

1. Romæ in cœmetério Callísti via Appia, sancti Miltíadis, papæ, qui, ex Africa oriúndus, pacem Ecclésiæ a Constantíno imperatóre rédditam expértus est, sed a sectatóribus Donáti ácriter vexátus ad comparándam concórdiam prudénter incúbuit.

2. In Thebáide, sancti Pauli, eremítæ, monásticæ vitæ inde ab exórdiis cultóris.

3. Nyssæ in Cappadócia, sancti Gregórii, epíscopi, sancti Basilíi Magni fratris, qui, vita et doctrína præclárus, ob rectæ fídei confessiónem sub Valénte imperatóre ariáno e civitáte sua pulsus est.

4. Hierosólymæ, sancti Ioánnis, epíscopi, qui, témpore controvérsiæ de orthodóxa doctrína, magnópere pro cathólica fide et pace Ecclésiæ óperam dedit.

5*. Deæ Vocontiórum in pago Gálliæ Viennénsi, sancti Petrónii, epíscopi, qui prius monásticam vitam in ínsula Lirinénsi dúxerat.

6. Constantinópoli, sancti Marciáni, presbýteri, in ecclésiis ornándis et indigéntibus sublevándis séduli.

7*. Lemóvici in Aquitánia, sancti Valérii, qui solitáriam vitam elégit.

8*. Meliténe in Arménia, sancti Domitiáni, epíscopi, qui pro conversióne Persárum multum conténdit.

9. Romæ apud sanctum Petrum, depositio sancti Agathónis, papæ, qui contra monothelitárum erróres íntegram servávit fidem et unitátem Ecclésiæ sýnodis promóvit.

10*. In pago Vivariénsi ad Rhódanum in Gállia, sancti Arcóntii, epíscopi.

11. In monastério Cusanénsi ad Pyrenǽos saltus, sancti Petri Urséoli, qui, ex Venetiárum duce mónachus efféctus, pietáte et austeritáte cláruit atque in erémo prope monastérium vitam degit.

12*. In monastério Cavénsi in Campánia, beáti Benincásæ, abbátis, qui centum mónachos in Sicíliam destinávit ad Montis Regális cœnóbium nuper exstrúctum, ut illud replérent.

13. Biturígis in Aquitánia, sancti Guliélmi, epíscopi, qui, desidério solitúdinis meditationísque flagrans, mónachus Cisterciénsis Pontiníaci et demum abbas Cadulíaci factus, tandem Ecclésiæ Bituricénsi præpósitus, monásticæ vitæ austeritátem numquam relaxávit et caritáte erga clerum, captívos miserósque enítuit.

14*. Amarántii in Lusitánia, beáti Gundisálvi, presbýteri Bracarénsis, qui post longam in Terram Sanctam peregrinatiónem Ordinem Prædicatórum ingréssus est, deínde in erémum secédens, pontem ædificándum curávit et oratióne prædicationéque áccolis prófuit.

15*. Arétii in Etrúria, tránsitus beáti Gregórii papæ Décimi, qui, ex archidiácono Leodiénsi ad Petri sedem eléctus, communiónem cum Græcis omnímodo fovit et ad christianórum discídia componénda necnon ad Terram Sanctam recuperándam Concílium Œcuménicum Lugdunénse Secúndum convocávit.

16*. Laurentiánæ in Lucánia, beáti Ægídii (Bernardíni) Di Bello, religiósi ex Ordine Fratrum Minórum, qui reclúsus in spelúnca vixit.

17*. Arequípæ in Perúvia, beátæ Annæ ab Angelis Monteagudo, vírginis ex Ordine Prædicatórum, quæ consílii dono et prophetía in bonum totíus civitátis cómiter se cóntulit.

18. Perúsiæ in Itália, sanctæ Francíscæ Salésiæ (Leóniæ) Aviat, vírginis, quæ matérna cum dilectióne industriáque ad óperam iuvénibus præbéndam se devóvit et Oblátas a Sancto Francísco de Sales instítuit.

19*. Matríti in Hispánia, beátæ Maríæ a Dolóribus Rodríguez Sopeña, vírginis, quæ, summum christiánæ caritátis præbens testimónium, ad ínfimos societátis témporis suis, præsértim in subúrbiis maiórum civitátum, própius accéssit et pro evangélio nuntiándo et paupéribus operariísque in re sociáli provehéndis Institútum Dominárum Catechistárum et Opus Doctrinárum excitávit.

Die 11 ianuarii

Tértio Idus ianuárii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
12	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**30**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
1	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**

1. Romæ, sancti Hygíni, papæ, qui octávus beáti Petri cáthedram ténuit.

2. In Africa, sancti Sálvii, mártyris, in cuius natáli sanctus Augustínus sermónem hábuit ad pópulum Carthaginénsem.

3. Tígavæ in Mauretánia, sancti Typásii veteráni, mártyris, qui, ad milítiam revocátus, quia diis sacrificáre nóluit, decollátus est.

4. Cæsaréæ in Palæstína, sancti Petri, cognoménto Apselámi seu Bálsami, mártyris, qui, sub Maximíno imperatóre, sæpe a præside omnibúsque adstántibus rogátus, ut iuventúti suæ párceret, eórum exhortatiónibus negléctis, per ignem, velut aurum puríssimum, fidem in Christum forti ánimo testátus est.

5. Brundúsii in Apúlia, sancti Léucii, qui primus eiúsdem civitátis epíscopus cólitur.

6. Pápiæ in Ligúria, translátio sanctæ Honorátæ, vírginis Deo dicátæ, soróris sancti Epiphánii epíscopi.

7. In erémo Iudǽæ, sancti Theodósii, cœnobiárchæ, qui, sancto Sabæ amícus, post longam solitáriam vitam multos discípulos sibi sócios ascívit et in monastériis a seípso exstrúctis vitam commúnem excóluit, donec multa pro fide cathólica passus centenárius tandem in pace Christi quiévit.

8*. Foroiúlii in Venétia, sancti Paulíni, epíscopi Aquileiénsis, qui ad fidem Avaros et Slovénos convértere conátus est et ad Cárolum Magnum regem carmen de régula fídei præclárum óbtulit.

9*. Cátanæ in Sicília, beáti Bernárdi Scammacca, presbýteri ex Ordine Prædicatórum, qui in egénos præsértim et ægrótos misericórdia enítuit.

10*. Londínii in Anglia, beáti Guliélmi Carter, mártyris, qui, vir nuptus, sub Elísabeth regína Prima ob tractátum de schísmate typis éditum Tybúrni láqueo suspénsus est et dire disséctus.

11. In vico *Bellegra* in Rátio Itáliæ, sancti Thomæ de Cora (Francísci Antónii) Placidi, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum, vitæ austeritáte et prædicatióne præclári ac recéssuum conditóris exímii.

12*. Prope Gedánum in Polónia, beáti Francísci Rogaczewski, presbýteri et mártyris, qui, témpore occupatiónis Polóniæ sub regímine in Deum hostíli, ob fidem plumbis interféctus est.

Die 12 ianuarii

Prídie Idus ianuárii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
2	3	4	5	6	7	7	8	9	10	11	12

1. Cæsaréæ in Mauretánia, sancti Arcádii, mártyris, qui, témpore persecutiónis látitans, cum propínquus eius vicem captus esset, sponte iúdici se trádidit ac diis sacrificáre rénuit, quaprópter acerbíssima supplícia passus martýrium consummávit.

2. Constantinópoli, sanctórum mártyrum Tígrii, presbýteri, et Eutrópii, lectóris, qui, témpore Arcádii imperatóris, cum de incéndio, quo ecclésia princeps et senátus cúria conflagráverant, tamquam per eos ad exsílium sancti Ioánnis Chrysóstomi ulciscéndum excitáto, per calúmniam accusáti essent, sub præfécto urbi Optáto, inánium deórum superstitióne implícito et christiánæ religiónis osóre, passi sunt.

3*. Areláte in Província Gálliæ, sanctæ Cæsáriæ, abbatíssæ, soróris sancti Cæsárii epíscopi, qui pro eádem eiúsque soróribus Régulam sanctárum vírginum scripsit.

4*. Gratianópoli in Burgúndia, sancti Ferréoli, epíscopi et mártyris, quem ad plebem prædicántem ímpii sicárii íctibus interfecérunt.

5. Viremúdæ in Northúmbria, sancti Benedícti Biscop, abbátis, qui, quínquies Romam peregrinátus, secum in pátriam magístros et libros multos détulit, ut intra monastérii clausúram mónachi sub Régula sancti Benedícti congregáti proféctu sciéntiæ suæ eminéntem revéra Christi caritátem pro Ecclésia lucraréntur.

6*. In monastério Rievallénsi item in Northúmbria, sancti Ælrédi, abbátis, qui, in regis Scótiæ aula educátus, in Ordinem Cisterciénsem ingréssus est et, conversatiónis monásticæ magíster exímius, vitam spiritálem et amicítiam in Christo gestis scriptísque instánter ac suáviter promóvit.

7*. Legióne in Hispánia, sancti Martíni de Sancta Cruce, presbýteri et canónici reguláris, Sacrárum Scripturárum viri vere períti.

8. Panórmi in Sicília, sancti Bernárdi de Corileóne, ex Ordine Fratrum Minórum Capuccinórum, mirábili caritáte et pæniténtia præclári.

9. Marianópoli in província Quebecénsi Cánadæ, sanctæ Margarítæ Bourgeoys, vírginis, quæ colónis militibúsque levámen omnímodo áttulit et pro puéllis christiána institutióne erudiéndis máximas impéndit curas, quaprópter Congregatiónem Sorórum a Nostra Dómina fundávit.

10*. Aprilíaci apud Andégavum in Gállia, beáti Antónii Fournier, mártyris, qui, ártifex, témpore gállicæ perturbatiónis, propter fidelitátem Ecclésiæ servátam plumbis cæsus est.

11*. Cadómi in Gállia, beáti Petri Francísci Jamet, presbýteri, qui, in religiósas Fílias Boni Salvatóris adiuvándas sive magnæ perturbatiónis témpore sive post pacem Ecclésiæ restitútam omni stúdio incúbuit.

12. Viarégii in Itália, sancti Antónii Maríæ Pucci, presbýteri ex Ordine Servórum Maríæ, qui, fere quinquagínta annos párochus, ad púeros curándos enísus est egestáte vel morbo circumvéntos.

13*. In vico *Tomhom* prope Bangkókium in Thailándia, beáti Nicolái Bunkerd Kitbamrung, presbýteri et mártyris, qui, Evangélii præco exímius, témpore persecutiónis contra Ecclésiam in cárcerem trusus, in ægrótis adiuvándis ipse phthisi corréptus glorióse occúbuit.

Die 13 ianuarii

Idibus ianuárii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
14	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**30**	**1**	**2**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
3	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**

Sancti Hilárii, epíscopi et Ecclésiæ doctóris, qui, ad sedem Pictaviénsem in Aquitánia evéctus, sub Constántio imperatóre ariánæ hǽresi addícto scriptis fidem nicǽnam de Trinitáte ac de Christi divinitáte strénue propugnávit, quaprópter quadriénnium in Phrýgiam relegátus est. Commentária quoque celebérrima in Psalmos necnon in Matthǽi Evangélium conf écit.

2. Singidúni in Mœsia, sanctórum Hermýlii et Stratoníci, mártyrum, qui post sæva torménta sub Licínio imperatóre in Istrum flumen demérsi sunt.

3. Tréviris in Gállia Bélgica, sancti Agrícii, epíscopi, qui palátium a sancta Hélena dono datum in ecclésiam convértit.

4. Remis item in Bélgica, deposítio sancti Remígii, epíscopi, qui, post Clodovéum regem sacro baptísmatis fonti et fídei sacraméntis initiátum, Francórum gentem ad Christum convértit et, annis ultra sexagínta in episcopátu exáctis, sanctitáte conspícuus e vita decéssit.

5*. Glasguæ in Scótia, sancti Kentigérni, epíscopi et abbátis, qui ibídem sedem suam constítuit et magnam monachórum congregatiónem secúndum formam primǽvæ Ecclésiæ instituísse narrátur.

6. Capitolíadi in Batánea, sancti Petri, presbýteri et mártyris, qui, coram Walid Saracenórum príncipe accusátus quod fidem Christi per vias palam docéret, lingua manibúsque et pédibus amputátus et cruci affíxus martýrium, quod ardénter appetíerat, consummávit.

7. Córdubæ in Vandalícia Hispániæ regióne, sanctórum mártyrum Gumesíndi, presbýteri, et Servidéi, mónachi, qui, cum ante Mauros

príncipes iudicésque se christiános proféssi essent, ob Christi fidem occubuérunt.

8*. In monastério Ilbenstadénsi in Germánia, sancti Godefrídi, qui, comes Capenbergénsis, bonis invítis, ipsum castrum suum in monastérium mutári vóluit et, hábitu canonicáli assúmpto, egénis et infírmis strénuam navávit óperam.

9*. Prope Hóium in pago Leodiénsi, sanctæ Iuttæ, quæ, vídua, ad leprósos curándos se cóntulit, tandem prope eos reclúsa vitam degit.

10*. Medioláni in Langobárdia, beátæ Verónicæ de Binásco Negroni, vírginis, quæ monastérium Sanctæ Marthæ sub Régula sancti Augustíni ingréssa, ad altíssimam se cóntulit contemplatiónem.

11. In urbe *Nam Định* in Tunquíno, sanctórum mártyrum Domínici Phạm Trọng (Án) Khảm, Lucæ (Cai) Thìn, eiúsdem fílii, et Ioséphi Phạm Trọng (Cai) Tả, qui sub imperatóre Tự Đức, torménta mortémque subíre maluérunt quam crucem calcáre.

12*. Intra castra detentiónis Dach// Dacháni prope Monáchium Baváriæ in Germánia, beáti Æmílii Szramek, presbýteri et mártyris, qui, polónus natióne, in tempestáte belli hunc in campum inhumáne ob Christi fidem coram persecutóribus defénsam deportátus est et torméntis excruciátus occúbuit.

Die 14 ianuarii

Décimo nono Kaléndas februárii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
4	5	6	7	8	9	9	10	11	12	13	14

1. Commemorátio sancti Potíti, mártyris, qui Sárdicæ in Dácia multa passus, demum gládio martýrium consecútus esse narrátur.

2. Antiochíæ in Sýria, sancti Glycérii, diáconi et mártyris.

3. Nolæ in Campánia, sancti Felícis, presbýteri, qui, ut sanctus Paulínus refert, persecutiónibus furéntibus, in cárcerem coniéctus acerbíssima sustínuit torménta et, pace tandem conciliáta, inter suos rédiit in paupertáte secédens ad senéctam usque, conféssor fídei invíctus.

4. Commemorátio sanctórum monachórum, qui Raíthi et in monte Sina ob Christi fidem interfécti sunt.

5. Apud Hibéros ultra Pontum Euxínum, sanctæ Ninónis, quæ, capta christiána, ob vitæ suæ sanctimóniam tantam adépta est reveréntiam et admiratiónem ómnium, ut regínam ipsam, cuius filíolum suis précibus sanáverat, regem et univérsam gentem suam ad Christi fidem allíceret.

6*. Apud Gábalos in Gállia, sancti Firmíni, epíscopi.

7*. Arvérnæ in Aquitánia, sancti Euphrásii, epíscopi, cuius sanctus Gregórius Turonénsis laudat hospitalitátem.

8. Medioláni in Ligúria, depositío sancti Dátii, epíscopi, qui in controvérsia de Tribus Capítulis Vigílii papæ senténtiam defféndit, quem Constantinópolim comitátus est, ubi de vita decéssit.

9*. Astígi in Bǽtica, sancti Fulgéntii, epíscopi, cui, fratri sanctórum Leándri, Isidóri et Florentínæ, Isidórus tractátum « De offíciis ecclesiásticis » dicávit.

10*. Taliacótii in Aprútio, beáti Odónis Novariénsis, presbýteri ex Ordine Cartusianórum.

11*. Utini in Venétia, beáti Odoríci de Portu Naónis Mattiuzzi, presbýteri ex Ordine Minórum, qui, per quas Tartarórum, Indórum Sinensiúmque regiónes progréssus est usque ad Sinárum príncipem urbem *Kambalik*, eásdem Evangélii prædicatióne longe latéque perlústrans multos ad Christi fidem perdúxit.

12*. Batáviæ in Surinámia, beáti Petri Donders, presbýteri e Congregatióne Sanctíssimi Redemptóris, qui indeféssa caritáte leprosórum tam córporum quam animárum curam egit.

Die 15 ianuarii

Décimo octávo Kaléndas februárii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
5	6	7	8	9	10	10	11	12	13	14	15

1. Anágniæ in Látio, sanctæ Secundínæ, vírginis et mártyris.

2. Constantinópoli, sancti Ioánnis Calybítæ, qui, ut fertur, aliquámdiu in patérnæ domus recéssu, dein in «kalýba», scílicet tugúrio, habitávit, totus contemplatióni déditus et e conspéctu ipsórum paréntum ábditus, a quibus post mortem tantum ágnitus est ex Evangeliórum códice áureo, quem fílio déderant.

3*. In monastério *Clúain Credal* in Hibérnia, sanctæ Itæ, vírginis eiúsdem monastérii fundatrícis.

4. Reáte in Sabína, commemorátio sancti Probi, epíscopi, cuius elógium sanctus Gregórius papa Magnus fecit.

5. Glannafólii ad Lígerim in território Gálliæ Andegavénsi, sancti Mauri, abbátis.

6*. In pago Ruthenénsi item in Gállia, sanctæ Tarsíciæ, vírginis et mártyris.

7*. Haméti in Brabántia, sancti Ablebérti seu Emebérti, epíscopi Cameracénsis.

8*. Carnúti in Néustria, sancti Malárdi, epíscopi.

9*. In valle Anauniénsi in agro Tridentíno, sancti Romédii, anachorétæ, qui, bonis suis Ecclésiæ allátis, vitam pæniténtem duxit in erémo adhuc nómine suo appelláto.

10. Lugdúni in Gállia, tránsitus sancti Boníti, epíscopi Arvernórum, qui, præféctus Massíliæ ad episcopátum in locum sancti Avíti fratris sui evéctus, decem post annis múnere abdicáto, in Magnilocénsi cœnóbio degit et, Roma peregrínus rédiens, Lugdúni óbiit.

11*. Armi prope Rhégium Iúlii in Calábria, sancti Arsénii, eremítæ, qui oratióne et austeritáte enítuit.

12*. Apud Fanum Sancti Ægídii in Província, beáti Petri de Castronóvo, presbýteri et mártyris, qui, in monastérium Cisterciénse Fontis Frígidæ ingréssus, ab Innocéntio papa Tértio ad pacem evangelizándam et ad fidem in Província instruéndam deputátus, ab hæréticis láncea transfóssus occúbuit.

13*. Plebe in Umbria, beáti Iacóbi, cognoménto Eleemosynárii, qui, iuris perítus, advocátum páuperum et oppressórum se præbuit.

14*. In território Gualdénsi item in Umbria, beáti Angeli, eremítæ.

15. In urbe *Fu'an* provínciæ *Fujian* in Sinis, sancti Francísci Fernández de Capillas, presbýteri ex Ordine Prædicatórum et mártyris, qui, cum nomen Christi in ínsulas Philippínas et in *Fujian* portásset, ibídem in persecutióne Tartarórum diu in custódiam coniéctus est et tandem cápite obtruncátus.

16. In vico *Steyl* in Nederlándia, sancti Arnóldi Janssen, presbýteri, qui ad fidem in missiónibus propagándam Societátem Verbi Divíni fundávit.

17*. Berolíni in Germánia, beáti Nicolái Gross, patrisfamílias et mártyris, qui, ad rem sociálem pénitus inténtus, nefário regímini humánæ dignitáti ac religióni infénso omnímodo óbstitit, ut nihil contra Dei mandáta ágeret, quaprópter in cárcerem coniéctus per suspéndii cruciátum victóriæ Christi párticeps factus est.

Die 16 ianuarii

Décimo séptimo Kaléndas februárii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
6	7	8	9	10	11	11	12	13	14	15	16

1. Romæ in cœmetério Priscíllæ via Salária Nova, depositio sancti Marcélli Primi, papæ, qui, ut sanctus Dámasus refert, verídicus pa-

stor, a lapsis dire vexátus pæniténtiam ab ipso statútam spernéntibus et tyránno flagitióse delátus, e pátria pulsus exsul óbiit.

2*. Aulóne in Illýrico, sancti Danáctis, mártyris.

3. Rhinocorúræ in Ægýpto, sancti Melæ, epíscopi, qui, sub Valénte imperatóre ariáno exsílium pro fide orthodóxa passus, in pace quiévit.

4. Areláte in Província Gálliæ, sancti Honoráti, epíscopi, qui in ínsula Lirinénsi monastérium celebérrimum instítuit et Arelaténsis Ecclésiæ régimen suscépit.

5*. Tarantásiæ in Gállia Viennénsi, sancti Iacóbi, epíscopi, discípuli sancti Honoráti Lirinénsis.

6. Opitérgii in Venétia, sancti Titiáni, epíscopi.

7*. In agro Turonénsi Gálliæ Lugdunénsis, commemorátio sancti Leobátii, abbátis, qui, a magístro suo sancto Urso cœnóbio Senapáriæ nuper cóndito præpósitus, in summa sanctitáte et senectúte perdurávit.

8*. In pago Dumbénsi territórii Lugdunénsis in Gállia, sancti Triviéri, presbýteri, mónachi tandémque eremítæ.

9. Macerácii ad Althéiam flúvium in Gállia, sancti Fúrsei, abbátis primum in Hibérnia, exínde in Anglia, dein in Gállia, ubi monastérium Latiniacénse cóndidit.

10*. Bálnei in Flamínia, sanctæ Ioánnæ, vírginis, quæ, in Ordinem Camalduléensium recépta, obœdiéntia máxime ac humilitáte refúlsit.

11. Apud urbem Maróchium in Mauretánia, pássio sanctórum mártyrum Berárdi, Othónis, Petri, presbyterórum, Accúrsii et Adiúti, religiosórum, ex Ordine Minórum, qui a sancto Francísco ad Christi Evangélium musulmánis nuntiándum missi, Híspali comprehénsi, mox Maróchium dedúcti, Maurórum príncipis iussu gládio cæsi sunt.

12*. Cándii in Taprobáne ínsula Océani Indici, beáti Iosépphi Vaz, presbýteri e Congregatióne Oratórii, qui admirábili ardóre in laboriósis per campos itinéribus cathólicos disseminátos et ábditos indefésse in fide confirmávit atque Evangélium salútis sédulo prædicávit.

13*. Bríxiæ in Itália, beáti Ioséphi Antónii Tovini, qui, magíster, plures instítuit scholas christiánas et ópera pública ædificánda curávit, semper, in quæ gessit negótia, documénta oratiónis ac virtútum ásferens.

14*. Valéntiæ in Hispánia, beátæ Ioánnæ Maríæ Condesa Lluch, vírginis, quæ sollérti caritátis ac sacrifícii amóre ad ínopes, púeros et iúvenes operárias adiuvándos húmili labóris stúdio se trádidit, pro quorum tutéla atque institutióne Congregatiónem Ancillárum ab Immaculáta Conceptióne Protectrícum Operariárum fundávit.

Die 17 ianuarii

Sexto décimo Kaléndas februárii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
18	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**30**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
7	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**

Memória sancti Antónii, abbátis, qui, paréntibus orbátus, evangélica excípiens præcépta ómnia bona distríbuit paupéribus et in solitúdinem apud Thebáidem in Ægýpto recéssit, ubi vitam ascéticam ágere cœpit, Ecclésiæ roborándæ óperam navávit, fídei confessóres in persecutióne Diocletiáni imperatóris sústinens, et sanctum Athanásium contra ariános fulsit. Tantos vero hábuit discípulos, ut pater monachórum vocarétur.

2. In Cappadócia, sanctórum Speusíppi, Elasíppi, Melasíppi, fratrum, et eórum áviæ Leoníllæ, mártyrum.

3. In Osrhoéne, commemorátio sancti Iuliáni, ascétæ, a vernáculis Sabæ, id est senis, cognomináti, qui, licet civitátis strépitus detestátus sit, diléctam solitúdinem ad tempus relíquit, ut Antiochíæ ariánæ hǽresis sectatóres sédulo confúnderet.

4. Deæ Vocontiórum in Gállia Lugdunénsi, sancti Marcélli, epíscopi, qui, defénsor civitátis, ob cathólicam fidem servátam ab Eoríco rege ariáno in exsílium pulsus est.

5. Apud Biturígas in Aquitánia, sancti Sulpícii, cognoménto Pii, epíscopi, qui, ex aula régia ad episcopátum promótus, nihil cárius hábuit quam curam gérere páuperum.

6*. In Bavária, beáti Gamelbérti, presbýteri, qui bona sua Uthóni, quem de sacro fonte suscéperat, trádidit, ut monastérium Metheménse fundarétur.

7*. Apud Forum Iúlii in Província Gálliæ, sanctæ Rosselínæ, priorísssæ Cellæ Robáudi Ordinis Cartusiénsis, quæ abnegatióne sui, cibi somníque ieiúnio et austeritáte enítuit.

8. In civitáte *Tocolatlán* in México, sancti Ianuárii Sánchez Delgadillo, presbýteri et mártyris in persecutióne mexicána.

Die 18 ianuarii

Quinto décimo Kaléndas februárii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
19	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**30**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
8	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**

1. Carthágine, sanctórum mártyrum Succéssi, Pauli et Lúcii, episcopórum, qui Concílio in hac civitáte hábito interfuérunt et sub Décio imperatóre passi sunt.

2. Nicǽæ in Bithýnia, sanctórum Coscónii, Zenónis et Melaníppi, mártyrum.

3. Apud Fuxum in Gállia Narbonénsi, tránsitus sancti Volusiáni, epíscopi Turonénsis, qui, a Gothis captus, in exsílio Deo spíritum réddidit.

4. Romæ, commemorátio sanctæ Priscæ, sub cuius nómine basílica in colle Aventíno Deo dedicáta est.

5. In monastério Lutrénsi in Burgúndia, sancti Deícoli, abbátis, qui, natióne hibérnus et sancti Columbáni discípulus, cœnóbium illud condidísse fertur.

6*. Ferráriæ in Æmília, beátæ Beatrícis Esténsis, moniális, quæ, cóniuge defúncto et principátu sǽculi abdicáto, Deo in monastério ab ipsa sub Régula sancti Benedícti fundáto se dicávit.

7. Apud Budam in Hungária, sanctæ Margarítæ, vírginis, quæ, fília Belæ regis Quarti, a paréntibus pro pátriæ liberatióne a Tártaris Deo vota et infans moniálibus Ordinis Prædicatórum trádita, adhuc duodénnis professióne religiósa ita Dómino totam se cóntulit, ut Christo crucifíxo ímpigre studúerit assimilári.

8*. Cremónæ in Langobárdia, beáti Fácii, qui, áurifex, ex pátria Veronénsi huc migrávit, pæniténtiæ, peregrinatiónibus et ægrotórum solámini magnópere déditus.

9*. Morbínii in Alpibus, beáti Andréæ de Piscária Grego, presbýteri ex Ordine Prædicatórum, qui pédibus totam regiónem diu peragrávit, parce vivens iuxta páuperes et ómnium ánimos fratérne sibi concílians.

10*. Aquilæ in Aprútio, beátæ Christínæ (Matthíæ) Ciccarelli, vírginis ex Ordine Sancti Augustíni.

11*. Braunsbérgæ in Borússia, beátæ Regínæ Protmann, vírginis, quæ, amóre páuperum capta, in egenórum servítium magnópere incúbuit et Congregatiónem Sorórum Sanctæ Catharínæ fundávit.

12*. Aprilíaci apud Andégavum in Gállia, beatárum Felicitátis Pricet, Mónicæ Pichery, Cárolæ Lucas et Victóriæ Gusteau, mártyrum, quæ, gállica perturbatióne sæviénte, in ódium christiánæ religiónis plumbis cæsæ sunt.

13*. Cássiæ in Itália, beátæ Maríæ Terésiæ (Maríæ Ioánnæ) Fasce, abbatíssæ monastérii Ordinis Sancti Augustíni, quæ ascésim ac contemplatiónem cum opéribus summópere coniúnxit erga peregrínos et indigéntes conficiéndis.

Die 19 ianuarii

Quarto décimo Kaléndas februárii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
9	10	11	12	13	14	14	15	16	17	18	19

1. Smyrnæ in Asia, pássio sancti Germánici, mártyris Philadelphíæ, qui, témpore Marci Antoníni et Lúcii Aurélii imperatórum, sancti Polycárpi discípulus fuit, quem in martýrio præcéssit, cum, primævæ ætátis venustáte florénte a iúdice damnátus, Dei virtúte metum corpóreæ suæ fragilitátis exclúdens béstiam ipsi parátam sponte provocávit.

2. Apud Spolétum in Umbria, sancti Pontiáni, mártyris, qui, témpore Antoníni imperatóris, pro Christo vehementíssime virgis cæsus esse tráditur, tandem gládio transfóssus.

3. Via Cornélia miliário tértio décimo ab urbe Roma in cœmetério ad Nymphas, sanctórum Márii, Marthæ, Audífacis et Abaci, mártyrum.

4. Commemorátio sancti Macárii Magni, presbýteri et abbátis monastérii Scetis in Ægýpto, qui, mundo sibíque mórtuus, Deo soli vivébat, quod étiam suos docébat.

5. Commemorátio sancti Macárii, cognoménto Alexandríni, presbýteri et abbátis apud montem Scetim in Ægýpto.

6. Laude Pompéia in Ligúria, commemorátio sancti Bassiáni, epíscopi, qui, ut gregem suum ab arianórum hæresi ibídem adhuc vigénte defénderet, una cum sancto Ambrósio Mediolanénsi strénue decertávit.

7. Comi in Langobárdia, sanctárum Liberátæ et Faustínæ, sorórum et vírginum, quæ monastérium Sanctæ Margarítæ condidérunt.

8*. In pago Dorcasíno apud Carnútum in Néustria, sancti Launomári, abbátis monastérii Corbionénsis, quod in Pértici solitúdine fundávit.

9. Ravénnæ in Flaminia, sancti Ioánnis, epíscopi, qui dum bello langobárdico tota quatiebátur Itália, Ecclésiæ necessitátibus óptime provídit, sancto Gregório papa Magno teste, qui ad eum librum Régulæ pastorális misit.

10*. Rothómagi in Néustria, sancti Remígii, epíscopi, Pippíni regis fratris, qui sollérti indústria psalmódiæ cantum more románo modulári curávit.

11*. Corcýræ in Grǽcia, sancti Arsénii, epíscopi, qui pastor fuit ovíli inténtus et orationi noctúrnæ assíduus.

12*. Híspali in Hispánia, beáti Marcélli Spínola y Maestre, epíscopi, qui ad societátem humánam provehéndam círculos operariórum cóndidit, pro veritáte et æquitáte propugnávit et domum suam egénis apéruit.

Die 20 ianuarii

Idibus ianuárii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
3	4	5	6	7	8	8	9	10	11	12	13

Sancti Fabiáni, papæ et mártyris, qui láicus ad pontificátum divínitus est vocátus, et fídei ac virtútis gloriósum præbens exémplum, in persecutióne Décii imperatóris passus est; de eiúsdem agóne gratulátur sanctus Cypriánus quod in regénda Ecclésia irreprehensíbile illustréque testimónium perfecísset. Eius corpus Romæ via Appia in cœmetério Callísti hac die depósitum est.

Sancti Sebastiáni, mártyris, qui, ex Mediolános oriúndus, ut refert sanctus Ambrósius, Romam proféctus est, quando persecutiónes acérbæ fervébant, ibíque passus est; ítaque in Urbe, quo hospes advénerat, domicílium immortalitátis perpétuæ obtínuit. Eius deposítio item Romæ ad Catacúmbas hac eádem die evénit.

3. Apud Antínoen in Thebáide, sancti Asclæ, mártyris, qui coram prǽside minas non tímuit, cum maior ei formído Christum contémnere esset, et post vária torménta in flumen præcipitátus est.

4. Nicǽæ in Bithýnia, sancti Neóphyti, mártyris.

5. In Palæstína, sancti Euthýmii, abbátis, qui, natióne arménus et ab infántia Deo consecrátus, Hierosólymam pétiit et, plúrimis annis in solitúdine exáctis, ad extrémum vitæ usque firmus et álacer in humilitáte et caritáte, observántia disciplínæ clarus óbiit.

6. Vigórniæ in Anglia, sancti Wulfstáni, epíscopi, qui, e claustro hanc ad sedem episcopálem evéctus, monásticos mores cum zelo pastoráli coniúnxit, summam impéndens curam in parœ́cias visitándas, in ecclesiárum erectiónem incitándam, in lítteras fovéndas, necnon in venalícia exprobránda.

7*. Coltibóni in Etrúria, beáti Benedícti Ricasoli, eremítæ e Congregatióne Vallis Umbrósæ.

8*. In Fínnia, sancti Henríci, epíscopi et mártyris, qui, in Anglia natus, Upsaliénsem Ecclésiam suscépit regéndam omni stúdio in Finnos evangelizándos incúmbens; crudéliter tandem ab homicída trucidátus est, quem iuxta ecclesiásticam disciplínam corrígere conátus erat.

9. Messánæ in Sicília, sanctæ Eustóchii Calafato, vírginis, abbatíssæ ex Ordine Sanctæ Claræ, quæ ad prístinam vitæ reguláris disciplínam restaurándam et Christi sequélam e sancti Francísci more fovéndam omni stúdio se cóntulit.

10. Seuli in Coréa, sancti Stéphani Min Kŭk-ka, mártyris, qui, catechísta, in cárcere pro fide christiána iugulátus est.

11*. Casáureæ prope Neápolim in Campánia Itáliæ, beátæ Maríæ Christínæ ab Immaculáta (Adalhéidis) Brando, vírginis, quæ vitam suam in puerórum christiánam institutiónem cóntulit et Congregatiónem Sorórum Victimárum Expiatrícum a Iesu Sacraménto fundávit, qua adoratiónem sanctæ Eucharístiæ valde suscitávit.

12*. In monastério Montis Sancti Bernárdi apud Licéstriam in Anglia, beáti Cypriáni (Michaélis) Iwene Tansi, presbýteri ex Ordine

Cisterciénsi, qui, in território Onitsháno Nigériæ natus, adhuc puer, invíta família, christiánam fidem proféssus est et sacérdos ordinátus magna cum sedulitáte pastoráli curæ se cóntulit, donec mónachus efféctus sancta morte sanctam vitam consummáre méruit.

Die 21 ianuarii

Duodécimo Kaléndas februárii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
11	12	13	14	15	16	16	17	18	19	20	21

Memória sanctæ Agnétis, vírginis et mártyris, quæ, adhuc puélla, Romæ suprémum fídei óbtulit testimónium et títulum castitátis martýrio consecrávit; nam et ætátem vicit et tyránnum, amplíssimam apud gentes admiratiónem acquisívit, plus étiam maiórem apud Deum glóriam cumulávit. Hac die depositio córporis celebrátur.

2. Commemorátio sancti Públii, epíscopi Athenárum, qui Christo martýrii testimónium dedit

3. Tarracóne in Hispánia Citerióre, pássio sanctórum mártyrum Fructuósi, epíscopi, Augúrii et Eulógii, eius diaconórum, qui, sub Valeriáno et Galliéno imperatóribus, post fídei confessiónem coram Æmiliáno procuratóre in amphitheátrum addúcti sunt, ubi, prece ab epíscopo fidélibus adstántibus clara voce pro pace Ecclésiæ adhíbita, flammis iniécti et génibus nixi deprecántes martýrium complevérunt.

4. Trecis in Gállia Lugdunénsi, sancti Pátrocli, mártyris.

5. Pápiæ in Ligúria, sancti Epiphánii, epíscopi, qui, témpore incursiónum barbarórum, de populórum reconciliatióne, de captívis rediméndis necnon de civitáte ipsa evérsa reficiénda summópere laborávit.

6. In móntibus circa lacum Turicénsem apud Helvétios, sancti Meginrádi, presbýteri, qui, cœnobíticæ primum, dein eremíticæ vitæ inténtus, a latrónibus interféctus est.

7*. In monte Mercúrio in Lucánia, sancti Zacharíæ, Angélici nuncupáti, magístri cœnobíticæ conversatiónis.

8*. Londínii in Anglia, beatórum Eduárdi Stransham et Nicolái Wheeler, presbyterórum et mártyrum, qui, sub Elísabeth regína Prima propter sacerdótium cápite damnáti, Tybúrni martýrium subiérunt.

9. Londínii in Anglia, sancti Albáni Roe, ex Ordine Sancti Benedícti, et beáti Thomæ Green, presbyterórum et mártyrum, qui, sub Cárolo rege Primo, alter post septem et decem annos in cárcere peráctos, alter post quattuórdecim, iam senectúte conf̀écti simul pro Christo Tybúrni patíbulo suspénsi sunt.

10*. In monastério Beniganiménsi in pago Valentíno Hispániæ, beátæ Ioséphæ Maríæ a Sancta Agnéte, vírginis ex Ordine Discalceatárum Sancti Augustíni.

11*. Valle Guidónis in Gállia, beatórum presbyterórum Ioánnis Baptístæ Turpin du Cormier et trédecim sociórum,[1] mártyrum, qui ob strénuam Ecclésiæ cathólicæ fidelitátem in gállica perturbatióne cápite truncáti sunt.

12. In pago *Daegu* in Coréa, sancti mártyris Ioánnis Yi Yun-il, qui, paterfamílias, agrícola et catechísta, superátis verbéribus membrorúmque luxatióne, constans in christiána fide permánsit et æquo ánimo cápitis abscissióne martýrium adéptus est, última magnæ persecutiónis in hac natióne patrátæ víctima.

[1] Quorum nomina: beati Ioannes Baptista Triquerie, ex Ordine Fratrum Minorum Conventualium; Ioannes Maria Gallot, Iosephus Pellé, Renatus Ludovicus Ambroise, Iulianus Franciscus Morvin de la Gérardière, Franciscus Duchesne, Iacobus André, Andreas Duliou, Ludovicus Gastineau, Franciscus Migoret Lambardière, Iulianus Moulé, Augustinus Emmanuel Philippot, Petrus Thomas.

Die 22 ianuarii

Undécimo Kaléndas februárii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
12	13	14	15	16	17	17	18	19	20	21	22

Sancti Vincéntii, diáconi Cæsaraugustáni et mártyris, qui in persecutióne Diocletiáni imperatórisǽ cárceres, famem, ecúleum laminásque candéntes perpéssus, Valéntiæ in Hispánia Carthaginénsi invíctus ad martýrii prǽmium evolávit in cælum.

2. Item commemorátio sancti Valérii, epíscopi Cæsaraugustáni in Hispánia Tarraconénsi, qui Concílio Illiberitáno Primo intérfuit et, una cum sancto Vincéntio Valéntiam dedúctus, in exsílium pulsus est.

3. Nováriæ in Ligúria, sancti Gaudéntii, qui primus illíus sedis epíscopus habétur.

4. Sergiópoli in Pérside, pássio sancti Anastásii, mónachi et mártyris, qui post plúrima torménta, quæ in Cæsaréa Palæstínæ perpéssus erat, a Chósroe Persárum rege multis pœnis afféctus, post septuagínta sócios, prope flumen suffocátus et cápite truncátus est.

5*. In monastério Romanénsi ad Isaram flumen in Alpibus, deposítio sancti Barnárdi, epíscopi Viennénsis, qui, cum e Cároli Magni imperatóris milítia ad milítiam Christi se contulísset, opes a patre accéptas in páuperes erogávit et duo exstrúxit cœnóbia, Ambroniacénse et Romanénse, ubi vitæ cursum exégit.

6. Soræ in Látio, sancti Domínici, abbátis, qui monastéria váriis in Itáliæ regiónibus cóndidit aliáque suo reformatiónis spíritu ad regulárem vitam réddidit.

7*. Pisis in Etrúria, beátæ Maríæ Mancini, quæ, bis viduáta omníque orbáta prole, adhortánte sancta Catharína Senénsi, vitam commúnem in monastério Sancti Domínici instítuit, cui decem annos prǽfuit.

8*. Comi in Langobárdia, beáti Antónii della Chiesa, presbýteri ex Ordine Prædicatórum, qui in nonnúllis Ordinis convéntibus vitam regulárem restítuit, humánam fragilitátem indulgéntia prósequens et firmitáte eméndans.

9*. Londínii in Anglia, beáti Guliélmi Patenson, presbýteri et mártyris, qui, sub Elísabeth regína Prima propter sacerdótium cápite damnátus, étiam in cárcere sex secum deténtos Ecclésiæ reconciliávit et postrémo Tybúrni ferro disséctus martýrium complévit.

10. In Tunquíno, sanctórum Francísci Gil de Federich et Matthǽi Alonso de Leziniana, presbyterórum ex Ordine Prædicatórum et mártyrum, qui, regnánte Trịnh Doanh, post constántem et in vínculis ipsis peráctam Evangélii prædicatiónem, gládio percússi gloriósam pro Christo mortem obiérunt.

11. Romæ, sancti Vincéntii Pallotti, presbýteri, fundatóris Societátis Apostolátus Cathólici, qui scriptis operibúsque ómnium in Christo baptizatórum vocatiónem ad óperam pro Ecclésia náviter erogándam incitávit.

12*. Burdígalæ in Gállia, beáti Guliélmi Ioséphi Chaminade, presbýteri, qui, zelo pastorali in occúlto diu audácter exército, fidéles láicos pro beátæ Maríæ Vírginis cultu et missiónibus éxteris promovéndis congregáre stúduit, quaprópter et Institútum Filiárum a María Immaculáta et Societátem Maríæ fundávit.

13*. In pago *Junín* Andárum in Argentína, beátæ Lauræ Vicuña, vírginis, quæ, in urbe Sancti Iacóbi in Chília nata, alúmna in Institúto Maríæ Auxiliatrícis, pro matris conversióne tértio décimo ætátis anno vitam Deo óbtulit.

14*. In Parvo Castéllo Gardæ in Itália, beáti Iosépni Nascimbeni, presbýteri, fundatóris Institúti Parvárum Sorórum a Sacra Família.

15*. Vindóbonæ in Austria, beáti Ladislái Batthyány-Strattmann, qui, paterfamílias, tum in família cum in civíli societáte vitæ et óperum sanctitáte evangélium testíficans, médici nomen et dignitátem vero christiáno more cóluit et magna cum caritáte óperam ægrótis assidéndo navávit, pro quibus valetudinária fundávit, ubi, omni vanitáte neglécta, páuperes inopésque tantum excipiébat.

Die 23 ianuarii

Décimo Kaléndas februárii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
13	14	15	16	17	18	18	19	20	21	22	23

1. Cæsaréæ in Mauretánia, sanctórum mártyrum Severiáni et Aquilæ, cóniugum, qui igne combústi sunt.

2. Romæ via Nomentána in cœmetério Maióre, sanctæ Emerentiánæ, mártyris.

3. Ancýræ in Galátia, sanctórum Cleméntis, epíscopi, et Agathángeli, mártyrum.

4*. Theáni in Campánia, commemorátio sancti Amásii, epíscopi.

5. Toléti in Hispánia, sancti Hildephónsi, epíscopi, qui, mónachus et cœnóbii rector, antístes eléctus est atque plúrimos luculentióre sermóne scripsit libros, preces litúrgicas insígnes exarávit et miro devotiónis zelo beátam Maríam Dei Genetrícem et semper Vírginem excóluit.

6*. Domnipétræ in território Bisuntíno in Burgúndia, sancti Maimbódi, qui, natióne hibérnus, peregrínus efféctus et eremíta, a latrónibus occísus esse tráditur.

7. Seuli in Coréa, sancti Andréæ Chong (Tyong) Hwa-gyŏng, catechístæ et mártyris, qui, sancto epíscopo Lauréntio Imbert auxílium præstans, domum suam refúgium christianórum fecit, quaprópter íctibus sæve cæsus est ac tandem in cárcere láqueo interémptus.

Die 24 ianuarii

Nono Kaléndas februárii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
25	**26**	**27**	**28**	**29**	**30**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
14	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**

Memória sancti Francísci de Sales, epíscopi Genevénsis et doctóris Ecclésiæ, qui, verus pastor animárum, ad communiónem cathólicam plúrimos fratres ab ea seiúnctos addúxit, devotiónem amorémque Dei scriptis christiános edócuit atque Ordinem Visitatiónis cum sancta Ioánna de Chantal instítuit; Lugdúni vero in humilitáte degens ánimam Deo réddidit die duodetrigésima decémbris et hac die Annécii depósitus est.

2. Fulgínii in Umbria, sancti Feliciáni, qui primus epíscopus huius regiónis habétur.

3. In pago Trecénsi in Gállia Lugdunénsi, sancti Sabiniáni, mártyris.

4. Antiochíæ in Sýria, pássio sancti Bábylæ, epíscopi, qui, in persecutióne Décii imperatóris, postquam frequénter passiónibus suis ac cruciátibus glorificáverat Deum, gloriósum vitæ finem sortítus est in férreis vínculis, quibúscum corpus suum et sepelíri mandávit. Cum eo étiam passi referúntur púeri tres, scílicet Urbánus, Prilidánus et Epolónus, quos ille in Christi fide instrúxerat.

5. Cínguli in Picéno Itáliæ, sancti Exsuperántii, epíscopi.

6*. Bináci prope Mediolánum in Langobárdia, beátæ Paulæ Gambara Costa, víduæ, quæ, Tértio Ordini Sancti Francísci adscrípta, violéntum cóniugem patiénter tolerávit et ad conversiónem duxit atque caritátem in páuperes semper insígniter exércuit.

7*. Londínii in Anglia, beatórum mártyrum Guliélmi Ireland, presbýteri e Societáte Iesu, et Ioánnis Grove, eius fámuli, qui, sub Cárolo

rege Secúndo proditiónis crímine falso insimuláti, Tybúrni pro Christo martýrium subiérunt.

8*. In vico *Sainville* in pago Gálliæ Carnuténsi, beátæ Maríæ Poussepin, vírginis, quæ ad pastóres animárum adiuvándos, ad puéllas erudiéndas necnon ad egénos ægrotósque iuvándos Institútum Sorórum Dominicárum a Caritáte a Præsentatióne Beátæ Maríæ Vírginis fundávit.

9*. In vico *Pratulin* in pago Siedlecénsi Polóniæ, beatórum Vincéntii Lewoniuk et duódecim sociórum,[2] mártyrum, qui, nec minis nec illécebris commóti, ab Ecclésia cathólica discédere noluérunt ac dénique parœciæ suæ claves trádere respuéntes inérmes occísi sunt vel ad mortem vulneráti.

10*. Romæ, beáti Timóthei (Ioséphi) Giaccardo, presbýteri, qui in Pia Societáte a Sancto Paulo plúrimos instítuit discípulos ad mundo Evangélium nuntiándum, opportúnis adhíbitis communicatiónis sociális instruméntis.

Die 25 ianuarii

Octávo Kaléndas februárii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
15	16	17	18	19	20	20	21	22	23	24	25

Festum Conversiónis sancti Pauli, Apóstoli, cui, apud Damáscum cum iter fáceret, adhuc spirans minis et cæde in discípulos Dómini, ipse Iesus in via se gloriósum revelávit eúmque elégit, ut, Spíritu Sancto replétus, Evangélium salútis in géntibus nuntiáret, pro Christi nómine multa pátiens.

[2] Quorum nomina: beati Daniel Karmasz, Lucas Bojko, Bartholomæus Osypiuk, Onuphrius Wasiluk, Philippus Kiryluk, Constantinus Bojko, Michael Nicephorus Hryciuk, Ignatius Franczuk, Ioannes Andrzejuk, Constantinus Łubaszuk, Maximus Hawryluk, Michael Wawrzyszuk.

2. Commemorátio sancti Ananíæ, qui, discípulus Dómini, Damásci Paulum convérsum baptizávit.

3*. Putéolis in Campánia, sancti Arthématis, mártyris.

4. Carthágine, sancti Agiléi, mártyris, in cuius die natáli in ipsíus basílica sanctus Augustínus tractátum de eo ipso ad pópulum hábuit.

5. Naziánzi in Cappadócia, natális sancti Gregórii, epíscopi, cuius memória die secúnda ianuárii ágitur.

6. Commemorátio sancti Bretanniónis, epíscopi Tomitáni in Scýthia, qui sub Valénte imperatóre ariáno, cui fórtiter réstitit, mira sanctitáte et zelo cathólicæ fídei flóruit.

7. Tabennési in Thebáide Ægýpti, sancti Palæmonis, anachorétæ, qui, oratióni austeritatibúsque assíduis déditus, magíster fuit sancti Pachómii.

8. Arvérnæ in Aquitánia, sanctórum Præiécti, epíscopi, et Amaríni, viri Dei, qui ambo a procéribus eiúsdem urbis trucidáti sunt.

9. Marciánæ in Flándria, sancti Poppónis, abbátis Stabulénsis et Malmundariénsis, qui in multis monastériis Lotharíngiæ observántiam Cluniacénsem diffúdit.

10*. Ulmæ in Suévia Germániæ, beáti Henríci Suso, presbýteri ex Ordine Prædicatórum, qui moléstias et ægritúdines innúmeras patiénter tolerávit, tractátum de ætérna sapiéntia compósuit et suavíssimum nomen Iesu assídue prædicávit.

11*. Amándulæ in Picéno Itáliæ, beáti Antónii Migliorati, presbýteri ex Ordine Eremitárum Sancti Augustíni.

12*. Mántuæ in Langobárdia, beátæ Archángelæ (Eleonóræ) Girlani, vírginis ex Ordine Carmelitárum, prioríssæ convéntus Parménsis et cœnóbii Mantuáni fundatrícis.

13*. Dertósæ in Hispánia, beáti Emmanuélis Domingo y Sol, presbýteri, qui Societátem Sacerdótum Operariórum ad vocatiónes sacerdotáles fovéndas instítuit.

14*. Alexandríæ in Itália, beátæ Maríæ Antóniæ (Terésiæ) Grillo, religiósæ, quæ, vídua effécta, necessitátes páuperum miséricors suscépit et, ómnibus, quæ habébat, vénditis, Congregatiónem Parvárum Sorórum a Divína Providéntia instítuit.

15*. Intra castra detentiónis Dacháni prope Monáchium Baváriæ in Germánia, beáti Antónii Świadek, presbýteri et mártyris, qui, belli témpore, in fide defendénda coram sectatóribus doctrinárum humánam omnem et christiánam dignitátem denegántium immarcescíbilem accépit corónam.

Die 26 ianuarii

Séptimo Kaléndas februárii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
16	17	18	19	20	21	21	22	23	24	25	26

Memória sanctórum Timóthei et Titi, episcopórum, qui, discípuli sancti Pauli Apóstoli et adiutóres eius in apostolátu, alter Ecclésiæ Ephesínæ, alter vero Creténsi prǽfuit; quibus inscríptæ sunt epístulæ, quæ sapiéntes præbent admonitiónes pro pastórum et fidélium institutióne.

2. Hippóne Régio in Numídia, sancti Theógenis, mártyris, de quo sanctus Augustínus sermónem hábuit.

3. Apud Béthlehem Iudæ, dormítio sanctæ Paulæ, víduæ, quæ, e nobilíssimo senatórum génere, sǽculo renuntiávit et, ópibus paupéribus distribútis, cum beáta vírgine Eustóchio, fília sua, ad præsépe Dómini se recépit.

4*. Hierosólymæ, sanctórum Xenofóntis et Maríæ eorúmque filiórum Ioánnis atque Arcádii, qui, senatória dignitáte amplissimísque possessiónibus abdicátis, monásticam vitam in Civitáte Sancta pari animórum ardóre proféssi esse narrántur.

5*. Cistércii in Burgúndia, sancti Alberíci, abbátis, qui inter primos mónachos Molisménses ad Novum Monastérium venit, quod dein abbas eléctus rexit, omni stúdio et cura ad institúta monachórum enítens tamquam verus Régulæ et fratrum amátor.

6*. Nidarósiæ in Norvégia, sancti Augustíni (Eystein) Erlandssön, epíscopi, qui Ecclésiam ipsi commíssam, quam valde contra príncipes defféndit, summa cum sedulitáte auxit.

7*. Andégavi in Gállia, beátæ Maríæ de la Dive, mártyris, quæ, vídua effécta, in gállica perturbatióne propter fidelitátem Ecclésiæ servátam decolláta est.

8*. Prope Monáchium Baváriæ in Germánia, beáti Michaélis Kozal, epíscopi auxiliáris Vladislaviénsis et mártyris, qui pro fídei defensióne et Ecclésiæ libertáte sub nefário regímine nazistárum tres annos invícta patiéntia in campo exítii intra castra detentiónis Dacháni relegátus est, donec martýrium consummávit.

Die 27 ianuarii

Sexto Kaléndas februárii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
17	18	19	20	21	22	22	23	24	25	26	27

Sanctæ Angelæ Merici, vírginis, quæ primum Tértii Ordinis Sancti Francísci hábitum sumpsit et puéllas congregávit, quas in opéribus caritátis instrúeret, dein, sanctæ Ursulæ nómine, Ordinem instítuit mulíerum, cui munus commísit vitæ perféctæ in mundo coléndæ et adulescéntulas in viis Dómini instituéndi; Bríxiæ demum in Langobárdia réddidit ánimam.

2. Soræ in Látio, commemorátio sancti Iuliáni, mártyris, qui témpore Antoníni imperatóris passus esse narrátur.

3. Apud Cenómanum in Gállia Lugdunénsi, sancti Iuliáni, qui eiúsdem urbis primus epíscopus habétur.

4*. Mariánæ in ínsula Córsica, commemorátio sanctæ Devótæ, vírginis et mártyris.

5. In monastério Bodacénsi in agro Gálliæ Sistariénsi, sancti Márii, abbátis.

6. Romæ apud sanctum Petrum, deposítio sancti Vitaliáni, papæ, qui salúti Anglórum peculiári stúdio consúluit.

7*. Ternodóri in Burgúndia, tránsitus sancti Theodoríci, epíscopi Aurelianénsis, qui ad límina Apostolórum iter agens e vita decéssit.

8*. Apud Carnútum in Gállia, tránsitus sancti Gilduíni, diáconi Dolénsis in Británnia Minóre, qui, adhuc aduléscens epíscopus eléctus, tantum honórem coram sancto Gregório papa Séptimo útpote indígnus réspuit et, Roma dein revértens, in fínibus huius regiónis fébribus corréptus terrénam perfécit peregrinatiónem.

9*. Taruánnæ item in Gállia, beáti Ioánnis, epíscopi, qui, canónicus reguláris, sedem Morinénsem suscépit, in qua trigínta ámplius annos simoníacis óbstitit et octo monastéria tam canonicórum quam monachórum fundávit.

10*. Ripæ Sancti Vitális prope Cómum in Langobárdia, beáti Manfrédi Settala, presbýteri et eremítæ.

11*. Andégavi in Gállia, beátæ Rosalíæ du Verdier de la Sorinière, vírginis in monastério Calvárii eiúsdem civitátis et mártyris, quæ, gállica perturbatióne sæviénte, in ódium christiánæ religiónis cápitis damnáta est.

12. Prope *Mengo* in Ugánda, pássio sancti Ioánnis Maríæ, propter ánimi maturitátem Muzei seu Senis cognomináti, qui, regis fámulus, christiánus factus e persecutióne effúgere nóluit, sed sponte coram primo regis Mwenga adminístro Christi fidem proféssus est, quare cápite obtruncátus occúbuit, última huius persecutiónis víctima.

13. In óppido *Gilet* in Valéntia Hispániæ província, sancti Henríci de Ossó y Cervelló, presbýteri, qui, ad puellárum institutiónem pro-

vehéndam Societátem Sanctæ Terésiæ fundávit, ex qua póstea amótus, in convéntu Fratrum Minórum réliquos vitæ annos exégit.

14*. Káunæ in Lithuánia, beáti Geórgii Matulaitis, epíscopi Vilnénsis ac dein missi apostólici in Lithuánia, qui Congregatiónem Clericórum Marianórum atque Congregatiónem Sorórum Páuperum ab Immaculáta Conceptióne Beátæ Maríæ Vírginis fundávit.

Die 28 ianuarii

Quinto Kaléndas februárii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
29	**30**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
18	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**

Memória sancti Thomæ de Aquíno, presbýteri ex Ordine Prædicatórum et Ecclésiæ doctóris, qui, summis intelléctus donis prǽditus, oratiónibus et scriptis exímiam sapiéntiam suam áliis trádidit. Ad Concílium Œcuménicum Lugdunénse Secúndum ab ipso beáto Gregório papa Décimo vocátus iter fáciens, in monastério Fossænóvæ in Látio die séptima mártii óbiit et multis post annis hac die corpus eius Tolósam translátum est.

2. In monastério Reomǽnsi apud Língones in Néustria, sancti Ioánnis, presbýteri, viri Deo devóti, qui mónachos sub Régula sancti Macárii congregávit.

3. Commemorátio sancti Iacóbi, eremítæ in Palæstína, qui pæniténtiæ causa diu in sepúlcro látuit.

4. Conchæ Valériæ in Nova Castélla Hispániæ, sancti Iuliáni, epíscopi, qui, secúndus antístes post recuperátam a Mauris civitátem Ecclésiam illustrávit, in páuperes bona Ecclésiæ érogans et ópera mánuum victum cotidiánum sibi cómparans.

5*. Apud Sanctum Frediánum prope Pisas in Etrúria, beáti Bartholomǽi Aiutamicristo, religiósi ex Ordine Camaldulénsium.

6*. In vico *Plévin* in Británnia Minóre Gálliæ regióne, beáti Iuliáni Maunoir, presbýteri e Societáte Iesu, qui tam in pagis et vicis quam in úrbibus huius províncíæ quadragínta duos annos missiónibus totum se devóvit.

7. In urbe *Maokou* províncíæ *Guizhou* in Sinis, sanctórum Agathæ Lin Zhao, vírginis, Hierónymi Lu Tingmei et Lauréntii Wang Bing, mártyrum, qui, catechístæ, sub imperatóre Wenzongxian ut christiáni deláti sunt et demum cápite truncáti.

8. In urbe *Daijiazhuang* in província *Shandong* meridionáli Sinárum, sancti Ioséphi Freinademetz, presbýteri e Societáte a Verbo Divíno, qui ad opus evangelizatiónis in hac regióne indefésse adlaborávit.

9*. In civitáte *Picassent* in pago Valentíno Hispániæ, beátæ Maríæ Aloýsiæ Montesinos Orduña, vírginis et mártyris, quæ, persecutióne erga fidem sæviénte, per martýrium victóriæ Christi párticeps facta est.

10*. In campo detentiónis óppidi *Kharsk* prope Tomíscum in Sibiriána Rússiæ província, beátæ Olýmpiæ (Olgæ) Bidà, vírginis e Congregatióne Sorórum Sancti Ioseph et mártyris, quæ in regímine persecutiónis erga fidem pro Christi amóre ómnia tolerávit advérsa.

Die 29 ianuarii

Quarto Kaléndas februárii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
19	20	21	22	23	24	24	25	26	27	28	29

1. Edéssæ in Osrhoéne, sanctórum mártyrum Sarbélii, presbýteri, et Bebáiæ, soróris eius, qui a sancto Barsimǽo epíscopo ad baptísmum ducti et pro Christo passi esse ferúntur.

2. Romæ via Nomentána in cœmetério Maióre, sanctórum mártyrum Pápiæ et Mauri, mílitum.

3. Perúsiæ in Umbria, sancti Constántii, epíscopi.

4. Antiochíæ in Sýria, sanctórum Iuventíni et Maximíni, mártyrum, qui sub Iuliáno imperatóre Apóstata martýrio coronáti sunt.

5. Tréviris in Gállia Bélgica, sancti Valérii, epíscopi, qui secúndus hanc sedem ténuit.

6. Prope Antiochíam in Sýria, sancti Aphraátis, anachorétæ, qui, apud Persas natus atque institútus, magórum vestígia pérsequens in Béthlehem ad Dóminum se convértit et Edéssam petens in domúnculam extra mœnia se recépit, Antiochíæ demum cathólicam fidem advérsus ariános prædicatióne et scriptis defféndit.

7*. In Británnia Minóre, sancti Gildæ, cognoménto Sapiéntis, abbátis, qui de excídio Británniæ scripsit, pópuli sui calamitátes plorans ac príncipum clerique pravitátem íncrepans, et Rhuvigiénse monastérium in prospéctu maris condidísse et in ínsula Horáta obiísse fertur.

8. Apud Bituígas in Aquitánia, sancti Sulpícii Sevéri, epíscopi, e senatóribus Galliárum, cuius sapiéntiam, pastorálem curam et instaurándæ disciplínæ stúdium sanctus Gregórius Turonénsis laudávit.

9*. Floréntiæ in Etrúria, beátæ Villánæ de Bottis, matrisfamílias, quæ, a vita mundána descíscens, hábitum Sorórum de Pæniténtia Sancti Domínici impetrávit atque Christi crucifíxi meditatióne et austéra vivéndi ratióne enítuit, stipem pro paupéribus étiam in viis mendícans.

10*. In urbe Bialostocénsi in Polónia, beátæ Boleslávæ Maríæ Lament, vírginis, quæ inter rerum publicárum mutatiónes Congregatiónem Sorórum Missionariárum a Sacra Família cóndidit pro unitáte christianórum fovénda, derelíctis adiuvándis, necnon puéllis christiáne instituéndis.

Die 30 ianuarii

Tértio Kaléndas februárii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
20	21	22	23	24	25	25	26	27	28	29	30

1. Hierosólymæ, sancti Matthíæ, epíscopi, qui, multa pro Christo perpéssus, demum in pace quiévit.

2. Edéssæ in Osrhoéne, sancti Barsimǽi, epíscopi, qui pro Christi fide sub Décio imperatóre verbéribus afféctus esse refértur, sed, exácta persecutióne, e cárcere dimíssus réliquum vitæ tempus in Ecclésiæ ipsi commíssæ régimen summam impendísse óperam.

3. Romæ, commemorátio sanctæ Martínæ, sub cuius título Donus papa basílicam in foro románo dedicávit.

4. Calæ ad Mátronam in pago Gálliæ Parisiénsi, sanctæ Bathíldis, quæ, regína, cœnóbia sub Régula sancti Benedícti ex more Luxoviénsi fundávit, post cóniugis Clodovéi Secúndi mortem Francórum regni gubernácula suscépit et, fílio regnánte, novíssimos annos sub íntegra religiónis régula conversáta est.

5. Malbódii in Néustria, sanctæ Aldegúndis, abbatíssæ, témpore Dagobérti regis.

6. Pápiæ in Langobárdia, sancti Armentárii, epíscopi, qui corpus sancti Augustíni, a rege Liutprándo translátum, sollémniter in basílica Sancti Petri in Cælo Aureo repósuit.

7. Pássio sancti Theóphili, cognoménto Iúvenis, mártyris, qui præféctus classis christianórum, ab hóstibus apud Cyprum captus et ad ‘Arun suprémum Saracenórum príncipem perdúctus, cum nec donis nec minis ut Christum negáret flecti posset, gládio cæsus est.

8*. Burgis in Vétere Castélla Hispániæ regióne, sancti Adelélmi, abbátis, qui sacéllum Sancti Ioánnis una cum xenodochío in formam monastérii convértit.

9*. Eblánæ in Hibérnia, tránsitus beáti Francísci Taylor, mártyris, qui, paterfamílias, septem annos cárcerem propter fidem cathólicam perpéssus, tribulatiónibus et senectúte corréptus sub Iacóbo rege Primo martýrium complévit.

10. Vitérbii in Túscia, sanctæ Hyacínthæ Mariscotti, vírginis e Tértio Ordine Reguléri Sancti Francísci, quæ, quíndecim annos in inánibus delectaméntis versáta, aspérrimam ampléxa est conversatiónem et confraternitátes excitávit ad senes consolándos et ad sanctam Eucharístiam adorándam.

11*. Augústæ Taurinórum in Subalpínis, beáti Sebastiáni Valfré, presbýteri e Congregatióne Oratórii, qui in páuperes, infírmos et deténtos in carcéribus adiuvándos se totum impéndit et amicítia enixáque caritáte multos ad Christum perdúxit.

12. Seuli in Coréa, sancti mártyris Pauli Hŏ Hyŏb, qui, miles, propter fídei professiónem comprehénsus et cruciátibus afféctus, víribus deficiéntibus, labi visus est, sed cum pænituísset, statim coram iúdice fidem Christi confirmávit, quare post diutúrnum cárcerem íctibus fractus occúbuit.

13. In Tunquíno, sancti Thomæ Khuông, presbýteri et mártyris, qui, in persecutióne Tự Đức imperatóris christiánum se esse invícto ánimo proféssus, in custódiam tráditus est et ante crucem génibus nixus secúri interféctus.

14. Guadalaxáræ in México, sancti Dávidis Galván, presbýteri et mártyris, qui in persecutióne mexicána, quod sanctitátem matrimónii vindicavísset, a mílite sine iudício plumbis cæsus gloriósam corónam adéptus est.

15*. Malónnæ in Bélgio, sancti Muciáni Maríæ (Aloýsii) Wiaux, fratris Scholárum Christianárum, qui totam fere vitam summa constántia ac perpétua alacritáte in educándos iúvenes incúbuit.

16*. In monastério Sancti Benedícti de Maretíolo item in Bélgio, beáti Colúmbæ (Ioséphi) Marmion, qui, in Hibérnia natus, sacerdótio auctus et abbas in Ordine Sancti Benedícti dein efféctus, ut cœnóbii pater et animárum ductor sanctitáte vitæ, spiritáli doctrína et eloquéntia enítuit.

17*. In vico *Torrent* in Hispánia, beátæ Carmélæ García Moyón, mártyris, quæ, férvida doctrínæ christiánæ præcéptrix, in persecutióne religiósa ob Christi fidem violáta et adhuc viva concremáta est.

18*. In civitáte *Gdeszyn* in Polónia, beáti Sigismúndi Pisarski, presbýteri et mártyris, qui in bello ob fidem ante persecutóres mínime abdicátam apud parœciam loci plumbis occísus est.

Die 31 ianuarii

Prídie Kaléndas februárii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
2	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
21	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**26**	**27**	**28**	**29**	**30**	**1**

Memória sancti Ioánnis Bosco, presbýteri, qui pueritiam egit ásperam et, sacérdos ordinátus, in adulescéntium institutiónem omnes vires cóntulit atque Societátem Salesiánam ac, sancta María Domínica Mazzarello adiuvánte, Institútum Filiárum Maríæ Auxiliatrícis fundávit, pro iuventúte ártibus et christiána vita instruénda. Augústæ Taurinórum in Itália hac die, multis in eo perféctis opéribus, pie ad dapes ætérnas migrávit.

2. Corínthi in Achája, sanctórum mártyrum Victoríni, Victóris, Nicéphori, Cláudii, Diodóri, Serapiónis et Pápiæ, qui sub Décio imperatóre váriis supplíciis martýrium complevísse narrántur.

3. Commemorátio sancti Metráni, mártyris Alexandríæ in Ægýpto, quem adstántes sub Décio imperatóre, cum, pagánis iubéntibus, ímpia verba proférre noluísset, feróciter collisérunt et extra urbem lapídibus oppréssum intereme̍runt.

4. Item Alexandríæ, sanctórum mártyrum Cyri et Ioánnis, qui pro confessióne Christi, post multa torménta, cápite truncáti sunt.

5. Mútinæ in Æmília, sancti Geminiáni, epíscopi, qui Ecclésiam suam ab arianórum erróre ad orthodóxam fidem duxit.

6. In Pérside, pássio sancti Abrahæ, epíscopi Arbelénsis, qui sub Sápore rege Persárum, cum solem adoráre iussus renuísset, decollátus est.

7. Novériæ in Ligúria, sancti Iúlii, presbýteri.

8. Romæ, commemorátio sanctæ Marcéllæ, víduæ, quæ, ut sanctus Hierónymus tradit, ópibus et nobilitáte contémptis, paupertáte et humilitáte nobílior facta est.

9*. Fernæ in Hibérnia, sancti Mædhoc seu Aidáni, epíscopi, qui ibídem cœnóbium fundávit et máxima cláruit austeritáte.

10*. In território Constantiénsi in Néustria, sancti Waldi, epíscopi Ebroicénsis.

11*. Monte Sancti Victóris prope Rangvílam in Bavária meridionáli, sancti Eusébii, qui, in Hibérnia natus, pro Christo peregrinátus est et, mónachus in cœnóbio Sancti Galli efféctus, dénique eremíta evásit.

12*. Romæ, beátæ Ludovícæ Albertoni, quæ, fíliis christiánis móribus pie institútis, post viri óbitum, Tértio Ordini Sancti Francísci adscrípta, paupéribus auxílium áttulit, ex dívite paupérrima facta.

13. Neápoli in Campánia, sancti Francísci Xavérii Maríæ Bianchi, presbýteri ex Ordine Clericórum Regulárium Sancti Pauli, qui, donis mýsticis prǽditus, multos secum addúxit ad vitam sub Evangélii grátia agéndam.

14. In Coréa, sanctórum mártyrum Augustíni Pak Chŏng-wŏn, catechístæ, et quinque sociórum,[3] qui, plúribus tolerátis supplíciis, impávida fortitúdine christiánam fidem that proféssi sunt et cápitis abscissióne Deum glorificavérunt.

[3] Quorum nomina: sancti Petrus Hong Pyŏng-ju, catechista; Maria Yi In-dŏg, virgo; Magdalena Son So-byŏg, Agatha Yi Kyŏng-i, Agatha Kwŏn Chin-i.

FEBRUARIUS

Die 1 februarii

Kaléndis februárii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
22	23	24	25	26	27	27	28	29	30	1	2

1. In Phrýgia, commemorátio sancti Tryphónis, mártyris.

2. Ravénnæ in Flamínia, sancti Sevéri, epíscopi.

3. Augústæ Tricastinórum in pago Gálliæ Viennénsi, sancti Pauli, epíscopi, a quo cívitas dein nomen sumpsit.

4. Kildáriæ in Hibérnia, sanctæ Brígidæ, abbatíssæ, quæ unum ex primis monastériis huius ínsulæ fundávit et opus evangelizatiónis a sancto Patrício inchoátum prosecúta esse fertur.

5*. Augústæ Prætóriæ in Alpibus Graiis, sancti Ursi, presbýteri.

6*. Anícii in Aquitánia, sancti Agrippáni, epíscopi et mártyris, qui Roma ad fines Velacórum revértens ab idolórum sectatóribus interféctus esse fertur.

7*. Metis in Austrásia, sancti Sigisbérti regis Tértii, qui monastéria Stabulénse, Malmundariénse ac multa ália constrúxit et in ecclésias pauperésque liberáliter eleemósynas erogávit.

8*. In urbe *Ciruelos* in Nova Castélla Hispániæ regióne, sancti Raymúndi, abbátis Fiteriénsis, qui Ordinis de Calatráva institútor et rei christiánæ propugnátor insígnis éxstitit.

9*. In civitáte Sancto Maclóvio in Británnia Minóre, sancti Ioánnis, epíscopi, qui, vir miræ austeritátis et iustítiæ, sedem episcopálem Alethénsem eódem tránstulit et a sancto Bernárdo commendátus est, ut epíscopum páuperem, paupéribus amícum et paupertátis amatórem se præbéret.

10*. Parísiis in Gállia, beáti Regináldi Aurelianénsis, presbýteri, qui, Romam tránsiens, sancti Domínici verbis ánimo captus, Ordinem Prædicatórum ingréssus est, ad quem virtútum exémplo et ignito elóquio plúrimos attráxit.

11*. Apud Castrum Florentínum in Etrúria, sanctæ Viridiánæ, vírginis, quæ a puerili ætáte ad senéctam usque reclúsa vixit.

12*. Pílei in Látio, beáti Andréæ de Comítibus Sígniæ, presbýteri ex Ordine Minórum, qui, ómnibus recusátis altióribus dignitátibus, in humilitáte et simplicitáte Christo famulári máluit.

13*. Eblánæ in Hibérnia, beatórum mártyrum Conóri O'Devany, epíscopi Dunénsis et Connorénsis, ex Ordine Fratrum Minórum, et Patrícii O'Lougham, presbýteri, qui, sub Iacóbo rege Primo propter fidem cathólicam damnáti, suspéndii pœnam passi sunt.

14. Londínii in Anglia, sancti Henríci Morse, presbýteri e Societáte Iesu et mártyris, qui, plúries captus et bis in exsílium pulsus, demum sub Cárolo rege Primo propter sacerdótium in cárcerem trusus, post Missam ibídem celebrátam Tybúrni láqueo Deo spíritum réddidit.

15*. Aprilíaci apud Andégavum in Gállia, pássio beatárum Maríæ Annæ Vaillot et quadragínta sex sociárum,[1] mártyrum, quæ, cum terror in gállica perturbatióne sævíret, corónam martýrii consecútæ sunt.

[1] Quarum nomina: beatæ Othilia Baumgarten, religiosa; Ioanna Gruget, Ludovica Rallier de la Tertinière, Magdalena Perrotin, Maria Anna Pichery et Simona Chauvigné, viduæ; Francisca Pagis, Ioanna Fouchard, Margarita Rivière, Maria Cassin, Maria Fausseuse, Maria Galard, Maria Gasnier, Maria Ioanna Chauvigné, Maria Lenée, Maria Leroy Brevet, Maria Rouault, Petrina Phélippeaux, Renata Cailleau, Renata Martin et Victoria Bauduceau, uxores; Ioanna, Magdalena et Petrina Sailland d'Espinatz, sorores; Gabriela, Petrina et Susanna Androuin, sorores; Maria et Renata Grillard, sorores; Anna Francisca de Villeneuve, Anna Hamard, Carola Davy, Catharina Cottanceau, Francisca Bellanger, Francisca Bonneau, Francisca Michau, Iacobina Monnier, Ioanna Bourigault, Ludovica Amata Déan de Luigné, Magdalena Blond, Maria Leroy, Petrina Besson, Petrina Ledoyen, Petrina Grille, Renata Valin et Rosa Quenion.

16. Seuli in Coréa, sanctórum mártyrum Pauli Hong Yŏng-ju, catechístæ, Ioánnis Yi Mun-u, qui paupéribus ministrábat martyrúmque córpora sepeliébat, atque Bárbaræ Ch'oe Yŏng-i, quæ exémpla paréntum et cóniugis pro christiáno nómine interfectórum sequens cum áliis decolláta est.

17*. Augústæ Taurinórum in Itália, beátæ Ioánnæ Francíscæ a Visitatióne (Annæ) Michelotti, vírginis, quæ Institútum Sorórum Parvárum a Sacro Corde fundávit, ut infírmis paupéribus gratuíto in Dómino servírent.

18*. In civitáte *Cúcuta* in Colúmbia, beáti Aloýsii Variara, presbýteri e Societáte Sancti Francísci Salésii, qui leprósis omni ope et cura assédit et Soróres Fílias Sacrórum Córdium Iesu et Maríæ instítuit.

Die 2 februarii

Quarto Nonas februárii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
4	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
23	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**28**	**29**	**30**	**1**	**2**	**3**

Festum Præsentatiónis Dómini, a Græcis Hypapánte appellátum, qui quadragésima die post Natálem Dómini Iesus a María et Ioseph perdúctus est in Templum, spécie quidem extérius legem mosáicam implens, revéra autem pópulo suo credénti et exsultánti occúrrens, lumen ad revelatiónem géntium et glória plebis suæ Israel.

2. Aureliáni in Gállia Lugdunénsi, sancti Flósculi, epíscopi.

3. Cantuáriæ in Anglia, sancti Lauréntii, epíscopi, qui post sanctum Augustínum hanc gubernávit Ecclésiam et regem Ædbáldum ad fidem convértens valde auxit.

4. Herbípoli in Austrásia, sancti Burchárdi, epíscopi, qui, ex Anglia oriúndus, a sancto Bonifátio primus epíscopus huius civitátis ordinátus est.

5*. Floréntiæ in Etrúria, beáti Simónis de Cássia Fidati, presbýteri ex Ordine Eremitárum Sancti Augustíni, qui verbis ac scriptis complúres ad meliórem vitam christiánam addúxit.

6*. Segúsii in Subalpínis, beáti Petri Cambiani de Ruffia, presbýteri ex Ordine Prædicatórum et mártyris, qui a dissidéntibus in ódium Ecclésiæ in claustro trucidátus est.

7. Prati in Etrúria, sanctæ Catharínæ de' Ricci, vírginis e Tértio Ordine Regulári Sancti Domínici, quæ religiósæ instaurariónis óperæ ánimum inténdit atque Iesu Christi passiónis mystéria iúgiter cólere stúduit necnon experíri méruit.

8. Burdígalæ in Gállia, sanctæ Ioánnæ de Lestonnac, quæ, puélla, invitaménta ac conátus matris, ut ab Ecclésia cathólica divérteret, répulit et post cóniugis mortem quinque puerórum institutióni sapiénter provídit, dein Societátem Filiárum Dóminæ Nostræ cóndidit, exémplo Societátis Iesu, ad puellárum christiánam institutiónem fovéndam.

9*. Romæ, beáti Nicolái Saggio de Langobárdis, religiósi ex Ordine Minimórum, qui ianitóris offício humíliter sanctéque functus est.

10*. Genestáni in Látio, beáti Stéphani Bellesini, presbýteri ex Ordine Sancti Augustíni, qui tempóribus calamitósis Ordini turbáto fidélis permánsit, puerórum institutióni, prædicatióni atque pastoráli curæ déditus.

11. Hanóii in Tunquíno, sancti Ioánnis Theóphanis Vénard, presbýteri e Societáte Parisiénsi Missiónum ad éxteras gentes et mártyris, qui, post sex annos clandestíni ministérii labóribus et angústiis afféctos, in cávea inclúsus læto ánimo sub imperatóre Tự Đức cápitis damnátus martýrio obviávit.

12*. Dernáchi in Rhenánia Germániæ, beátæ Maríæ Catharínæ Kasper, vírginis, quæ Institútum Páuperum Ancillárum Iesu Christi fundávit, ut Dómino in paupéribus servírent.

13*. Medioláni in Itália, beáti Andréæ Cároli Ferrari, epíscopi, qui traditiónem religiósam gentis suæ excóluit et novas apéruit vias, quibus in mundo Christus et Ecclésiæ cáritas cognosceréntur.

14*. Verónæ in Itália, beátæ Maríæ Domínicæ Mantovani, vírginis, quæ Institúto Parvárum Sorórum a Sacráta Família, quod una cum beáto Iosépho Nascimbeni, presbýtero, fundávit, uti prima antístita præfuit, paupéribus, órphanis ægrotísque in humilitáte vitæ pro Christi dilectióne insérviens.

Die 3 februarii

Tértio Nonas februárii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
5	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
24	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**29**	**30**	**1**	**2**	**3**	**4**

Sancti Blásii, epíscopi et mártyris, qui pro christiáno nómine Sebáste in Arménia passus est sub Licínio imperatóre.

Sancti Ansgárii, epíscopi Hamburgénsis ac póstea ínsimul Bremé̈nsis in Saxónia, qui, primum mónachus Corbeiénsis, a Gregório papa Quarto legátus deputátus est totíus Septemtriónis, in Dánia et Suécia géntium multitúdini Evangélium nuntiávit et Christi Ecclésiam instítuit, multas difficultátes forti ánimo súperans, donec Bremæ labóribus deféssus quiévit.

3. Hierosólymæ, commemorátio sanctórum Simeónis et Annæ, qui, alter senex iustus ac timorátus, áltera vídua ac prophetíssa, Iesum infántem, cum in templum indúctus esset, ut secúndum consuetúdinem legis præsentarétur, Messíam et Salvatórem, beátam spem et redemptiónem Israel salutáre meruérunt.

4. Carthágine, sancti Celeríni, lectóris et mártyris, qui in cárcere nervo, ferro variísque pœnis invícte Christum conféssus est, vestígia sequens Celerínæ áviæ suæ iamprídem martýrio coronátæ, Lauréntii

pátrui Ignatiíque avúnculi, qui, quondam in castris militántes, sed póstea veri Dei mílites, palmas et corónas Dómini gloriósa passióne impetravérunt.

5*. Pictávii in Aquitánia, sancti Leónii, presbýteri, qui sancti Hilárii discípulus fuísse tráditur.

6. Vapínci in Província Gálliæ, sanctórum Terídii et Remédii, episcopórum.

7. Lugdúni in Gállia, sancti Lupicíni, epíscopi, témpore vandálicæ persecutiónis.

8*. In monastério Cellénsi in Hannónia, sancti Adelíni, presbýteri et abbátis.

9*. Céstriæ in Mércia Angliæ, sanctæ Werebúrgæ, abbatíssæ Eliénsis, quæ plura fundávit ascetéria.

10*. Merbécæ in Brabántia, sanctæ Berlíndis, vírginis, quæ religiósam vitam paupertátis et caritátis hac in civitáte duxit.

11*. In monastério Cisterciénsi Frigidimóntis in pago Gálliæ Bellovacénsi, commemorátio beáti Helinándi, mónachi, qui, olim céleber citharœ́dus vagans, dein vitam húmilem et abscónditam in claustro elégit.

12*. Londínii in Anglia, beáti Ioánnis Nelson, presbýteri e Societáte Iesu et mártyris, qui Elísabeth regínæ Primæ suprémam potestátem in spiritálibus negávit ideóque cápite damnátus Tybúrni suspéndio occúbuit.

13. Lugdúni in Gállia, sanctæ Maríæ a Sancto Ignátio (Claudínæ) Thévenet, vírginis, quæ caritáte permóta et forti ánimo Congregatiónem Sorórum Iesu et Maríæ fundávit ad iúvenes, præsértim páuperes, christiáne instituéndas.

14*. Burgi Andéoli in pago Vivariénsi Gálliæ, beátæ Maríæ Annæ Rivier, vírginis, quæ, eo ipso témpore gállicæ perturbatiónis, quo omnes religiósi Ordines ac Congregatiónes extinguebántur, Congregatiónem Sorórum a Præsentatióne Maríæ instítuit ad Christi plebem in fide erudiéndam.

15*. In vico *Steyl* in Nederlándia, beátæ Maríæ Hélenæ Stollenwerk, vírginis, quæ párticeps fuit beáto Arnóldo Janssen in Congregatióne Missionariárum Servárum Sancti Spíritus fundánda atque, offício antístitæ depósito, in adoratiónem perpétuam ánimum inténdit.

Die 4 februarii

Prídie Nonas februárii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
6	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
25	**26**	**27**	**28**	**29**	**1**	**30**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**

1. Romæ ad Catacúmbas via Appia, sancti Eutýchii, mártyris, qui, insómniis et fame diu multátus demúmque in bárathrum proiéctus, pro Christi fide ómnia vicit crudélia iussa tyránni.

2. Perge in Pamphýlia, sanctórum Pápiæ, Diodóri et Claudiáni, mártyrum.

3. Alexandríæ in Ægýpto, pássio sanctórum mártyrum Philéæ, epíscopi, et Philorómi, tribúni mílitum, qui, témpore persecutiónis Diocletiáni imperatóris, cum a cognátis et amícis movéri non possent, ut sibi párcerent, ambo, datis cervícibus, palmas a Dómino meruérunt.

4. Pelúsii item in Ægýpto, sancti Isidóri, presbýteri, qui, doctrína conspícuus, mundum et divítias spernens, vitam Ioánnis Baptístæ in desérto hábitu monástico indúto imitári máluit.

5*. Castellodúni prope Carnútum in Gállia, tránsitus sancti Aventíni, epíscopi, qui ántea sedem Carnuténsem ténuit.

6. Trecis in Gállia Lugdunénsi, sancti Aventíni, qui fámulus sancti Lupi epíscopi habétur.

7. Mogúntiæ in Francónia Germániæ, sancti Rabáni, cognoménto Mauri, epíscopi, qui, e mónacho Fuldénsi ad sedem Moguntínam eléctus, quidquid ad honórem Dei fácere posset numquam prætermísit, sciéntia vere perítus, elóquio disértus et accéptus Deo póntifex.

8*. Constantinópoli, sancti Nicolái Studítæ, mónachi, qui, ob cultum sacrárum Imáginum sæpe in exsílium eiéctus, tandem hegúmenus monastérii Studítæ efféctus in pace quiévit.

9. Sempringhámiæ in Anglia, sancti Gilbérti, presbýteri, qui, Eugénio papa Tértio confirmánte, Ordinem monásticum fundávit, in quo dúplicem impósuit vitæ disciplínam, nempe moniálibus Régulam sancti Benedícti, cléricis vero Régulam sancti Augustíni.

10. Biturígis in Aquitánia, sanctæ Ioánnæ de Valois, quæ, Gálliæ regína, vínculo matrimónii cum Ludovíco rege Duodécimo nullo decláráto, ad Deum confúgit, singulári pietáte Crucem excóluit et Ordinem Sanctíssimæ Annuntiatiónis beátæ Maríæ Vírginis fundávit.

11*. Dunélmi in Anglia, beáti Ioánnis Speed, mártyris, qui, sub Elísabeth regína Prima propter auxílium sacerdótibus præstitum cápite damnátus, martýrii corónam méruit.

12. Amatríce in Aprútio, sancti Ioséphi de Leonéssa, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum Capuccinórum, qui Constantinópoli christiános captívos sustentávit et, dire perpéssus quod Evangélium usque in palátium sultáni prædicáverat, in pátriam revérsus cura páuperum enítuit.

13. In loco *Oriur* in regno Maravénsi in India, sancti Ioánnis de Brito, presbýteri e Societáte Iesu et mártyris, qui, cum vitam et consuetúdinem ascetárum illárum pártium effíngens multos ad fidem convertísset, glorióso martýrio coronátus est.

Die 5 februarii

Nonis februárii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
7	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
26	**27**	**28**	**29**	**30**	**2**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**

Memória sanctæ Agathæ, vírginis et mártyris, quæ Cátanæ in Sicília, adhuc puélla, sæviénte persecutióne, corpus incontaminátum et fidem íntegram in martýrio servávit, testimónium præbens pro Christo Dómino.

2. In Ponto, commemorátio plurimórum sanctórum mártyrum in persecutióne Maximiáni imperatóris, qui, álii plumbo liquénti perfúsi, álii acútis arundínibus in únguibus cruciáti ac multis vexáti iterátis torméntis, palmas a Dómino et corónas illústri passióne meruérunt.

3. Viénnæ in Gállia Lugdunénsi, sancti Avíti, epíscopi, cuius fide et indústria, témpore Gundobáldi regis, ab infestatióne ariánæ hǽresis Gálliæ defénsæ sunt.

4. Sebánæ in Rǽtia, sancti Ingenuíni, qui primus huius sedis fuit epíscopus.

5*. In Lucánia, sancti Lucæ, abbátis sub institútis sanctórum orientálium, qui actuósam vitam monásticam primum in Sicília, pátria sua, dein Saracenórum irruptiónum causa váriis in locis duxit, demum in monastério Carbonénsi Sanctórum Elíæ et Anastásii prope Arméntum ab ipso cóndito óbiit.

6*. Romæ in monastério Sancti Cæsárii, sancti Sabæ, Iunióris nuncupáti, mónachi, qui cum fratre sancto Macário per Calábriam et Lucániam témpore vastatiónum Saracenórum vitam cœnobíticam indefésse diffúdit.

7. Brixínæ in pago Tridentíno, commemorátio sancti Albuíni, epíscopi, qui e Sebána hanc in civitátem episcopálem cáthedram tránstulit.

8*. Colóniæ Agrippínæ in Lotharíngia, sanctæ Adalhéidis, primæ monastérii Vilicénsis abbatíssæ, in quod Régulam sancti Benedícti introdúxit, dein étiam monastérii Sanctæ Maríæ Coloniénsis, ubi decéssit.

9. Nagasákii in Iapónia, pássio sanctórum Pauli Miki et vigínti quinque sociórum, mártyrum, quorum memória cras ágitur.

10*. Valle Guidónis in Gállia, beátæ Francíscæ Mézière, vírginis et mártyris, quæ púeris instituéndis et ægrótis curándis se trádidit et témpore gállicæ perturbatiónis in ódium fídei interémpta est.

11*. Romæ, beátæ Elísabeth Canori Mora, matrisfamílias, quæ diu infidelitáte cóniugis, angústias œconómicas et crudéles propinquórum moléstias perpéssa, ómnia invícta cum caritáte ac patiéntia sústulit,

pro peccatórum conversióne, salúte, pace ac sanctitáte Dómino vitam ófferens et in Tértium Ordinem Sanctíssimæ Trinitátis se ággregans.

12. In loco *Valtiervílla* in México, sancti Iesu Méndez, presbýteri et mártyris, qui pro Christi regno occúbuit in persecutióne mexicána.

Die 6 februarii

Octávo Idus februárii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
27	28	29	30	1	3	2	3	4	5	6	7

Memória sanctórum Pauli Miki et sociórum,[2] mártyrum, Nagasákii in Iapónia. Ingravescénte persecutióne contra christiános, octo presbýteri vel religiósi e Societáte Iesu aut ex Ordine Fratrum Minórum, sive ex Európa missi sive in Iapónia nati, atque septem et decem láici comprehénsi áspera ludíbria perpéssi et cápite damnáti sunt. Qui omnes, étiam púeri, pro christiáno nómine, simul crúcibus affíxi sunt, gaudéntes quóniam eis datum erat eódem modo quo Christus mori.

2. Arvérnæ in Aquitánia, sancti Antoliáni, mártyris.

3. Emesæ in Sýria, commemorátio sancti Silváni, epíscopi, qui, cum eídem Ecclésiæ annos quadragínta præfuísset, tandem, sub Maximíno imperatóre, una cum Luca diácono et Mócio lectóre feris obiéctus martýrii palmam accépit.

[2] Quorum nomina: sancti Ioannes de Goto Soan, Iacobus Kisai, religiosi e Societate Iesu; Petrus Baptista Blázquez, Martinus ab Ascensione Aguirre, Franciscus Blanco, presbyteri ex Ordine Fratrum Minorum; Philippus a Iesu de Las Casas, Gundisalvus García, Franciscus a Sancto Michaele de la Parilla, religiosi ex eodem Ordine; Leo Karasuma, Petrus Sukejiro, Cosmas Takeya, Paulus Ibaraki, Thomas Dangi, Paulus Suzuki, catechistæ; Ludovicus Ibaraki, Antonius, Michael Kozaki et Thomas, eius filius, Bonaventura, Gabriel, Ioannes Kinuya, Matthias, Franciscus de Meako, Ioachim Sakakibara, Franciscus Adauctus, neophytæ.

4. Cæsaréæ in Cappadócia, sanctórum Dorothéæ, vírginis, et Theóphili, scholástici, mártyrum.

5*. Ardáchæ in Hibérnia, sancti Melis, epíscopi.

6. Atrébati in Gállia Bélgica, sancti Vedásti, epíscopi, qui a sancto Remígio, Reménsi epíscopo, in urbem vastátam missus, Clodovéum regem catechizávit, Ecclésiam restitútam annos círciter quadragínta rexit et apud pópulos adhuc pagános huius regiónis evangelizatiónis opus perfécit.

7. Elnóne item in Gállia Bélgica, deposítio sancti Amándi, epíscopi Traiecténsis ad Mosam, qui multas per províncias seu gentes ad Slavos usque verbum Dei annuntiávit tandémque in monastério, quod exstrúxerat, mortálem vitam absólvit.

8*. In pago Tungrénsi in Brabántia Austrásiæ, sanctæ Renúlæ seu Reiníldis, abbatíssæ monastérii Eikénsis.

9. Prænéste in Látio, sancti Guaríni, epíscopi, vitæ austeritáte et amóre páuperum præclári.

10*. Scaræ in Suécia, sancti Brinólfi Algotsson, epíscopi, navitáte pro Ecclésia et sciéntia conspícui.

11*. Angris prope Salérnum in Campánia Itáliæ, beáti Alphónsi Maríæ Fusco, presbýteri, qui, ministério inter agrícolas déditus, institutióni iúvenum, præsértim páuperum orphanorúmque, semper consúluit et Congregatiónem Sorórum a Sancto Ioánne Baptísta fundávit.

12*. Neápoli in Campánia, beáti Angeli de Fúrcio, presbýteri ex Ordine Sancti Augustíni, zelo regni Dei insígnis.

13*. In loco *Rivolta d'Adda* pagi Creménsis in Itália, beáti Francísci Spinelli, presbýteri, qui inter vexatiónes et diutúrnas difficultátes patiénter tolerátas Congregatiónem Sorórum ad adorándum Sanctíssimum Sacraméntum fundávit et rexit.

14. In civitáte Durángo in México, sancti Matthǽi Correa, presbýteri et mártyris, qui, persecutióne contra Ecclésiam sæviénte, secréta in confessiónibus audíta reveláre iussus recusávit, quaprópter martýrii corónam suscépit.

Die 7 februarii

Séptimo Idus februárii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
28	29	30	1	2	4	3	4	5	6	7	8

1. Nolæ in Campánia, sancti Máximi, epíscopi, qui témpore persecutiónis Ecclésiam huius civitátis rexit et longo perfúnctus ævo in pace óbiit.

2. Lámpsaci in Hellespónto, sancti Parthénii, epíscopi, qui, témpore Constantíni imperatóris, prædicatióne et exémplo vitæ fidem propagavísse tráditur.

3. In iugis montis Sina, sancti Móysis, qui primum in erémo vitam solitáriam duxit, deínde, Máuvia Saracenórum regína peténte epíscopus ordinátus, gentes ferocíssimas in pace compósuit et vitam christianórum illǽsam custodívit.

4. Floréntiæ in Etrúria, sanctæ Iuliánæ, víduæ.

5*. Sipónti in Apúlia, sancti Lauréntii, epíscopi.

6. Lucæ in Etrúria, depositio sancti Richárdi, patris sanctórum Willibáldi et Waldbúrgis, qui ab Anglia cum fíliis Romam peregrínans in itínere óbiit.

7. Soterióne in Phócide, sancti Lucæ Iunióris, eremítæ.

8*. Múciæ in Picéno Itáliæ, beáti Riccérii, qui inter sancti Francísci primǽvos et caríssimos discípulos fuit.

9*. Asísii in Umbria, beáti Antónii de Stroncónio, religiósi ex Ordine Fratrum Minórum.

10*. Londínii in Anglia, beáti Thomæ Sherwood, mártyris, qui, vestiárii negotiátor, ad sacerdótium Duáci se iam destináverat, cum ad ægrotánti et seni patri assidéndum Londínium pétiit, ubi apprehén-

sus, dum in via deambulábat, ad martýrium ductus est, sub Elísabeth regína Prima.

11*. Albenáci in Vivariénsi Gálliæ província, beatórum mártyrum Iacóbi Salès, presbýteri, et Guliélmi Saultemouche, religiósi, e Societáte Iesu, qui, prædicatióne sua pópulum cathólica fide corroborántes, post urbem a dissidéntibus captam, die domínica pro eádem fide coram pópulo trucidáti sunt.

12. Neápoli in Campánia, sancti Ægídii Maríæ a Sancto Ioseph (Francísci) Pontillo, religiósi ex Ordine Fratrum Minórum, qui cotídie per vias civitátis humíllime stipem a pópulo emendicábat, ínvicem verba consolatiónis réddens.

13. In civitáte Ciamscianénsi provínciæ Sinárum Hunanénsis, sancti Ioánnis de Trióra (Francísci Maríæ) Lantrua, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum et mártyris, qui, post diutúrnos sævi cárceris cruciátus, láqueo suffocátus est.

14*. Parísiis in Gállia, beátæ Rosáliæ (Ioánnæ Maríæ) Rendu, vírginis e Puéllis a Caritáte, quæ, in domo quadam in paupérrima illíus urbis regióne constitúta, quam refúgium fecit egenórum, omni stúdio enísa est, ut páuperes in ipsis eórum domicíliis visitáret, pacem témpore bellórum civílium conciliáret et multos, máxime iúvenes et dívites, ad exercítium caritátis suscitáret.

15*. Ibídem, beátæ Maríæ a Providéntia (Eugéniæ) Smet, vírginis, quæ Institútum Sorórum ad auxiliándas ánimas in Purgatório degéntes fundávit.

16*. Romæ, beáti Pii papæ Noni, qui, veritátem Christi, cui ab imo adhǽsit, plane proclámans, multas instítuit sedes episcopáles, cultum beátæ Maríæ Vírginis promóvit et Concílium Œcuménicum Vaticánum Primum ascívit.

17*. In loco *Pont de Molins* prope Gerúndam in Hispánia, beatórum mártyrum Ansélmi Polanco, epíscopi Terulénsis, et Philíppi Ripoll, presbýteri, qui, blandítiis ac minis contémptis, a fidelitáte erga Ecclésiam mínime lapsi sunt.

18*. Prope Cracóviam in Polónia, beáti Adalbérti Nierychlewski, presbýteri e Congregatióne Sancti Michaélis et mártyris, qui, e Polónia

sub militáre régimen humánæ dignitáti ac religióni inféensum redácta in campum exítii *Oświęcim* seu *Auschwitz* propter Christi fidem deportátus, torméntis excruciátus occúbuit.

19*. In campo detentiónis óppidi *Angarsk* in Sibiriána Rússiæ província, beáti Petri Verhun, presbýteri et mártyris, qui, témpore persecutiónis erga religiónem, morte fidéli vitam ætérnam consecútus est.

Die 8 februarii

Sexto Idus februárii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
10	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
29	**30**	**1**	**2**	**3**	**5**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**

Sancti Hierónymi Emiliani, qui, iuventúte iracúnde luxurioséque transácta, cum ab hóstibus in cárcerem detrúsus esset, ad Deum se convértit, dein, ómnibus in miséria coniéctis, præsértim órphanis et infírmis, se totum una cum sóciis congregátis trádidit, quod inítium fuit Congregatiónis Clericórum Regulárium a Somáscha nuncupatórum. Peste mox in curándis míseris corréptus Somáschæ apud Bérgomum in Langobárdia occúbuit.

Sanctæ Iosephínæ Bakhita, vírginis, quæ, in regióne *Darfur* Sudániæ nata, puéllula rapta est et, plúries in africánis mercátibus servórum véndita, crudélem servitútem passa est, qua demum liberáta, Venétiis christiána et religiósa apud Fílias Caritátis facta est ac réliquam vitam in Christo in urbe *Schio* in agro Vicentíno Itáliæ ómnibus suppéditans degit.

3. Alexandríæ in Ægýpto, commemorátio sanctæ Coínthæ, mártyris, quam pagáni sub Décio imperatóre ad idóla perducéntes adoráre cogébant; quod cum illa éxsecrans recusáret, pedes eius vínculis inne-

xuérunt eámque trahéntes sic vinctam per platéas civitátis horréndo supplício discerpsérunt.

4. Pápiæ in Ligúria, sancti Iuvéntii, epíscopi, qui strénue pro Evangélio laborávit.

5. Commemorátio sanctórum mártyrum monachórum monastérii Dii Constantinopolitáni, qui, ob fídei cathólicæ defensiónem, cum lítteras sancti Felícis papæ Tértii advérsus Acácium tulíssent, diríssime cæsi sunt.

6*. In Británnia Minóre, sancti Iacúti, abbátis, qui, frater sanctórum Winwalœi et Guethnóci hábitus, monastérium prope mare cóndidit, ipsíus nómine póstea vocátum.

7. Medioláni in Langobárdia, depositio sancti Honoráti, epíscopi, qui, Langobardórum ímpetu imminénte, pópuli magnam partem Génuam confúgiens servávit.

8*. Vesontióne in Burgúndia, sancti Nicétii, epíscopi.

9. Virodúni in Gállia, sancti Pauli, epíscopi, qui, mónachus efféctus, dein ad Ecclésiam Virodunénsem evéctus, divíni cultus decus et canonicórum vitam regulárem promóvit.

10*. Albáni in Látio, beáti Petri, cognoménto Ignei quia per ignem illǽsus transívit, mónachi Vallis Umbrósæ et mox epíscopi Albanénsis, qui ad disciplínam ecclesiásticam restituéndam indesinénter incúbuit.

11. Apud Murétum in pago Aquitániæ Lemovicénsi, sancti Stéphani, abbátis, qui, Ordinis Grandimonténsis institútor, divínas laudes et contemplatiónem cléricis, temporálem vero curam solis frátribus láicis caritáte commísit geréndam.

12*. Savóne in Subalpínis Itáliæ, beátæ Iosephínæ Gabriélæ Bonino, vírginis, quæ sub lúmine Sanctæ Famíliæ Nazarethánæ Congregatiónem religiósam fundávit ad órphanos educándos necnon paupéribus infírmis assidéndum.

Die 9 februarii

Quinto Idus februárii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
11	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
30	**1**	**2**	**3**	**4**	**6**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**

1. Alexandríæ in Ægýpto, commemorátio sanctæ Apollóniæ, vírginis et mártyris, quæ post multa ac crudélia persecutórum torménta, cum ímpia verba proférre recusavísset, flammis se dari máluit quam a fide defícere.

2. Item Alexandríæ, pássio plurimórum sanctórum mártyrum, qui ab ariánis, dum in ecclésia synáxim agébant, divérso mortis génere interémpti sunt.

3. Lemelléfæ in Africa, commemorátio sanctórum Primi et Donáti, diaconórum et mártyrum, qui in tutándo altári in ecclésia item ab hæréticis occísi sunt.

4. In monte prope Apaméam in Sýria, sancti Marónis, eremítæ, veheménti pæniténtiæ et interióri vitæ magnópere déditi, apud cuius sepúlcrum célebre eréctum est monastérium, unde nátio póstea ipsíus nómini ascrípta oríginem duxit.

5*. In monastério Landaviénsi Cámbriæ, sancti Teliávi, epíscopi et abbátis, cuius exímios labóres multæ ecclésiæ tam in Cámbria et Cornúbia quam in Armórica célebrant.

6. Canúsii in Apúlia, sancti Sabíni, epíscopi, qui amícus fuit sancto Benedícto et Constantinópolim Románæ sedis legátus missus est, ut rectam fidem ab hǽresi monophysíta deféndere t.

7. Altomónte super Sambram in Hannónia, tránsitus sancti Ansbérti, qui fuit abbas Fontanellénsis et póstea epíscopus Rothomagénsis, in exsílium a Pippíno príncipe relegátus.

8*. In Bavária, commemorátio sancti Altónis, abbátis, qui, ex Hibérnia oriúndus, in silva huius regiónis monastérium exstrúxit, ipsíus nómine póstea vocátum.

9*. Nucériæ in Umbria, sancti Rainàldi, epíscopi, iam mónachi Camalduléensis Fontis Avellánæ, qui, episcopále munus exércens, monásticæ vitæ hábitum tenáciter retínuit.

10*. Primiliáni ad Mare prope Barcinónem in Hispánia, sancti Michaélis (Francísci Aloýsii) Febres Cordero, religiósi e Frátribus Scholárum Christianárum, qui in urbe Concha in Æquatória quadragínta fere annos litterárum stúdia promóvit, deínde in Hispánia símplici ánimo ad perféctam observántiam régulæ se cóntulit.

Die 10 februarii

Quarto Idus februárii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
1	2	3	4	5	7	6	7	8	9	10	11

Memória depositiónis sanctæ Scholásticæ, vírginis, quæ, soror sancti Benedícti, ab infántia Deo dicáta, unam cum fratre mentem in Deo hábuit, ita ut semel in anno apud Montem Casínum in Campánia totum diem in Dei láudibus sacrísque collóquiis dúcerent.

2. Magnésiæ in província Asiæ, sanctórum Chalarámpi, Porphýrii, Daucti et trium mulíerum, mártyrum sub Septímio Sevéro imperatóre.

3. Romæ via Labicána miliário décimo ab Urbe, sanctórum Zótici et Amántii, mártyrum.

4. Iuxta Tarracínam in Campánia, sancti Silváni, epíscopi.

5. Apud Sántonas in Aquitánia, sancti Troiáni, epíscopi.

6*. Vesontióne in Burgúndia, sancti Prothádii, epíscopi.

7. In pago Rothomagénsi Néustriæ, sanctæ Austrebértæ, vírginis et abbatíssæ, quæ monastério Pauliacénsi nuper a sancto Audœno epíscopo fundáto pie præfuit.

8. In spelúnca Stábulo Rhodis apud Rosétum in Etrúria, sancti Guliélmi, eremítæ Malavallénsis, e cuius exémplo plures oríginem duxérunt eremitárum congregatiónes.

9*. In monastério Præmonstraténsi Fossárum apud Namúrcum in Lotharíngia, beáti Hugónis, abbátis, cui magíster sanctus Norbértus, epíscopus Magdeburgénsis factus, novi Ordinis institutiónem concrédidit, quem trigínta quinque annos sapientíssime rexit.

10*. Arímini in Flamínia, beátæ Claræ, víduæ, quæ vitam ántea lascívam pæniténtia, carnis maceratióne ac ieiúniis expiávit et, sócias in monastério coadúnans, Dómino in humilitátis spíritu deservívit.

11*. Aprilíaci apud Andégavum in Gállia, beatórum Petri Fremond et quinque sociárum,[3] mártyrum, qui in gállica perturbatióne propter fidelitátem Ecclésiæ cathólicæ servátam plumbis interfécti sunt.

12*. Valle Víridi de Itínere prope Onobam in Bǽtica regióne Hispániæ, beátæ Eusébiæ Palomino Yenes, vírginis ex Institúto Filiárum Maríæ Auxiliatrícis, quæ, humilitátis egrégium præbens exémplum, nulla pétita ostentatióne, spíritu abnegatiónis in imis munéribus suis cúlmina grátiæ accépit.

13*. In óppido *Krašić* prope Zagábriam in Croátia, beáti Aloýsii Stepinac, epíscopi Zagrebiénsis, qui doctrínis tam fidem quam humánam dignitátem denegántibus audácter óbstitit, donec, propter fidelitátem erga Ecclésiam diu in vínculis cónditus, morbo corréptus atque inédia consúmptus, egrégium consummávit episcopátum.

[3] Quarum nomina: beatæ Catharina et Maria Ludovica du Verdier de la Sorinière, sorores; Ludovica Bessay de la Voûte; Maria Anna Hacher du Bois; Ludovica Poirier, uxor.

Die 11 februarii

Tértio Idus februárii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
13	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**30**	**1**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
2	**3**	**4**	**5**	**6**	**8**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**

Beátæ Maríæ Vírginis de *Lourdes*, quam anno quarto a proclamáta Immaculáta beátæ Vírginis Conceptióne, in móntibus Pyrenǽis ad Gábari Palénsis ripam prope óppidum *Lourdes*, húmilis puélla sancta María Bernárda Soubirous in rupis *Massabielle* sinu sǽpius conspéxerat. Quare turbæ christifidélium innúmeræ illuc devóte concúrrunt.

2. Romæ via Appia in cœmetério eius nómine dicáto, sanctæ Sotéris, vírginis et mártyris, quæ, ut sanctus Ambrósius refert, nobilitáte paréntum honoribúsque fídei posthábitis, nec immoláre iussa acquiévit, nec servílibus cæsa contuméliis vultum infléxit, nec gládiis damnáta mortem abhórruit.

3. Commemorátio plurimórum sanctórum mártyrum, qui in Numídia in persecutióne Diocletiáni imperatóris comprehénsi sunt et, cum divínas Scriptúras contra imperatóris edíctum trádere noluíssent, crudélibus supplíciis excruciáti occubuérunt.

4. Voltúrni in Campánia, sancti Castrénsis, mártyris.

5*. In Apúlia, sancti Secundíni, epíscopi.

6. In Castro Laudónis in Gállia, sancti Severíni, abbátis Agaunénsis.

7. Romæ apud sanctum Petrum, deposítio sancti Gregórii papæ Secúndi, qui, calamitósis tempóribus Leónis imperatóris Isáurici, Ecclésiam cultúmque sacrárum Imáginum deféndit et sanctum Bonifátium ad Evangélium in Germániam prædicándum misit.

8. Ibídem, deposítio sancti Paschális papæ Primi, qui plúrima sanctórum mártyrum e cryptis levávit córpora, quæ veneratiónis afféctu transférre vóluit et in divérsis Urbis ecclésiis honorífice collocávit.

9*. In Burgúndia, sancti Ardáni, abbátis Trenorchiénsis.

10. Chihuáhuæ in México, sancti Petri Maldonado, presbýteri et mártyris, qui, sæviénte persecutióne, mystérium Eucharístiæ usque ad últimum colens, cápite percússus triúmphum obtinére méruit.

11*. In loco *Vinaroz* in Castélla Hispániæ regióne, beáti Tobíæ (Francísci) Borras Romeu, religiósi ex Ordine Hospitalário Sancti Ioánnis a Deo et mártyris, qui persecutiónis témpore in ódium fídei gloriósum certámen consummávit.

Die 12 februarii

Prídie Idus februárii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
3	4	5	6	7	9	8	9	10	11	12	13

1. Carthágine, commemorátio sanctórum mártyrum Abitinénsium,[4] qui, in persecutióne Diocletiáni imperatóris, cum contra interdíctum príncipis ad domínicum ex more celebrándum convenîssent, a magistrátibus colóniæ et stationário mílite apprehénsi sunt et, Carthágimem deláti atque ab Anulíno procónsule interrogáti, se omnes étiam per torménta christiános conféssi sunt, sacrifícium Dómini intermítti non posse declarántes; quaprópter váriis in locis temporibúsque beatíssimum sánguinem profudérunt.

2. Commemorátio sancti Melétii, epíscopi Antiochéni, qui ob fidem nicǽnam sæpe exsílio afféctus est et mox Concílio Œcuménico Constantinopolitáno Primo prǽsidens ad Dóminum migrávit; cuius

[4] Quorum nomina: sancti Saturninus, presbyter, cum quattuor filiis, id est Saturnino iuniore et Felice, lectoribus, Maria et Hilarione, infante; Dativus, qui et Sanator, Felix; alius Felix, Emeritus et Ampelius, lectores; Rogatianus, Quintus, Maximianus seu Maximus, Telica vel Tazelita, alius Rogatianus, Rogatus, Ianuarius, Cassianus, Victorianus, Vincentius, Cæcilianus, Restituta, Prima, Eva, adhuc Rogatianus alius, Givalius, Rogatus, Pomponia, Secunda, Ianuaria, Saturnina, Martinus, Clautus, Felix iunior, Margarita, Maior, Honorata, Regiola, Victorinus, Pelusius, Faustus, Dacianus, Matrona, Cæcilia, Victoria, virgo carthaginensis, Berectina, Secunda, Matrona, Ianuaria.

virtútes sancti Gregórius Nyssénus et Ioánnes Chrysóstomus summis láudibus celebrárunt.

3. In monastério Sancti Cornélii ad Indam in Germánia, tránsitus sancti Benedícti, abbátis Anianénsis, qui Régulam sancti Benedícti propagávit, mónachis consuetúdines observándas trádidit et in litúrgia romána instauránda multum laborávit.

4. Constantinópoli, sancti Antónii, cognoménto Cauléæ, epíscopi, qui, Leónis imperatóris Sexti témpore, eníxe conténdit, ut pax et únitas in Ecclésia firmaréntur.

5*. In monastério Iuliacénsi in agro Gálliæ Trecénsis, beátæ Humbelínæ, eiúsdem cœnóbii prioríssæ, quæ, a fratre germáno sancto Bernárdo abbáte Claravallénsi felíciter a mundánis delíciis convérsa, cóniuge consentiénte, ad monásticam vitam se cóntulit.

6*. In vico *Northeim* in Alsátia ad ripam Illæ, sancti Lúdani, qui, ex Scótia oriúndus, ad límina Apostolórum iter agens ad Dóminum transívit.

7*. Londínii in Anglia, beatórum mártyrum Thomæ Hemmerford, Iacóbi Fenn, Ioánnis Nutter, Ioánnis Munden et Geórgii Haydock, presbyterórum, qui, Elísabeth regína Prima primátum in spiritálibus sibi affectánte, ob fidelitátem erga Románam Ecclésiam servátam cápite damnáti, Tybúrni adhuc spirántes evisceráti sunt.

Die 13 februarii

Idibus februárii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
4	5	6	7	8	10	9	10	11	12	13	14

1. Athénis in Grǽcia, sancti Martiniáni, qui ántea vitam eremíticam dúxerat prope Cæsaréam Palæstínæ.

2*. Cardóne ad Moséllam in território Trevirórum, sancti Cástoris Aquitáni, presbýteri et eremítæ.

3. Tudérti in Umbria, sancti Benígni, presbýteri et mártyris.

4. Lugdúni in Gállia, sancti Stéphani, epíscopi.

5. Reáte in Sabína, commemorátio sancti Stéphani, abbátis, miræ patiéntiæ viri, sicut sanctus Gregórius papa Magnus scripsit.

6*. Osnabrúgi in Saxónia Germániæ, sancti Gosbérti, epíscopi Suebórum, qui, persecutióne paganórum e sede pulsus, Osnabrugénsem Ecclésiam suscépit regéndam.

7*. Carcassóne in Gállia Narbonénsi, sancti Guiméræ, epíscopi.

8*. Ludévæ item in Narbonénsi, sancti Fulcráni, epíscopi, misericórdia in páuperes ac divíni cultus zelo insígnis.

9*. Meldis in pago Briénsi Gálliæ, sancti Gilbérti, epíscopi.

10*. Prope Ptolemáidem in Palæstína, tránsitus beáti Iordáni de Saxónia, presbýteri ex Ordine Prædicatórum, qui sancti Domínici succéssor et imitátor, summo stúdio Ordinem dilatávit et in naufrágio óbiit.

11*. Spoléti in Umbria, beátæ Christínæ (Augustínæ) Camozzi, quæ, post cóniugis mortem, concupiscéntiæ carnis aliquándo indúlsit, sed mox in Ordine sæculári Sancti Augustíni pæniténtem vitam elégit oratióni et ægrotórum pauperúmque servítio déditam.

12*. Patávii in Venétia, beátæ Eustóchii (Lucrétiæ) Bellini, vírginis ex Ordine Sancti Benedícti.

13. In loco *Dongjiaochang* apud urbem *Lezhi* in província *Sichuan* Sinárum, sancti Pauli Liu Hanzuo, presbýteri et mártyris, ob christiánum nomen stranguláti.

14. In civitáte *Thị-Nghè* in Cocincína, sancti Pauli Lê-Văn-Lộc, presbýteri et mártyris, qui sub imperatóre Tự Đức ad portam civitátis pro Christo decollátus est.

Die 14 februarii

Séxto décimo Kaléndas mártii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
16	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**30**	**1**	**2**	**3**	**4**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
5	**6**	**7**	**8**	**9**	**11**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**

Memória sanctórum Cyrílli, mónachi, et Methódii, epíscopi. Hi fratres Thessalonicénses a Phótio epíscopo Constantinopolitáno missi in Morāviam, illic fidem christiánam prædicavérunt et litterárum notas finxérunt próprias, ut sacros libros e græco in slávicum vérterent sermónem. Cum Romam venís- sent, Cyríllus, qui vocabátur ántea Constantínus, morbo afféctus, mónachus efféctus est et ibídem hac die obdormívit in Dómino. Methódius, vero, epíscopus Sirmiénsis ab Hadriáno papa Secúndo ordinátus, Pannóniam indefésse evangelizávit, multas lites eídem illátas perpéssus sed semper a Románis Pontifícibus adiútus; labórum suórum mercédem accépit Velerádii in Morávia, die sexta aprílis.

2. Romæ via Flamínia iuxta pontem Mílvium, sancti Valentíni, mártyris.

3. Apud Spolétum in Umbria, sancti Vitális, mártyris, quem serváta fides et imitátio Christi sacravérunt.

4. Romæ in cœmetério Prætextáti via Appia, sancti Zenónis, mártyris.

5. Alexandríæ in Ægýpto, commemorátio sanctórum mártyrum Bassiáni, Tonióni, Proti, Lúcii, qui in mare missi sunt, Cyriónis presbýteri, Agathónis exorcístæ, Móysis, qui igne combústi sunt, Dionýsii et Ammónii, qui gládio cæsi ad ætérnam adivérunt glóriam.

6. Ravénnæ in Flamínia, sancti Eleuchádii, epíscopi.

7. In monte Scopa in Bithýnia, sancti Auxéntii, presbýteri et archimandrítæ, qui in prominénti loco tamquam supra cáthedram collocátus fidem chalcedonénsem voce virtútis propugnávit.

8*. Commemorátio sancti Nostriáni, epíscopi Neapolitáni.

9. Apud Surréntum in Campánia, sancti Antoníni, abbátis, qui, monastério a Langobárdis vastáto, in solitúdinem secéssit.

10. Córdubæ in Hispánia, sancti Ioánnis Baptístæ a Conceptióne García, presbýteri ex Ordine Sanctíssimæ Trinitátis, qui Ordinis renovatiónem aggréssus est, quam summa cum navitáte inter graves labóres ac sævas ærúmnas sustínuit.

11*. Valéntiæ in Hispánia, beáti Vincéntii Vilar David, mártyris, qui in persecutióne religiósa sacerdótes ac religiósas domo sua recépit et mori máluit quam fidem negáre.

Die 15 februarii

Quinto décimo Kaléndas mártii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
17	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**30**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
6	**7**	**8**	**9**	**10**	**12**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**

1. Commemorátio beáti Onésimi, quem sanctus Paulus Apóstolus servum fugitívum excépit et in vínculis útpote Christi in fide fílium génuit, sicut ipse dómino eius Philémoni scripsit.

2. Bríxiæ in Venétia, sanctórum Faustíni et Iovítæ, mártyrum, qui, post multa certámina ob Christi fidem suscépta, victrícem martýrii corónam accepérunt.

3. Antiochíæ in Sýria, sanctórum mártyrum Isici, presbýteri, Iosíppi diáconi Románi, Zósimi, Baráli et Agápis, vírginis.

4. Arvérnæ in Aquitánia, sanctæ Geórgiæ, vírginis.

5. Vasióne in Gállia Lugdunénsi, sancti Quinídii, epíscopi.

6. In valle Interocrína provínciæ Valériæ in Itália, sancti Sevéri, presbýteri, cuius sanctus Gregórius papa Magnus memóriam tenet.

7. Cápuæ in Campánia, sancti Decorósi, epíscopi.

8*. Palatíoli in Etrúria, sancti Walfrídi, abbátis, qui, líberis génitis quinque, cum cóniuge státuit vitam monásticam dúcere.

9*. Véxsiæ in Suécia, sancti Sigfrídi, epíscopi, qui, ex Anglia oriúndus, gentes huius regiónis summa cum sedulitáte evangelizávit et regem ipsum Olavum in Christo baptizávit.

10*. Burgi Sancti Sepúlcri in Umbria, beáti Angeli Scarpetti, presbýteri ex Ordine Eremitárum Sancti Augustíni.

11. Parédii Monachórum in Burgúndia Gálliæ, sancti Cláudii La Colombière, presbýteri e Societáte Iesu, qui, vir oratióni magnópere déditus, multos ad dilectiónem Dei firmo rectóque consílio suo diréxit.

Die 16 februarii

Quarto décimo Kaléndas mártii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
18	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**30**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
7	**8**	**9**	**10**	**11**	**13**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**

1. In Campánia, sanctæ Iuliánæ, vírginis et mártyris.

2. Cæsaréæ in Palæstína, sanctórum mártyrum Elíæ, Ieremíæ, Isaíæ, Samuélis atque Daniélis, qui, christiáni ægýptii, cum sponte ministrássent fídei confessóribus in Cilícia ad metálla damnátis, comprehénsi et a Firmiliáno præside, sub Galério Maximiáno imperatóre, sævíssime torti, gládio demum percússi sunt. Post eos corónam martýrii accepérunt quoque Pámphilus présbyter, Valens diáconus Hierosolymitánus, et Paulus, ex Iámnia civitáte oriúndus, qui biénnium égerant in cárcere, sed et Porphýrius, Pámphili fámulus, Seléucus cáppadox, promótus in milítia, Theodúlus, senex ex família præsidis Firmiliáni, tandem Iuliánus cáppadox, qui ipsa hora péregre advéniens, cum mártyrum córpora osculátus esset, ut christiánus delátus est et a præside lento igne combúri iussus.

3. In regno Pérsico, sancti Marúthæ, epíscopi, qui, pace Ecclésiæ réddita, Concílio Seleuciénsi præfuit, Dei Ecclésias in persecutióne Sáporis regis collápsas reparávit ac relíquias mártyrum Pérsidis in civitáte episcopáli, deínceps Martyrópoli nuncupáta, cóllocans.

4*. Apud Burgum Sancti Petri in Aprútio, beátæ Philíppæ Mareri, vírginis, quæ, divítiis et sǽculi fástibus spretis, sanctæ Claræ vitæ formam nuper incéptam in pátrio loco ampléxa est.

5*. Perúsiæ in Umbria, commemorátio beáti Nicolái Paglia, presbýteri ex Ordine Prædicatórum, qui a sancto Domínico hábitum et munus prædicatiónis accépit.

6*. Augústæ Taurinórum in Itália, beáti Ioséphi Allamano, presbýteri, qui, indefésso zelo ardens, ad fidem propagándam binas suscitávit Congregatiónes Missiónum a Consoláta, virórum nempe et mulíerum.

Die 17 februarii

Tertiodécimo Kaléndas mártii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
8	9	10	11	12	14	13	14	15	16	17	18

Sanctórum septem fundatórum Ordinis Servórum Maríæ, scílicet Bonfílii, Bartholomǽi, Ioánnis, Benedícti, Gerardíni, Ricóveri et Aléxii, qui, Floréntiæ ántea negotiatóres, apud montem Senárium commúni consílio beátæ Maríæ se mancipárunt, Ordinem sub Régula sancti Augustíni instituéntes. Commemorántur simul die, qua supérstes eórum, Aléxius, dícitur obiísse centenárius.

2. Amaséæ in Hellespónto, pássio sancti Theodóri Tirónis, qui, Maximiáni imperatóris témpore, pro christiánæ fídei confessióne fórtiter cæsus est et in cárcerem missus, dein ígnibus comburéndus tráditus. Ipsíus laudes sanctus Gregórius Nyssénus præcláro encómio celebrávit.

3*. Tréviris in Gállia Bélgica, sancti Bonósi, epíscopi, qui, una cum sancto Hilário Pictaviénsi, zelo ac doctrína laborávit, ut in regiónibus Galliárum fídei intégritas servarétur.

4. In Arménia, sancti Mesróbi, doctóris Armenórum, qui, discípulus sancti Narsétis et scriba in palátio regáli, mónachus factus, litterárum notas finxit, ut pópulus sanctis Scriptúris instituerétur, utrúmque Testaméntum interpretátus est et hymnos aliáque cántica arména lingua compósuit.

5. In monastério *Clúain Ednech* vocáto in Hibérnia, sancti Fintáni, abbátis, eiúsdem cœnóbii fundatóris, austeritáte célebris.

6. Commemorátio sancti Flaviáni, epíscopi Constantinopolitáni, qui, cum fidem cathólicam Ephesi defendísset, ab ímpii Dióscori factióne pugnis et cálcibus percússus est et, exsílio afféctus, brevi póstea vitam finívit.

7*. Lindisfárnæ in Northúmbria, sancti Fináni, epíscopi et abbátis, doctrína atque evangelizatiónis zelo mirífice prǽditi.

8. Alcíaci apud Mórinos, depositio sancti Silvíni, epíscopi.

9*. In monastério Cavénsi in Campánia, sancti Constábilis, abbátis, qui ob exímiam mansuetúdinem et caritátem in omnes operiméntum fratrum vulgo appellátus est.

10*. Racebúrgi in Holsátia Germániæ, sancti Evermódi, epíscopi, qui, discípulus sancti Norbérti in Ordine Præmonstraténsium, in conversiónem gentis Venedórum óperam impéndit.

11*. Patávii in Venétia, beáti Lucæ Belludi, presbýteri ex Ordine Minórum, qui sancti Antónii discípulus et sócius fuit.

12. Pyeongyángæ in Coréa, sancti Petri Yu Chŏng-nyul, mártyris, qui, paterfamílias, dum noctu Evangélium fidélibus congregátis in domo catechístæ perlegébat, apprehénsus est et, virgis usque ad mortem cæsus, pro Christo occúbuit.

13*. Rosícæ in Polónia, beáti Antónii Leszczewicz, presbýteri e Congregatióne Clericórum Marianórum et mártyris, qui, témpore militáris occupatiónis illíus terræ in bello, ab Ecclésiæ persecutóribus propter Christi fidem arsus est.

Die 18 februarii

Duodécimo Kaléndas mártii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
9	10	11	12	13	15	14	15	16	17	18	19

1. In loco *Bēth Lapāt* in regno Persárum, pássio sanctórum Sadoth, epíscopi Seleucíæ Pérsidis, atque centum vigínti et octo sociórum, mártyrum, qui, presbýteri, clérici et sacrátæ vírgines, cum solem adoráre renuíssent, in víncula coniécti sunt et, diris torméntis diutíssime perlátis, tandem ex senténtia regis trucidáti sunt.

2. Toléti in Hispánia, sancti Helládii, qui, primum aulæ régiæ publicarúmque rerum rector, abbas Agaliénsis factus est, demum ad episcopátum Toletánum evéctus caritátis suæ exémpla summópere exhíbuit.

3. Constantinópoli, sancti Tarásii, epíscopi, eruditióne et pietáte insígnis, qui Concílium Nicǽnum Secúndum apéruit, in quo Patres sacrárum Imáginum cultum vindicavérunt.

4*. In monastério Céntulæ in pago Gálliæ Ambianénsi, sancti Angilbérti, abbátis, qui, offíciis palatínis et militáribus postpósitis, Bertha uxóre consentiénte, quæ ipsa sacro amícta est velo, ad vitam monásticam se cóntulit et Céntulæ cœnóbium felíciter rexit.

5*. Conímbriæ in Lusitánia, sancti Theotónii, qui bis Hierosólymam peregrinátus est et, custódia Sancti Sepúlcri recusáta, in pátriam revérsus Congregatiónem Canonicórum Regulárium Sanctæ Crucis instítuit.

6*. Romæ, beáti Ioánnis Fæsuláni, cognoménto Angélici, presbýteri ex Ordine Prædicatórum, qui, Christo semper adhǽrens, quod intus contemplabátur ita in pictúris expréssit, ut ad supérna hóminum extólleret mentes.

7*. Londínii in Anglia, beáti Guliélmi Harrington, presbýteri et mártyris, qui, e comitátu Eboracénsi oriúndus, sub Elísabeth regína Prima ob sacerdótium accéptum atque in Anglia proféssum cápite damnátus, Tybúrni corónam martýrii consecútus est.

8*. Apud Londínium item in Anglia, beáti Ioánnis Pibush, presbýteri et mártyris, qui plúries ac diu in cárcere cónditus, dein sub eádem regína propter sacerdótium cápite damnátus, Southvárci láqueo suspénsus est ferróque exenterátus.

9. In urbe Uciaménsi provínciæ *Hubei* in Sinis, sancti Francísci Régis Clet, presbýteri e Congregatióne Missiónis et mártyris, qui trigínta annos inter máximas ærúmnas Evangélium nuntiávit, quaprópter post acérbam captivitátem, ab apóstata decéptus, ob christiánum nomen strangulátus est.

10. In civitáte *Guizhou* item in Sinis, sancti mártyris Ioánnis Petri Néel, presbýteri e Societáte Missiónum Parisiénsi ad éxteras gentes, qui, eo quod fidem prædicavísset accusátus, ad equi caudam alligátus et veheménti cursu tractus, omni génere ludibriórum pœnísque affé́ctus, tandem abscísso cápite occúbuit. Cum eo supplícium passi sunt et sancti mártyres Martínus Wu Xuesheng, catechísta, Ioánnes Zhang Tianshen, neóphytus, et Ioánnes Chen Xianheng.

11*. Bérgomi in Itália, beátæ Gertrúdis (Catharínæ) Comensoli, vírginis, quæ ad adorándum Sanctíssimum Sacraméntum et iuventútem instituéndam religiosárum Congregatiónem fundávit.

12*. Rosícæ in Polónia, beáti Geórgii Kaszyra, presbýteri e Congregatióne Clericórum Marianórum et mártyris, qui, bello sæviénte, a fídei persecutóribus flammis interémptus pro Christo Dómino occúbuit.

Die 19 februarii

Undécimo Kaléndas mártii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
10	11	12	13	14	16	15	16	17	18	19	20

1. Neápoli in Campánia, depositio sancti Quodvultdéus, epíscopi Carthaginénsis, qui una cum clero a Genseríco rege ariáno in exsílium eiéctus et obsolétis in návibus sine velis nec remígiis impósitus, præter spem Neápolim áppulit ibíque conféssor fídei occúbuit.

2. Commemorátio sanctórum monachórum et aliórum mártyrum, qui in Palæstína a Saracénis, Alamundúro duce, ob Christi fidem sævíssime cæsi sunt.

3. Medioláni in Langobárdia, sancti Mansuéti, epíscopi, qui advérsus monothelitárum hǽresim strénue pugnávit.

4. Apud Benevéntum in Campánia, sancti Barbáti, epíscopi, qui Langobárdos eorúmque ducem ad Christum convertísse fertur.

5*. In monastério Vabrénsi in pago Ruthenénsi Aquitániæ, sancti Geórgii, mónachi.

6*. Bisiniáni prope Conséntiam in Calábria, sancti Procli, mónachi, qui, exímia prǽditus doctrína, aráldus fuit monásticæ conversatiónis.

7*. Cámeræ iuxta Bruxéllas in Brabántia, deposítio beáti Bonifátii, quondam epíscopi Lausannénsis, qui apud moniáles Cisterciénses loci ascéticam vitam exégit.

8*. Neti in Sicília, beáti Conrádi de Placéntia Confalonieri, eremítæ e Tértio Ordine Sancti Francísci, qui, sæculáribus ludis abiéctis, aspérrimum vitæ genus quadragínta prope annos in assídua oratióne et pæniténtia prosecútus est.

9*. Córdubæ in Vandalícia Hispániæ regióne, commemorátio beáti Alvári, presbýteri ex Ordine Prædicatórum, prædicatióne et Passiónis domínicæ contemplatióne conspícui.

10*. Mántuæ in Langobárdia, beátæ Elísabeth Picenardi, vírginis, quæ sub hábitu Ordinis Servórum Maríæ in patérna domo vitam Deo sacrátam egit, ad sacram communiónem assídue accédens atque in Litúrgiam Horárum Scripturarúmque meditatiónem eníxe incúmbens, Vírgini Maríæ devotíssima.

11. In loco *Kaiyang* apud *Mianyang* in Sinárum *Sichuan* província, sanctæ Lúciæ Yi Zhenmei, vírginis et mártyris, quæ ob cathólicæ fídei confessiónem ad decollatiónem damnáta est.

12*. Intra castra detentiónis Dachåni prope Monáchium Baváriæ in Germánia, beáti Ioséphi Zapłata, religiósi e Congregatióne Sacratíssimi Cordis Iesu et mártyris, qui, e Polónia pátria vi in atrócem propter fidem datus custódiam, morbo corréptus martýrium consummávit.

Die 20 februarii

Décimo Kaléndas mártii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
22	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**30**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
11	**12**	**13**	**14**	**15**	**17**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**

1. Alexandríæ, commemorátio sancti Serapiónis, mártyris, qui, sub Décio imperatóre, ita crudelíssimis afféctus est supplíciis, ut cunctæ ei iunctúræ membrórum prius frangeréntur, póstea ipse de superióribus domus suæ locis præcipitarétur.

2. Commemorátio beatórum quinque mártyrum, qui, sub Diocletiáno imperatóre, Tyri in Phœnícia occísi sunt; primo quidem flagris toto córpore dilaniáti, inde denudáti et in aréna pósiti ac divérsis bestiárum genéribus tráditi, firmam atque immóbilem in iuvenílibus corpóribus constántiam præbuérunt; ex his unus præsértim, nondum vigínti annos natus, nullis constríctus vínculis, bráchiis in crucis modum expánsis, preces ad Deum fundébat; omnes vero a béstiis ante irritátis incólumes, gládio tandem occísi sunt.

3. Antiochíæ in Sýria, commemorátio sancti Tyranniónis, epíscopi Tyri et mártyris, qui, inde a prima ætáte fide christiána erudítus, únguibus férreis lacerátus cum presbýtero Zenóbio, láuream adéptus est.

4. Tornáci in Gállia Bélgica, sancti Eleuthérii, epíscopi.

5. Sancti Trudónis Fani in Brabántia Austrásiæ, tránsitus sancti Euchérii, epíscopi Aurelianénsis, qui, a Cárolo Martéllo duce propter invidórum calúmnias ad exsílium coáctus, pium refúgium inter mónachos invénit.

6. Cátanæ in Sicília, sancti Leónis, epíscopi, qui páuperum curæ summópere cavit.

7*. In loco *Aljustrel* prope Fátimam in Lusitánia, beátæ Hyacínthæ Marto, quæ, quamvis puélla adhuc esset téneræ ætátis, perníciem morbi, quo affécta erat, patiénter pértulit et devotiónem in beátam Maríam Vírginem omni stúdio testáta est.

8*. In loco *Stutthof* prope Gedánum in Polónia, beátæ Iúliæ Rodzińska, vírginis e Congregatióne Sorórum Sancti Domínici et mártyris, quæ, pátria in bello vastáta, in campum detentiónis trusa est, ubi letáli morbo affécta ad glóriam cæléstem pervénit.

Die 21 februarii

Nono Kaléndas mártii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
23	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**30**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
12	**13**	**14**	**15**	**16**	**18**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**

Sancti Petri Damiáni, cardinális epíscopi Ostiénsis et Ecclésiæ doctóris, qui, erémum Fontis Avellánæ ingréssus, vitam religiósam strénue promóvit et, angústis Ecclésiæ reformatiónis provehéndæ tempóribus, mónachos ad contemplatiónis sancti-

tátem, cléricos ad vitæ integritátem, pópulum ad Apostólicæ Sedis communiónem fírmiter revocávit. Ipsíus autem tránsitus Favéntiæ in Flamínia crástina die evénit.

2. Commemorátio sancti Eustátii, epíscopi Antiochéni, qui, doctrína célebris, sub Constántio imperatóre ariáno ob cathólicæ fídei defensiónem Traianópolim Thráciæ in exsílium pulsus, ibídem in Dómino requiévit.

3*. In monastério Grandivallénsi apud Helvétios, sancti Germáni, abbátis, qui, cum áccolas monastérii a manípulo prædatórum laniátos pacíficis verbis deféndere voluísset, vestiméntis spoliátus et láncea perfóssus una cum sancto Randoáldo mónacho occúbuit.

4*. Londínii in Anglia, beáti Thomæ Pormort, presbýteri et mártyris, qui, sub Elísabeth regína Prima propter sacerdótium in cárcere dire tortus, dein apud Sanctum Paulum suspéndii cruciátu martýrium complévit.

5. Ibídem, sancti Robérti Southwell, presbýteri e Societáte Iesu et mártyris, qui plures annos in hac civitáte et in regióne finítima ministérium implévit et cármina spiritália compósuit, usque dum, propter sacerdótium captus, eiúsdem regínæ iussu diríssime tortus est et Tybúrni láqueo martýrium consummávit.

6*. Andégavi in Gállia, beáti Natális Pinot, presbýteri et mártyris, qui, párochus, témpore gállicæ perturbatiónis, dum ad Missam celebrándam parabátur, apprehénsus est et sacris paraméntis ludíbrii causa indútus ad patíbulum quasi ad sacrifícii altáre dedúctus est.

7*. Augústæ Taurinórum in Subalpínis, beátæ Maríæ Henrícæ (Annæ Catharínæ) Dominici, e Soróribus a Sancta Anna et a Providéntia, quæ Institútum trigínta annos usque ad óbitum sapiénter gessit et dilatávit.

Die 22 februarii

Octavo Kaléndas mártii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
13	14	15	16	17	19	18	19	20	21	22	23

Festum Cáthedræ sancti Petri, Apóstoli, cui dixit Dóminus: «Tu es Petrus et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam». In die qua Románi suórum defunctórum memóriam ágere solébant, illíus Apóstoli sedes natális cólitur, quæ eius tropǽo in agro Vaticáno gloriátur et univérso caritátis cœtui præsidére vocátur.

2. Hierápoli in Phrýgia, sancti Pápiæ, epíscopi, qui, Ioánnis Senióris audítor et Polycárpi sodális, sermónes Dómini explanávit.

3. Viénnæ in Gállia Lugdunénsi, sancti Paschásii, epíscopi, eruditióne et morum sanctitáte præclári.

4. Ravénnæ in Flamínia, sancti Maximiáni, epíscopi, qui pastorále offícium fidéliter adimplévit et contra hæréticos unitátem Ecclésiæ propugnávit.

5. Favéntiæ in Flamínia, natális sancti Petri Damiáni, cuius memória prídie huius diéi ágitur.

6*. Apud Longum Campum in subúrbio Parisiénsi in Gállia, beátæ Isabéllæ, vírginis, quæ, soror sancti Ludovíci regis Noni, regálibus núptiis ac mundi delíciis spretis, ascetérium Sorórum Minórum fundávit, quibúscum in humilitáte et paupertáte Deo famuláta est.

7. Cortónæ in Etrúria, sanctæ Margarítæ, quæ, morte amásii veheménter commóta, iunióris ætátis máculas salutári pæniténtia detérsit et, in Tértium Ordinem Sancti Francísci excépta, ad miram rerum cæléstium contemplatiónem recéssit, supérnis charismátibus a Deo exornáta.

8*. In urbe Sendaiénsi in Iapónia, beáti Dídaci Carvalho, presbýteri e Societáte Iesu et mártyris, qui, post iniúrias, cárceres et dura itínera

híeme perácta, tandem in supplício aquæ gelu concrétæ intrépida fide plúribus cum sóciis Christum conféssus est.

9*. Floréntiæ in Etrúria, beátæ Maríæ a Iesu (Æmíliæ) d'Oultremont, quæ in Bélgio, mater quáttuor filiórum, vídua facta, mínime offíciis matérnis negléctis, Societáti Sorórum a María Reparatríce constituéndæ ac regéndæ se trádidit et auxílio divíno confísa, non paucis superátis ægritudínibus, terrénam peregrinatiónem iter ad pátriam fáciens pie conclúsit.

Die 23 februarii

Séptimo Kaléndas mártii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
14	15	16	17	18	20	19	20	21	22	23	24

Memória sancti Polýcárpi, epíscopi et mártyris, qui beáti Ioánnis discípulus et últimus témporis apostólici testis cólitur et, sub Marco Antoníno et Lúcio Aurélio Cómmodo imperatóribus, Smyrnæ in Asia coram procónsule et univérso pópulo in amphitheátro igne tráditus est prope nonagenárius, grátias agens Deo Patri, quod eum dignátus erat inter mártyres adnumerári et partem cálicis Christi accípere.

2. Apud Sírmium in Pannónia, sancti Siréni seu Sinéri, mártyris, qui, hortulánus, a mulíere quadam delátus, quam lascíviæ causa ipse increpáverat, et a iúdice reténtus, se christiánum confessus est et, cum diis sacrificáre noluísset, abscísso cápite occúbuit.

3. Wenlóchii in Anglia, sanctæ Milbúrgæ, vírginis et monastérii loci abbatíssæ, e stirpe régia Merciórum.

4*. Mogúntiæ in Francónia Germániæ, sancti Willigísi, epíscopi, pastoráli zelo exímii.

5. Apud Stylum in Calábria, sancti Ioánnis, qui, mónachus factus sub orientálium Patrum institútis, Therístes seu Messor appellári méruit, quia summa erga egénos caritáte motus messóribus adiuméntum præbére assuéverat.

6*. Flaviobrígæ in Vascónia Hispániæ, beátæ Raphaélæ de Villalónga Ybarra, quæ mater septem filiórum, cóniuge consentiénte, vota religiósa emísit et Institútum Sorórum Angelórum Custódum fundávit ad puéllas tuéndas et in viam præceptórum Dómini dirigéndas.

7*. Ad Gálliæ litus ante Rupifórtium, in navi servitútis, beáti Nicolái Tabouillot, presbýteri et mártyris, qui, párochus, gállica perturbatióne sæviénte, propter sacerdótium deténtus est, demum in valetudinário civitátis morbo consúmptus.

8*. Romæ, beátæ Iosephínæ (Iudíttæ Adelhéidis) Vannini, vírginis, quæ Congregatiónem Filiárum Sancti Camílli ad infirmórum servítium fundávit.

9*. Posnániæ in Polónia, beáti Ludovíci Mzyk, presbýteri Societátis Verbi Divíni et mártyris, qui, pátria more militári a sectatóribus nefáriæ doctrínæ homínibus et fídei infénsæ invása, a vigílibus castri trucidátus Christum ad mortem usque testátus est.

10*. In campo detentiónis Dacháni prope Monáchium Baváriæ in Germánia, beáti Vincéntii Frelichowski, presbýteri, qui, in eádem tempestáte belli, vários in cárceres deportátus numquam a fide vel a pastoráli múnere flexit et, in ægrótis assidéndo morbo corréptus, post longas ærúmnas ad ætérnæ pacis visiónem pervénit.

Die 24 februarii

Sexto Kaléndas mártii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
26	**27**	**28**	**29**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
16	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**

1. Nicomedíæ in Bithýnia, pássio sancti Evétii, qui, sub Diocletiáno imperatóre, simul ac edícta advérsum cultóres Dei in foro pendére

vidit, fídei ardóre ignítus, pópulo inspectánte, iníquæ legis libéllum públice discérpsit, quaprópter omne crudelitátis genus passus est.

2. Tréviris in Gállia Bélgica, sancti Modésti, epíscopi.

3. Cantuáriæ in Anglia, sancti Ethelbérti, quem, regem Cantiórum, sanctus Augustínus epíscopus ad Christi fidem convértit, primum ex princípibus gentis Anglórum.

4*. Asculi in Picéno Itáliæ, beáti Constántii de Fabriáno Servoli, presbýteri ex Ordine Prædicatórum, qui austeritáte vitæ et stúdio promovéndæ pacis enítuit.

5*. Mántuæ in Langobárdia, beáti Marci de Marconi, religiósi ex Ordine Eremitárum Sancti Hierónymi.

6*. In civitáte *Algemesí* in pago Valentíno Hispániæ, beátæ Ioséphæ Naval Girbés, vírginis, Deo sacrátæ in sǽculo, catechizándis púeris addíctæ.

7*. Nucériæ Paganórum in Campánia Itáliæ, beáti Thomæ Maríæ Fusco, presbýteri, qui páuperes ægrotósque summa dilectióne curávit et Fílias a Caritáte Pretiosíssimi Sánguinis instítuit, quas ad várias óperas sociáles navándas, præsértim inter iúvenes et ægrótos, destinávit.

Die 25 februarii

Quinto Kaléndas mártii; vel in anno bissextíli: Sexto Kaléndas mártii.
Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
27	**28**	**29**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
17	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**

1. Perge in Pamphýlia, pássio sancti Néstoris, epíscopi Magydénsis et mártyris, qui, témpore Décii imperatóris persecutiónis comprehénsus, a prǽside provínciæ ad crucem damnátus est, ut qui Crucifíxum confiterétur, eiúsdem subíret pœnam.

2. Naziánzi in Cappadócia, sancti Cæsárii, médici, sancti Gregórii Nazianzéni fratris.

3*. Malbódii in Gállia Bélgica, sanctæ Aldetrúdis, vírginis et abbatíssæ.

4. In monastério Heidenheiménsi in Francónia Germániæ, sanctæ Waldbúrgis, abbatíssæ, quæ, sancto Bonifátio sanctísque eius frátribus Willibáldo et Winebáldo rogántibus, ex Anglia in Germániam venit, ubi duplex monastérium monachórum et sanctimoniálium óptime rexit.

5*. Agrigénti in Sicília, sancti Gerlándi, epíscopi, qui Ecclésiam suam, a potestáte Saracenórum liberátam, ordinávit.

6*. In priorátu Ursáni in pago Bituricénsi Aquitániæ, tránsitus beáti Robérti de Arbriséllo, presbýteri, qui, conversiónem morum per vias prǽdicans, mulíeres et viros in dúplici monastério Fontis Ebráldi sub abbatíssæ regímine congregávit.

7. Lucæ in Etrúria, beáti Avertáni, peregríni et religiósi ex Ordine Carmelitárum.

8*. Angelópoli in México, beáti Sebastiáni Aparicio, qui, custos óvium, ex Hispánia in Méxicum migrávit, ubi magnis divítiis, quas labóre suo cumuláverat, míseros locupletávit; dein, bis viduátus, frater in Ordinem Fratrum Minórum recéptus est et prope centenárius óbiit.

9*. Lauríæ in Lucánia, beáti Domínici Lentini, presbýteri, qui in loco pátrio usque ad mortem fructuósum ac múltiplex explicávit ministérium humilitátis, oratiónis et pæniténtiæ vita fecundátum.

10*. In vico *Mdina* ínsulæ Meliténsis, beátæ Maríæ Adeódatæ (Maríæ Terésiæ) Pisani, vírginis ex Ordine sancti Benedícti, quæ, abbatíssa monastérii Sancti Petri, miscens tempóribus témpora, offício suo sapiénter functa est, curam ádhibens de paupéribus derelictísque consuléndo pro ipso bono spiritáli communitátis.

11. In urbe *Xilinxian* in *Guangxi* província Sinárum, sancti Lauréntii Bai Xiaoman, mártyris, qui, ópifex et neóphytus, vérbera et decollatiónem pati máluit quam Christum denegáre.

12. In loco *Tequila* territórii Guadalaiarénsis in México, sancti Turíbii Romo, presbýteri et mártyris, qui persecutióne sæviénte in ódium sacerdótii enecátus est.

13. Ad ripas flúminis *Beijiang* prope urbem Sciaoceuvénsem provínciæ *Guandong* in Sinis, sanctórum mártyrum Aloýsii Versiglia, epíscopi, et Callísti Caravario, presbýteri e Societáte Salesiána, qui ob christiánam animárum iísdem commissárum curam actam martýrium subiérunt.

Die 26 februarii

Quarto Kaléndas mártii; vel in anno bissextíli: Quinto Kaléndas mártii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
28	**29**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
18	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**

1. Commemorátio sancti Alexándri, epíscopi, qui, senex gloriósus ac fídei zelo succénsus, post sanctum Petrum alexandrínæ Ecclésiæ factus antístes, Aríum presbýterum suum hærética impietáte depravátum et divína veritáte infirmátum de communióne Ecclésiæ eiécit, quem mox inter trecéntos decem et octo Patres annumerátus in Concílio Nicǽno Primo damnávit.

2. Bonóniæ in Æmília, sancti Faustiniáni, epíscopi, qui Ecclésiam persecutióne vexátam verbo prædicatiónis firmávit et auxit.

3. Gazæ in Palæstína, sancti Porphýrii, epíscopi, qui, Thessaloníсæ natus, anachoréta quinque annos degit in Scetim ac tótidem trans Iordánem, benignitáte in páuperes conspícuus; póstea epíscopus Gazénsis ordinátus, multa evértit templa idolórum, quorum sectatórum moléstiis diu afféctus est, donec in pace cum sanctis venerábilis quiévit.

4*. Nivérni in Néustria, sancti Agrícolæ, epíscopi.

5. Archíaci in Campánia Gálliæ, sancti Victóris, eremítæ, cuius laudes sanctus Bernárdus conscrípsit.

6. Floréntiæ in Etrúria, sancti Andréæ, epíscopi.

7*. Londínii in Anglia, beáti Robérti Drury, presbýteri et mártyris, qui, coniuratiónis contra Iacóbum regem Primum falso insimulátus, Tybúrni, hábitu ecclesiástico indútus ad sacerdotálem dignitátem probándam, patíbuli supplícium pro Christo passus est.

8. Olésæ Montis Serráti in pago Barcinonénsi Hispániæ, sanctæ Paulæ a Sancto Iosépho de Calasanz Montal Fornés, vírginis, quæ Institútum Filiárum Maríæ Scholárum Piárum fundávit.

9*. Alcantaríola prope Múrtiam in Hispánia, beátæ Pietátis a Cruce (Thomasínæ) Ortiz Real, vírginis, quæ pro amóre Dei ad institutiónem et catechésim páuperum sédulo inténdit et Congregatiónem Sorórum Salesianárum a Sacro Corde Iesu fundávit.

Die 27 februarii

Tértio Kaléndas mártii; vel in anno bissextíli: Quarto Kaléndas mártii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
29	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
19	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**

1. Alexandríæ in Ægýpto, commemorátio sanctórum Iuliáni et Euni, mártyrum. Iuliánus, cum podágra ita constríctus esset, ut neque incédere neque stare posset, una cum duóbus fámulis, qui eum in sella gestábant, iúdici offértur; quorum alter fidem negávit, alter, nómine Eunus, cum dómino suo in confessióne Christi perdurávit. Ipsi porro, camélis impósiti, per totam urbem circumdúci iussi sunt et, spectánte pópulo, flagris ad mortem laniári, sub Décio imperatóre.

2. Item, sancti Besæ, mártyris, qui, miles, cum insultántes in prædíctos mártyres cohibéret, ad iúdicem delátus est et, pro fide constánter agens, cápite truncátus.

3*. In agro Rothomagénsi in Gállia, sanctæ Honorínæ, vírginis et mártyris.

4. Lugdúni in Gállia, sancti Baldoméri, subdiáconi, viri Deo devóti.

5. Constantinópoli, sanctórum Basilíi et Procópii Decapolítæ, monachórum, qui, témpore Leónis Tértii Isáurii imperatóris, pro cultu sacrárum Imáginum strénue decertárunt.

6. In monastério Narecénsi in Arménia, sancti Gregórii, mónachi, doctóris Armenórum, doctrína, scriptis ac mýstica sciéntia illústris.

7*. Messánæ in Sicília, sancti Lucæ, abbátis monastérii Sanctíssimi Salvatóris, sub orientálium monachórum præcéptis.

8. Londínii in Anglia, sanctæ Annæ Line, víduæ et mártyris, quæ, cóniuge in exsílio propter cathólicam fidem defúncto, hac in civitáte domum sacerdótibus provídit, quam ob rem sub Elísabeth regína Prima Tybúrni láqueo suspénsa est. Cum ea passi sunt étiam beáti presbýteri et mártyres Marcus Barkworth, ex Ordine Sancti Benedícti, et Rogérius Filcock, e Societáte Iesu, adhuc spirántes ferro laniáti.

9*. Londínii in Anglia, beáti Guliélmi Richardson, presbýteri et mártyris, qui, Híspali in Hispánia ordinátus, últimus sub Elísabeth regína Prima martyr, propter sacerdótium Tybúrni patíbulo suspénsus est.

10*. In óppido *Sencelles* ínsulæ Maióricæ, beátæ Francíscæ Annæ a Vírgine Perdolénti Cirer Carbonell, vírginis, quæ, nec légere nec scríbere sciens, divíno tamen zelo mota, ad apostolátus caritatísque ópera se devóvit et communitátem Sorórum a Caritáte instítuit.

11*. Insulæ in Aprútio Itáliæ, sancti Gabriélis a Vírgine Perdolénti (Francísci) Possenti, acólythi, qui, sǽculi vanitáte relícta, aduléscens Congregatiónem Passiónis ingréssus est, ubi brevem vitæ cursum complévit.

12*. Massíliæ in Gállia, beátæ Maríæ a Iesu Deluil Martiny, vírginis, quæ Congregatiónem Filiárum Cordis Iesu fundávit et, a seditióso

viro ad mortem vulneráta, vitam íntime Passióni Christi coniúnctam effúso sánguine conclúsit.

13*. Pasti in Colúmbia, beátæ Maríæ a Caritáte Spíritus Sancti (Carolínæ) Brader, vírginis, quæ vitam contemplatívam cum missionária navitáte omni stúdio conciliávit et ad pópulum per christiánam institutiónem provehéndum Soróres Franciscánas Maríæ Immaculátæ instítuit.

Die 28 februarii

Prídie Kaléndas mártii; vel in anno bissextíli: Tértio Kaléndas mártii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
1	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
20	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**

1. Commemorátio sanctórum presbyterórum, diaconórum et aliórum plurimórum, qui Alexandríæ, témpore Galliéni imperatóris, cum pestis sævíssima grassarétur, morbo laborántibus ministrántes libentíssime mortem oppetiérunt; quos religiósa piórum fides mártyres venerári consuévit.

2. Ad montem Iuram in território Lugdunénsi, depositio sancti Románi, abbátis, qui, antiquórum monachórum exémpla sequens, primus illic vitam duxit eremíticam et póstea plurimórum pater éxstitit monachórum.

3. Commemorátio sanctárum Maránæ et Cyræ, vírginum, quæ apud Berœam in Sýria in loco exíguo et consǽpto sub dio vitam duxérunt, ne tugúrium quidem habéntes, siléntium observántes et victum necessárium per fenestéllam accipiéntes.

Anno bissextili prætermittantur:

4. Romæ via Tiburtína, depositio sancti Hilárii, papæ, qui epístulas de fide cathólica scripsit, quibus Concília Nicǽnum, Ephesínum et Chalcedonénse confirmávit, primátum illústrans Románæ sedis.

5. Vigórniæ in Anglia, sancti Oswáldi, epíscopi, qui, primum canónicus, dein mónachus efféctus, Eboracénsi demum ac simul Vigorniénsi Ecclésiæ prǽfuit atque Régulam sancti Benedícti multis in monastériis instítuit, comis, lætus ac doctus magíster.

6*. Aquilæ in Aprútio, beátæ Antóniæ de Floréntia, víduæ, póstea fundatrícis et primæ abbatíssæ monastérii Córporis Christi sub prima sanctæ Claræ Régula.

7. In urbe *Xilinxian* in Sinárum *Guangxi* província, sancti Augústi Chapdelaine, presbýteri e Societáte Parisiénsi Missiónum ad éxteras gentes et mártyris, qui, a milítibus plúribus cum neóphytis apprehénsus quod christiánam fidem in hac regióne primus seminavísset, trecéntis verbéribus cæsus et in cávea exígua constríctus, tandem cápite obtruncátus occúbuit.

Quolibet anno:

8*. Apud Parísios in Gállia, beáti Daniélis Brottier, presbýteri e Congregatióne Sancti Spíritus, qui in opus pro órphanis condéndum se impéndit.

9*. In campo exítii *Oświęcim* seu *Auschwitz* prope Cracóviam in Polónia, beáti Timóthei Trojanowski, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum Conventuálium et mártyris, qui, pátria império in hómines ac religiónem hostíli subiécta, propter christiánam confessiónem supplíciis fractus martýrium consummávit.

ANNO BISSEXTILI

Die 29 februarii

Prídie Kaléndas mártii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
1	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
20	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**

1. Romæ via Tiburtína, deposítio sancti Hilárii, papæ, qui epístulas de fide cathólica scripsit, quibus Concília Nicǽnum, Ephesínum et Chalcedonénse confirmávit, primátum illústrans Románæ sedis.

2. Vigórniæ in Anglia, sancti Oswáldi, epíscopi, qui, primum canónicus, dein mónachus efféctus, Eboracénsi demum ac simul Vigorniénsi Ecclésiæ prǽfuit atque Régulam sancti Benedícti multis in monastériis instítuit, comis, lætus ac doctus magíster.

3*. Aquilæ in Aprútio, beátæ Antóniæ de Floréntia, víduæ, póstea fundatrícis et primæ abbatíssæ monastérii Córporis Christi sub prima sanctæ Claræ Régula.

4. In urbe *Xilinxian* in Sinárum *Guangxi* província, sancti Augústi Chapdelaine, presbýteri e Societáte Parisiénsi Missiónum ad ésteras gentes et mártyris, qui, a milítibus plúribus cum neóphytis apprehénsus quod christiánam fidem in hac regióne primus seminavísset, trecéntis verbéribus cæsus et in cávea exígua constríctus, tandem cápite obtruncátus occúbuit.

MARTIUS

Die 1 martii

Kaléndis mártii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
21	22	23	24	25	26	25	26	27	28	29	1

1. Romæ apud Sanctum Paulum via Ostiénsi, sancti Felícis papæ Tértii, qui sancti Gregórii papæ Magni átavus fuit.

2. Andégavi in Gállia Lugdunénsi, sancti Albíni, epíscopi, qui supérbos poténtium mores veheménter reprehéndit atque ad Ecclésiam renovándam Concílium Aurelianénse Tértium strénue promóvit.

3. Menéviæ in Cámbria, sancti Dávidis, epíscopi, qui, exémpla et mores Patrum orientálium ímitans, monastérium cóndidit, unde permúlti proficti sunt mónachi, qui Cámbriam, Hibérniam, Cornúbiam et Armóricam evangelizárunt.

4. Apud Cenómanum in Néustria, sancti Siviárdi, abbátis Anninsulénsis.

5. In Werda Rheni ínsula in Saxónia, sancti Suitbérti, epíscopi, qui, primum mónachus in Northúmbria, sancti Willibrórdi sócius efféctus et a sancto Wilfrído epíscopus ordinátus, apud Bátavos, Frísios aliósque Germániæ pópulos Evangélium prædicávit et in cœnóbio, quod iam senex fundáverat, pie decéssit.

6. In Vascónia, sancti Leónis, epíscopi et mártyris.

7*. In monastério Venæ in abrúptis montis Mercúrii in Calábria, sancti Leónis Lucæ, abbátis Mulénsis, qui, iuxta orientálium monachórum institúta, eremítica ac cœnobítica conversatióne cláruit.

8*. Cellæ Novæ in Gallǽcia Hispániæ, sancti Rudesíndi, ántea epíscopi Dumiénsis, qui vitam monásticam in eádem província promovéndam vel instaurándam curávit et, múnere episcopáli depósito, monásticum hábitum in monastério Cellæ Novæ índuit, cui dein abbas prǽfuit.

9*. Tábiæ in Ligúria, commemorátio beáti Christóphori de Medioláno, presbýteri ex Ordine Prædicatórum, in Dei cultum et in sacram doctrínam inténti.

10*. Passáni in Venétia, beátæ Ioánnæ Maríæ Bonomo, abbatíssæ ex Ordine Sancti Benedícti, quæ, donis mýsticis prǽdita, dolóres domínicæ Passiónis in córpore et ánima communicávit.

11. In urbe *Xilinxian* in *Guangxi* Sinárum província, sanctæ Agnétis Cao Kuiying, mártyris, quæ, violénto viro iam nupta, post eius mortem ad christiánam doctrínam docéndam de epíscopi mandáto se cóntulit, quaprópter in cárcerem cóndita et crudelíssimos cruciátus passa, semper Deo confídens ad dapes ætérnas migrávit.

Die 2 martii

Sexto Nonas mártii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
22	23	24	25	26	27	26	27	28	29	1	2

1. Neocæsaréæ in Ponto, sancti Troádii, mártyris in persecutióne Décii imperatóris, cuius certámen sanctus Gregórius Thaumatúrgus testificátus est.

2. Lichféldiæ in Anglia, sancti Ceáddæ, epíscopi, qui in angústis témporis sui provínciis Merciórum, Lindíssi et Mediterraneórum Anglórum episcopátus offício prǽfuit, quod iuxta antiquórum patrum exémpla in magnæ vitæ perfectióne administráre curávit.

3*. Agýrii in Sicília, sancti Lucæ Casali de Nicósia, mónachi, humilitáte virtutibúsque repléti.

4. Pragæ in Bohémia, sanctæ Agnétis, abbatíssæ, quæ, fília regis Ottokári, regálibus núptiis spretis, Iesu Christo modo desponsári cúpiens, sanctæ Claræ Régulam ampléxa est in monastério ab ipsa ædificáto, ubi paupertátem ad amússim observáre vóluit.

5*. Brugis in Flándria, beáti Cároli Boni, mártyris, qui, princeps Dániæ ac deínde comes Flándriæ, iustítiæ custos et páuperum defénsor éxstitit, donec a milítibus, quos ad pacem invítos compellébat, occísus est.

6. Híspali in Hispánia, sanctæ Angelæ a Cruce Guerrero González, quæ, Institúti Sorórum a Cruce fundátrix, nihil iuris magis sibi quam paupéribus sepósuit, quos dóminos suos nuncupáre sólita erat et vere deservíre.

Die 3 martii

Quinto Nonas mártii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
4	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
23	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**27**	**28**	**29**	**1**	**2**	**3**

1. Cæsaréæ in Palæstína, sanctórum Maríni, mílitis, et Astérii, senatóris, mártyrum sub Galliéno imperatóre; quorum prior, ab ínvido commilitóne quod christiánus delátus, coram iúdice fidem suam voce claríssima proféssus est et corónam martýrii cápitis abscissióne suscépit; cum Astérius corpus mártyris, qua induebátur veste substráta, excíperet, honórem, quem mártyri détulit, contínuo ipse martyr accepísse narrátur.

2. Calagúrri in Hispánia Tarraconénsi, sanctórum Emethérii et Cheledónii, qui, cum ambo apud Legiónem in Gallǽcia in castris militárent, exsurgénte persecutióne, pro Christi nóminis confessióne Calagúrrim usque dedúcti sunt ibíque martýrio coronáti.

3. Amaséæ in Ponto, sanctórum Cleoníci et Eutrópii, mártyrum in persecutióne Maximiáni imperatóris sub Asclepiódato præside.

4. Bríxiæ in Venétia, sancti Titiáni, epíscopi.

5. In Cornúbia Armóricæ, sancti Winwalœi, primi abbátis Landevenecénsis, qui discípulus sancti Budóci in Láurea ínsula fuísse et régulam monásticam illustrásse tráditur.

6*. Benevénti in Campánia, sanctæ Arthelláidis, vírginis.

7*. Nonántulæ in Æmília, sancti Ansélmi, fundatóris et primi abbátis monastérii, qui quinquagínta annos monásticam disciplínam tam præcéptis quam virtútum exercítio promóvit.

8. Confúgiæ in Hássia, sanctæ Cunegúndis, quæ plúrima Ecclésiæ cóntulit benefícia una cum cóniuge sancto Henríco imperatóre, post cuius mortem in claustro moniális, quo secésserat, Christum sibi herédem fáciens, ipsa óbiit. Corpus eius honoríﬁce iuxta sancti Henríci ossa Bambérgæ depósitum est.

9*. In Frísia, beáti Frideríci, presbýteri, primum párochi in óppido *Hallum*, dein abbátis monastérii Hortis Beátæ Maríæ ex Ordine Præmonstraténsi.

10*. Panórmi in Sicília, beáti Petri Geremia, presbýteri ex Ordine Prædicatórum, qui, a sancto Vincéntio Ferrer in ministério verbi Dei confirmátus, salúti animárum totum se dedit.

11*. Vercéllis in Subalpínis, beáti Iacobíni de' Canepacci, religiósi ex Ordine Carmelitárum, oratiónis et pæniténtiæ stúdio præclári.

12*. Apud *Gondar* in Æthiópia, beatórum Liberáti Weiss, Samuélis Marzorati et Michaélis Pio Fasoli da Zerbo, presbyterórum ex Ordine Fratrum Minórum et mártyrum, qui ob fidem cathólicam lapidáti occubuérunt.

13*. Darióri gi in Británnia Minóre Gálliæ, beáti Petri Renáti Rogue, presbýteri e Congregatióne Missiónis et mártyris, qui, témpore gállicæ perturbatiónis, nefárium iusiurándum clero impósitum recúsans, in civitáte permánsit, ut fidélibus secréto ministráret, et, cápite damnátus, in ipsa ecclésia ubi sacra mystéria celebrábat ad misericórdiam Dómini migrávit.

14. Bríxiæ in Langobárdia, sanctæ Terésiæ Eustóchii (Ignátiæ) Verzeri, vírginis, Institúti Filiárum a Sacratíssimo Corde Iesu fundatrícis.

15*. Bérgomi item in Langobárdia Itáliæ, beáti Innocéntii de Berzo (Ioánnis) Scalvinoni, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum Capuccinórum, qui exímia caritáte in verbo Dei diffundéndo atque in confessiónibus audiéndis enítuit.

16. Philadelphíæ in Pennsilvánia e Civitátibus Fœderátis Américæ Septemtrionális, sanctæ Catharínæ Drexel, vírginis, quæ Congregatiónem Sorórum a Sanctíssimo Sacraménto fundávit et divítias hereditátis suæ lárgiter ac benígne ad Indos Nigritásque educándos et sublevándos impéndit.

Die 4 martii

Quarto Nonas mártii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
24	25	26	27	28	29	28	29	1	2	3	4

Sancti Casimíri, fílii regis Polóniæ, qui, princeps, fídei zelo, castitáte et pæniténtia, benignitáte in páuperes atque devóta erga Eucharístiam et beátam Vírginem Maríam veneratióne enítuit et iúvenis, phthisi consúmptus, in óppido Grodna apud Vilnam in Lithuánia pie quiévit.

2. Nicomedíæ in Bithýnia, sanctórum Phótii, Archelái, Quiríni et aliórum decem et septem, mártyrum.

3*. Tréviris in Rhenánia Austrásiæ, sancti Basíni, epíscopi, qui, e dúcibus Austrásiæ regni ortus, primum mónachus, dein abbas Sancti Maximíni Treverénsis éxstitit et, ad sedem episcopálem civitátis demum evéctus, fundatióni sanctæ Irmínæ Epternáci consénsit.

4*. Comácli in Flamínia, sancti Appiáni, mónachi, qui, e monastério Papiénsi missus, hac in civitáte vitam exégit eremíticam.

5*. In monastério Cavénsi in Campánia, sancti Petri, qui, monásticam vitam a iuventúte secútus, Policastrénsis epíscopus eléctus est, sed, exterióris vitæ strépitum fastídiens, ad monastérium rédiit, ubi, abbas constitútus, disciplínam mire instaurávit.

6*. Cambérii in Sabáudia, beáti Humbérti, cómitis Sabáudiæ Tértii, qui, claustrum desérere coáctus ad rem públicam geréndam, monásticam vitam, ad quam mox vero rédiit, impénsius cóluit.

7*. Londínii in Anglia, beatórum Christóphori Bales, presbýteri, Alexándri Blake et Nicolái Horner, mártyrum, qui, persecutióne Elísabeth regínæ Primæ sæviénte, simul corónam glóriæ accepérunt.

8*. In cœnóbio Sancti Salvatóris Vicecómitis in Normánnia Gálliæ, beátæ Plácidæ (Euláliæ) Viel, vírginis, quæ in Congregatióne Scholárum Christianárum a Misericórdia regénda zelo et humilitáte cláruit.

9*. Vicétiæ in Itália, beáti Ioánnis Antónii Farina, epíscopi, qui, multiplíciter dedit óperam rei pastoráli et Institútum Sorórum Magistrárum a Sancta Dorothéa Filiárum a Sacris Córdibus fundávit, quæ de puellárum páuperum institutióne ac de ómnibus afflíctis discriminatísque providérent.

10*. In óppido *Berezwecz* apud civitátem *Głębokie* in Polónia, beatórum Miecislái Bohatkiewicz, Ladislái Maćkowiak et Stanislái Pyrtek, presbyterórum et mártyrum, qui, belli tempestáte, ob Christi fidem in cárcerem coniécti sunt et plumbis interfécti.

Die 5 martii

Tértio Nonas mártii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
6	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
25	**26**	**27**	**28**	**29**	**30**	**29**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**

1. Commemorátio sancti Theóphili, epíscopi Cæsariénsis in Palæstína, qui sub Septímio Sevéro imperatóre, sapiéntia et vitæ integritáte conspícuus emícuit.

2. In Pamphýlia, sancti Conónis, mártyris, qui, hortulánus, sub Décio imperatóre, pédibus clavis confíxis, ante currum cúrrere iussus in génua procúbuit atque in oratióne spíritum réddidit.

3. Romæ via Appia in cœmetério Callísti, depositio sancti Lúcii, papæ, qui, sancti Cornélii succéssor, pro Christi fide exsílium passus est et, fídei conféssor exímius, in angústiis témporis sui moderatióne ac prudéntia se gessit.

4. Sinópe in Ponto, sancti Phocæ, mártyris, qui, hortulánus, multas pro Redemptóris nómine passus est iniúrias.

5. Cæsaréæ in Palæstína, sancti Hadriáni, mártyris, qui in persecutióne Diocletiáni imperatóris, iussu Firmiliáni præsidis, die festo, quo natalícia Fortúnæ Cæsarénsium celebrári solébant, ob Christi fidem primum leóni obiéctus est, deínde gládio iugulátus.

6. In Palæstína ad ripam Iordánis, sancti Gerásimi, anachorétæ, qui, témpore Zenónis imperatóris, ad orthodóxam fidem a sancto Euthýmio redúctus, magna pæniténtiæ ópera egit, ómnibus, qui sub ipso vita monástica se exercébant, integérrimæ disciplínæ et victus ratiónem ófferens.

7*. Sagíriæ in Ossória Hibérniæ regióne, sancti Kieráni, epíscopi et abbátis.

8*. Areláte in Província, sancti Virgílii, epíscopi, qui sanctum Augustínum et mónachos ad Anglos iter agéntes hospítio recépit, sancto Gregório papa Magno commendánte.

9*. Viglébani in Langobárdia, beáti Christóphori Macassoli, presbýteri ex Ordine Minórum, prædicatióne et caritáte in páuperes insígnis.

10*. Neápoli in Campánia, beáti Ieremíæ de Valáchia (Ioánnis) Kostistik, qui, religiósus ex Ordine Fratrum Minórum Capuccinórum, quadragínta annos caritáte et lætítia indesinénter infírmis assédit.

11. Item Neápoli, sancti Ioánnis Ioséphi a Cruce (Cároli Caietáni) Calosirto, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum, qui, sancti Petri de Alcántara vestígia prósequens, multis in Neapolitánæ provínciæ cœnóbiis regulárem disciplínam restítuit.

Die 6 martii

Prídie Nonas mártii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
26	27	28	29	30	1	1	2	3	4	5	6

1. Derthónæ in Ligúria, sancti Marciáni, qui epíscopus et martyr cólitur.

2. Nicomedíæ in Bithýnia, sancti Victoríni, mártyris.

3. Tréviris in Gállia Bélgica, sancti Quiríaci, presbýteri.

4. Commemorátio sancti Evágrii, epíscopi Constantinopolitáni, qui, a Valénte imperatóre in exsílium missus, fídei conféssor exímius ad Dóminum migrávit.

5. Toléti in Hispánia, sancti Iuliáni, epíscopi, qui tria concília hac in civitáte coadunávit atque scriptis orthodóxam explanávit doctrínam, iustítiam, caritátem ac zelum animárum sédulo præbens.

6. Sacónii apud Helvétios, sancti Fridolíni, abbátis, qui, ex Hibérnia oriúndus, per Gálliam peregrinátus est, donec Sacónii duplex monastérium fundávit in honórem sancti Hilárii.

7. Metis in Austrásia, sancti Chrodegángi, epíscopi, qui clerum tamquam intra sæpta claustrórum sub íntegra norma vitæ conversári iussit atque cantum in Ecclésia mirífice promóvit.

8. In Sýria, pássio sanctórum quadragínta duórum mártyrum, qui, Amórii Phrýgiæ comprehénsi et ad flumen Euphráten perdúcti, egrégio certámine palmam martýrii percepérunt.

9*. Barcinóne in Cataláunia Hispániæ, sancti Ollegárii, epíscopi, qui étiam cáthedram Tarraconénsem ténuit, cum antiquíssima sedes hæc a iugo Maurórum liberáta est.

10*. Vitérbii in Túscia, beátæ Rosæ, vírginis, e Tértio Ordine Sancti Francisci, quæ, in caritátis opéribus assídua, duodevicésimo ætátis anno ante tempus brevem vitæ cursum consummávit.

11. Gandávi in Flándria, sanctæ Colétæ Boylet, vírginis, quæ tres annos aspérrimam vitam duxit in domúncula iuxta ecclésiam cóndita reclúsa et mox, sancti Francísci Régulam proféssa, plura Clarissárum monastéria ad prístinam vitæ formam redúxit, paupertátis præsértim et pæniténtiæ spíritum indúcens.

Die 7 martii

Nonis mártii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
8	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
27	**28**	**29**	**30**	**1**	**2**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**

Memória sanctárum mártyrum Perpétuæ et Felicitátis, sub Septímio Sevéro imperatóre apud Cartháginem apprehensárum áliis cum adulescéntibus catechúmenis; quarum Perpétua, matróna círciter annórum vigínti duórum, mater erat infántis ad úbera, Felícitas vero serva, quæ, cum prægnans esset, iuxta leges ut páreret serváta, etsi in dolóribus partus, obiécta feris gaudébat. De cárcere in amphitheátrum hílari vultu, quasi in cælum, processérunt.

2. Ibídem, pássio sanctórum Sátyri, Saturníni, Revocáti et Secundíni, quorum, eádem persecutióne furénte, últimus in cárcere óbiit, céteri vero, a váriis vexáti béstiis, omnes ínvicem osculántes ferro iuguláti occubuérunt.

3. Cæsaréæ in Palæstína, pássio sancti Eubúlii, qui, sócius sancti Hadriáni, bíduo post illum a leónibus laniátus est et gládio trucidátus.

4. Apud Chersonésum, sanctórum episcopórum Basílii, Eugénii, Agathodóri, Elpídii, Æthérii, Capitónis et Ephræm, mártyrum.

5. Apud Thebáidem in Ægýpto, sancti Pauli, cognoménto Símplicis, sancti Antónii discípuli.

6. Bríxiæ in Venétia, sancti Gaudiósi, epíscopi.

7*. In monastério Anianénsi in Septimánia, sancti Ardónis Smarágdi, presbýteri, qui sancto Benedícto Anianénsi sócius fuit in vita cœnobítica.

8. Prusæ in Bithýnia, sancti Pauli, epíscopi, qui ob cultum sacrárum Imáginum defénsum pátria pulsus exsul e vita decéssit.

9. In monastério Fossænóvæ Ordinis Cisterciénsis in Látio, tránsitus sancti Thomæ de Aquíno, cuius memória die vigésima octáva ianuárii celebrátur.

10*. Londínii in Anglia, beatórum mártyrum Ioánnis Larke et Ioánnis Ireland, presbyterórum, atque Germáni Gardiner, qui ob fidelitátem Románo Pontífici servátam Tybúrni suspéndio occubuérunt, sub Henríco rege Octávo.

11. Floréntiæ in Etrúria, sanctæ Terésiæ Margarítæ Redi, vírginis, quæ, Ordinem Carmelitárum Discalceatárum ingréssa, árduam perfectiónis viam calcávit, immatúra morte corrépta.

12. Seuli in Coréa, sancti Ioánnis Baptístæ Nam Chong-sam, mártyris.

13. In loco *Sai-Nam-Hte* item in Coréa, sanctórum mártyrum Simeónis Berneux, epíscopi, Iusti Ranfer de Bretenières, Ludovíci Beaulieu et Petri Henríci Dorie, presbyterórum e Societáte Parisiénsi Missiónum ad éxteras gentes, qui, cum persecutóribus fidénter respondíssent se in Coréam ad salvándas in Christi nómine ánimas venísse, cápite obtruncáti sunt.

14*. In urbe *Kirov* in Rússia, beáti Leónidæ Fëdorov, epíscopi et mártyris, qui, munus exércens exárchæ apostólici catholicórum Russicórum Ritus byzantíni, ante régimen religióni inféensum Christi discípulus fidélis adúsque mortem méruit esse.

Die 8 martii

Octávo Idus mártii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
9	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
28	**29**	**30**	**1**	**2**	**3**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**

Sancti Ioánnis de Deo, religiósi, qui, génere lusitánus, post vitam periculórum plenam in milítia melióra exóptans, constánti caritáte egénis et infírmis óperam in nosocomío a se ædificáto præbuit et sibi sócios adscívit, qui póstea Ordinem Hospitalárium Sancti Ioánnis de Deo constituérunt. Hac die Granátæ in Hispánia ad ætérnam quiétem migrávit.

2. Commemorátio sancti Póntii, qui Carthágine diáconus fuit sancti Cypriáni, quem in exsílio ad óbitum usque comitátus est, de vita et passióne eius egrégium volúmen relínquens.

3. Apud Antínoen in Ægýpto, sanctórum Apollónii et Philémonis, mártyrum.

4*. Comi in Ligúria, sancti Províni, epíscopi, qui, sancti Ambrósii fidélis discípulus, Ecclésiam ipsi commíssam ab ariána hǽresi servávit.

5*. In ínsula Cathénsi in Hibérnia, sancti Senáni, abbátis.

6. Dumnóci in Anglia, sancti Felícis, epíscopi, qui, e Burgúndia oriúndus, Anglos orientáles sub potestáte Sigebérti regis evangelizávit.

7. Nicomedíæ in Bithýnia, sancti Theophilácti, epíscopi, qui, ob cultum sacrárum Imáginum exsílio afféctus, Stróbili in Cária defúnctus est.

8*. Apud Mórinos in Gállia, sancti Humfrídi, epíscopi Taruannénsis, qui, civitáte a Normánnis evérsa, indesinénter gregem suum congregáre et consolári curávit.

9*. Pápiæ in Langobárdia, sancti Litiphrídi, epíscopi.

10*. In óppido *Tayne* in Scótia, deposítio sancti Dutháci, epíscopi Rossénsis.

11*. Apud Stellam in Navárra, sancti Veremúndi, abbátis Hyrachénsis, qui, inde ab infántia mónachus, ob stúdium perfectiónis mónachos ipsi súbditos exémplo incitávit, ieiúniis et vigíliis déditus.

12*. Obazínæ apud Lemóvicum in Aquitánia, sancti Stéphani, primi abbátis monastérii huius loci, qui, Deum quærens, tria monastéria ab ipso cóndita Ordini Cisterciénsi coniúnxit.

13*. In monastério Androviénsi in Polónia, tránsitus beáti Vincéntii Kadłubek, epíscopi Cracoviénsis, qui, múnere abdicáto, monásticam vitam illic proféssus est.

14*. In civitáte *Getafe* prope Matrítum in Hispánia, beáti Faustíni Míguez, religiósi ex Ordine Clericórum Regulárium Scholárum Piárum, qui, sacerdótio auctus, in munus docéndi totus se cóntulit, magnam ássequens magístri ac rerum natúræ períti opiniónem pastoráli vero navitáte sédulus, et Congregatiónem Filiárum a Divína Pastóra fundávit.

Die 9 martii

Séptimo Idus mártii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
10	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
29	**30**	**1**	**2**	**3**	**4**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**

Sanctæ Francíscæ, religiósæ, quæ, adulescéntula nupta, in matrimónio quadragínta annos vixit, uxor et materfamílias probáta, pietáte, humilitáte et patiéntia admirábilis. Tempóribus calamitósis, bona sua paupéribus distríbuit, ægrótis ministrávit et, cóniuge defúncto, inter oblátas, quas sub Régula sancti Benedícti Romæ congregáverat, secéssit.

2. Apud Sebástem in Arménia, pássio sanctórum quadragínta mílitum Cappádocum, qui, non sánguinis sed fídei et obséquii erga Patris cæléstis voluntátem sócii, témpore Licínii imperatóris, post víncula ac sæva torménta, frigidíssimo híemis témpore supra stagnum rigens pernoctáre nudi sub dio iussi, crurifrágio martýrium consummárunt.

3. Barcinóne in Hispánia Tarraconénsi, sancti Paciáni, epíscopi, qui, fidem expónens, christiánum sibi nomen esse profitebátur, cathólicum vero cognómen.

4*. In pago Rapóllæ in Lucánia, sancti Vitális de Castronóvo, mónachi.

5. In Morávia orientáli, sancti Brunónis, epíscopi Querfurténsis et mártyris, qui, dum in Itália Othónem imperatórem Tértium comitabátur, sancti Romuáldi auctoritáte permótus, ad monásticam disciplínam se trádidit et, nómine Bonifátio accépto, in Germániam regréssus atque a Ioánne papa Décimo epíscopus creátus, in expeditiónibus apostólicis cum sóciis duodevigínti ab idolólatris trucidátus est.

6. Bonóniæ in Æmília, sanctæ Catharínæ, vírginis ex Ordine Sanctæ Claræ, quæ, ingénuis ártibus clara, sed mýsticis virtútibus atque pæniténtiæ humilitatísque cursu illústrior, sacras vírgines duxit.

7. Mondónii in Subalpínis, sancti Domínici Savio, qui, iam inde a pueritia dulcis et iucúndus ánimo, iter christiánæ perfectiónis céleri gressu adhuc adoléscens consummávit.

8. In pago *Nei-Ko-Ri* in Coréa, sanctórum Petri Ch'oe Hyŏng et Ioánnis Baptístæ Chŏn Chang-un, mártyrum, qui, patresfamílias, baptísma contulérunt et libros christiános typis edidérunt, quaprópter supplíciis dati ádeo constántes in fide exstitérunt, ut suórum persecutórum admiratiónem effícerent.

Die 10 martii

Sexto Idus mártii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
30	1	2	3	4	5	5	6	7	8	9	10

1. Apaméæ ad Meándrum in Phrýgia, commemorátio sanctórum Caii et Alexándri, mártyrum, qui in persecutióne Marci Antoníni et Lúcii Veri imperatórum glorióso martýrio coronáti sunt.

2. In Africa, commemorátio sancti Victóris, mártyris, in cuius festivitáte sanctus Augustínus ad pópulum de eo tractátum hábuit.

3. Item commemorátio sancti Macárii, epíscopi Hierosolymitáni, cuius hortátu loca sancta a Constantíno Magno et sancta Hélena, eiúsdem matre, repurgáta sunt et sacris illustráta basílicis.

4. Romæ apud sanctum Petrum, sancti Simplícii, papæ, qui, cum bárbari Itáliam et Urbem vastárent, afflíctos confirmávit, unitátem Ecclésiæ fovit et fidem firmávit.

5. Parísiis in Gállia, sancti Droctovéi, abbátis, qui a sancto Germáno Augustodunénsi magístro suo monachórum cœnóbio hac in urbe institúto præpósitus est.

6. In monastério Bobiénsi in Ligúria, sancti Attalæ, abbátis, qui, cœnobíticæ vitæ cultor, ad Lirinénse monastérium primum, mox ad Luxoviénse se cóntulit, ubi sancto Columbáno succéssit, zelo ac discretióne magnópere énitens.

7. Glasguæ in Scótia, sancti Ioánnis Ogilvie, presbýteri e Societáte Iesu et mártyris, qui, post multos annos in stúdiis sacræ theológiæ peráctos exsul per regna Európæ, sacérdos ordinátus clam in pátriam rédiit, ubi summa cum sedulitáte omnem pastorálem hábuit curam concívium suórum, donec, sub Iacóbo rege Sexto in cárcerem coniéctus et morte damnátus, in patíbulo gloriósam palmam martýrii accépit.

8*. Parísiis in Gállia, beátæ Maríæ Eugéniæ Milleret de Brou, vírginis, fundatrícis Congregatiónis Sorórum de Assumptióne, ad puéllas christiáne educándas.

9*. Prope civitátem *Cortázar* in México, beáti Elíæ a Succúrsu (Matthǽi Elíæ) Nieves del Castillo, presbýteri ex Ordine Fratrum Sancti Augustíni et mártyris, qui, persecutióne furénte, comprehénsus quod ministérium clam adimpléret, in ódium sacerdótii plumbis cæsus est.

Die 11 martii

Quinto Idus mártii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
1	2	3	4	5	6	6	7	8	9	10	11

1. Smyrnæ in Asia, sancti Piónii, presbýteri et mártyris, qui, ut narrátur, ob apológiam pro fide christiána coram pópulo factam, post squalórem cárceris, ubi multos ad martýrium tolerándum suis exhortatiónibus roborávit fratres, cruciátibus vexátus, beátum pro Christo finem per ignem sortítus est.

2. Laodicéæ in Sýria, sanctórum Tróphimi et Thali, mártyrum, qui in persecutióne Diocletiáni imperatóris post multa sæváque torménta corónas glóriæ assecúti sunt.

3*. In Scótia, sancti Constantíni, regis, sancti Colúmbæ discípuli et mártyris.

4. Hierosólymæ, sancti Sophrónii, epíscopi, qui Ioánnem Moschum magístrum et amícum hábuit, quocum loca monástica visitávit, et post Modéstum huius sedis præsul eléctus, cum Cívitas Sancta in manus íncidit Saracenórum, fidem pópuli ac securitátem strénue deféndit.

5*. In Hannónia Néustriæ, sancti Vindiciáni, epíscopi Cameracénsis et Atrebaténsis, qui de sancti Leodegárii morte Theodorícum regem Tértium mónuit, ut pæniténtia crimen expiáret.

6. Medioláni, depositío sancti Benedícti, epíscopi.

7*. In monastério Tamlachténsi in Hibérnia, sancti Œngi, cognoménto Cúldei, mónachi, qui album sanctórum Hibérniæ sédulo compósuit.

8. Córdubæ in Vandalícia Hispániæ regióne, sancti Eulógii, presbýteri et mártyris, ob præcláram Christi confessiónem gládio decolláti.

9*. In óppido *Cupramontana* in Picéno Itáliæ, beáti Ioánnis Baptístæ de Fabriáno Righi, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum.

10*. Eboráci in Anglia, beáti Thomæ Atkinson, presbýteri et mártyris, qui sub Iacóbo rege Primo propter solum sacerdótium martýrium passus est.

11*. Clonæ in Hibérnia, beáti Ioánnis Kearney, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum et mártyris, qui, cápite damnátus quod sacérdos per Angliam transíret, fuga senténtiam devitáverat, sed dein sub régimine Olivérii Cromwell de sacerdótio in pátria proféssο íterum argútus láquei supplício afféctus est.

12. In urbe *Hưng Yên* in Tunquíno, sancti Domínici Cẩm, presbýteri et mártyris, qui multos annos clam in discrímine vitæ necnon in cárcere ministrávit et tandem, iussu imperatóris Tự Đức cápite damnátus, crucem Dómini, quam fírmiter calcáre respúerat, ampléxus est.

13. In loco *Sai-Nam-Hte* in Coréa, sanctórum mártyrum Marci Chŏng Ui-bæ, catechístæ, et Aléxii U Se-yŏng, qui ob fidem christiánam ab ipsis propínquis contuméliis et verbéribus affécti sunt.

Die 12 martii

Quarto Idus mártii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
2	3	4	5	6	7	7	8	9	10	11	12

1. Thevéste in Numídia, sancti Maximiliáni, mártyris, qui, Victóris veteráni fílius et ipse conscríptus, Dióni procónsuli respóndit christi-

fidéli militáre non licére; et cum sacraméntum milítiæ recusavísset, gládio animadvérti iussus est.

2. Nicomedíæ in Bithýnia, commemorátio sanctórum mártyrum Mýgdonis, presbýteri, Eugénii, Máximi, Domnæ, Mardónii, Smarágdi et Hilárii, qui sínguli síngulis diébus suffocáti sunt, ut céteris metus incuterétur.

3. Ibídem, pássio sancti Petri, mártyris, qui, cum Diocletiáni imperatóris cubiculárius esset et libérius mártyrum supplícia quererétur, eiúsdem augústi iussu in médium addúcitur ac primo suspénsus diutíssime flagris tortus est, deínde in cratícula igne assátus. Dorothéus et Gorgónius autem, eídem cubículo regis præpósiti, reclamántes, simílibus pæne supplíciis affécti sunt et ad último láqueo necáti.

4. Romæ in cœmetério Pontiáni ad Ursum pileátum, deposítio sancti Innocéntii papæ Primi, qui sanctum Ioánnem Chrysóstomum deféndit, Hierónymum consolátus est et Augustínum approbávit.

5. In civitáte Leonénsi in Británnia Armórica, sancti Pauli Aureliáni, primi epíscopi huius civitátis.

6. Romæ apud sanctum Petrum, deposítio sancti Gregórii papæ Primi, cognoménto Magni, cuius memória die tértia septémbris, scílicet die ordinatiónis eius, recólitur.

7. Sigriánæ in Bithýnia in monastério Agri Magni, deposítio sancti Theóphanis, cognoménto Chronógraphi, qui, ex ditíssimo pauper mónachus factus, a Leóne Arméno imperatóre ob sacrárum Imáginum cultum biénnio in cárcere deténtus est et inde in Samothráciam deportátus, ubi, ærúmnis conféctus, spíritum réddidit.

8*. Vintóniæ in Anglia, sancti Elphégi, epíscopi, qui, iam mónachus, cœnobíticæ vitæ instauratiónem summópere curávit.

9*. In civitáte Sancti Geminiáni in Etrúria, beátæ Finæ, vírginis, quæ inde a téneris annis diutúrnam ac gravem infirmitátem invícta patiéntia soli Deo confísa pértulit.

10*. Arétii in Etrúria, beátæ Iustínæ Francucci Bezzoli, vírginis ex Ordine Sancti Benedícti et reclúsæ.

11*. Recinéti in Picéno Itáliæ, beáti Hierónymi Gherarducci, presbýteri ex Ordine Eremitárum Sancti Augustíni, qui ad pacem et concórdiam populórum procurándam incúbuit.

12. In urbe *Guiyang* provínciæ *Guangxi* Sinárum, sancti Ioséphi Zhang Dapeng, mártyris, qui, lúmine fídei accépto, vixdum baptizátus missionáriis et catechístis domum apéruit atque paupéribus, ægrótis et púeris omnímodo subvénit, donec ad crucis supplícium ductus est, lácrimas tamen gáudio effúndens, quod pro Christo mori dignus existimátus esset.

13*. Cracóviæ in Polónia, beátæ Angelæ Salawa, vírginis e Tértio Ordine Sancti Francísci, quæ, in doméstico servítio totam vitam dégere éligens, humíliter inter fámulas vixit et in summa paupertáte ad Dóminum migrávit.

14. Matútæ in Ligúria Itáliæ, sancti Aloýsii Orione, presbýteri, qui Parvam Operam a Divína Providéntia instítuit pro bono iúvenum et ómnium derelictórum.

Die 13 martii

Tértio Idus mártii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
3	4	5	6	7	8	8	9	10	11	12	13

1. Nicomedíæ in Bithýnia, sanctórum mártyrum Macedónii, presbýteri, Patríciæ, uxóris, et Modéstæ, fíliæ.

2. Hermópoli in Ægýpto, sancti Sabíni, mártyris, qui multa passus est et tandem in flumen proiéctus occúbuit.

3. In Pérside, sanctæ Christínæ, mártyris, quæ, virgis percússa, martýrium consummávit sub Chósroe rege Persárum Primo.

4*. Pictávii in Aquitánia, sancti Piéntii, epíscopi, qui beátæ Radegúndi summo auxílio fuit in cœnóbiis condéndis.

5. Híspali in Hispánia, sancti Leándri, epíscopi, qui, frater sanctórum Isidóri, Fulgéntii ac Florentínæ, prædicatióne et indústria sua gentem Visigothórum, Reccarédo rege eórum adiuvánte, ab ariána impietáte ad cathólicam fidem convértit.

6*. In monastério Novaliciénsi ad pedes montis Cinísii in valle Segusína, sancti Eldrádi, abbátis, qui, divíni cultus studiósus, psaltérium emendávit novásque ecclésias exstruéndas curávit.

7. Córdubæ in Vandalícia Hispániæ regióne, pássio sanctórum Ruderíci, presbýteri, et Salomónis, mártyrum, quorum prior, cum Mahométum vere prophétam ab Omnipoténte missum crédere recusavísset, in cárcerem coniéctus est, ubi in Salomónem incúrrit, qui aliquámdiu ántea mahometánæ religióni adhǽserat, et simul cápitis obtruncatióne agónis cursum glorióse perfecérunt.

8. Apud Camerínum in Picéno Itáliæ, sancti Ansovíni, epíscopi.

9*. In monastério Cavénsi in Campánia, beáti Petri Secúndi, abbátis.

10*. Oxónii in Anglia, beáti Agnélli de Pisis, presbýteri, qui, a sancto Francísco in Gálliam, dein in Angliam missus, Ordinem Minórum ibídem instítuit et sacras sciéntias promóvit.

11*. Erenéi in pago Meduáno Gálliæ, beátæ Francíscæ Tréhet, vírginis e Congregatióne a Caritáte et mártyris, quæ ad púeros instituéndos et ægrótos curándos omni stúdio se cóntulit et, témpore gállicæ perturbatiónis, pro Christo martýrium ferro complévit.

Die 14 martii

Prídie Idus mártii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
4	5	6	7	8	9	9	10	11	12	13	14

1. Pidnæ in Macedónia, sancti Alexándri, mártyris.

2. Medioláni in Ligúria, sancti Lázari, epíscopi.

3. Carnúti in Gállia, sancti Leobíni, epíscopi.

4. Quedlinbúrgi in Saxónia, sanctæ Mathíldis, quæ, uxor Henríci regis fidelíssima, humilitáte et patiéntia conspícua, in sublevándos páuperes et in valetudinária monasteriáque condénda benígnas impéndit curas.

5*. In pago Fuldénsi in Germánia, sanctæ Paulínæ, religiósæ.

6*. Leódii in Lotharíngia, beátæ Evæ Montis Cornélii, reclúsæ prope cœnóbium Sancti Martíni, quæ una cum sancta Iuliána, eiúsdem cœnóbii prioríssa, plúrimum óperam navávit, ut Urbánus papa Quartus sollemnitátem Córporis Christi institúeret.

7*. Panórmi in Sicília Itáliæ, beáti Iacóbi Cusmano, presbýteri, qui Institútum Missionariórum Servórum et Servárum páuperum fundávit, insígni caritáte in egénos et infírmos clarus.

Die 15 martii

Idibus mártii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
5	6	7	8	9	10	10	11	12	13	14	15

1. Párii in Hellespónto, sancti Menígni, fullónis, qui sub Décio imperatóre passus esse tráditur.

2. Romæ, sancti Zacharíæ, papæ, qui, ímpetum cóntinens Langobardórum, Francis rectum índicans órdinem, ecclésias próvidens Germánis et cum Græcis prósequens societátem, Dei Ecclésiam summa vigilántia ac prudéntia gubernávit.

3. Córdubæ in Vandalícia Hispániæ regióne, sanctæ Leocrítiæ, vírginis et mártyris, quæ, ex Maura família orta, occúlte fide Christi enítuit et, cum sancto Eulógio domi capta, quarta die post eius martýrium decolláta ad ætérnam glóriam transívit.

4*. Apud Burgum in Castélla Hispániæ regióne, sancti Sisebúti, abbátis Caradignénsis.

5. Eboráci in Anglia, beáti Guliélmi Hart, presbýteri et mártyris, qui, in Collégio Anglórum Románo ordinátus, sub Elísabeth regína Prima, ex eo quod alíquibus persuasísset ut fidem cathólicam amplecteréntur, láqueo suspénsus est et exenterátus.

6. Parísiis in Gállia, sanctæ Ludovícæ de Marillac, víduæ, quæ ad egénos sublevándos Institútum Puellárum a Caritáte exémplo formávit, óperam a sancto Vincéntio de Paul delineátam plene perfíciens.

7. Vindóbonæ in Austria, sancti Cleméntis Maríæ Hofbauer, presbýteri e Congregatióne Sanctíssimi Redemptóris, qui fídei in longínquis regiónibus propagándæ et disciplínæ ecclesiásticæ reformándæ mire adlaborávit et, tam ingénio quam virtútibus clarus, haud paucos sciéntiis artibúsque claros viros ímpulit, ut Ecclésiam adírent.

8*. Premísliæ in Polónia, beáti Ioánnis Adalbérti Balicki, presbýteri, qui múltiplex pro univérso pópulo Dei navávit ministérium, particulári sedulitáte ánimum inténdens ad Evangélium prædicándum et lapsis puéllis assidéndum.

9*. Viédmæ in Argentína, beáti Artémidis Zatti, religiósi e Societáte Sancti Francísci Salésii, qui zelo missionário emícuit et, in angústias Patagóniæ proféctus, totam vitam in valetudinário huius civitátis summa ánimi magnitúdine patiénter et humíliter necessitátibus egenórum subvénit.

Die 16 martii

Décimo séptimo Kaléndas aprílis. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
6	7	8	9	10	11	11	12	13	14	15	16

1. Aquiléiæ in Venétia, sanctórum Hilárii, epíscopi, et Tatiáni, mártyrum.

2. Seleucíæ in Pérside, sancti Papæ, qui, ex Lycaónia oriúndus ob Christi fidem, post plúrima torménta, martýrio diem óbiit.

3. Anazárbi in Cilícia, sancti Iuliáni, mártyris, qui, sub Marciáno præside diutíssime cruciátus, demum in saccum una cum serpéntibus inclúsus in mare præcipitátus est.

4*. In Artésia Néustriæ, sanctæ Eusébiæ, abbatíssæ Hammaticénsis, quæ, post mortem patris, cum sancta matre Rictrúde ad vitam monásticam se cóntulit et adhuc aduléscens post áviam sanctam Gertrúdem abbatíssa elécta est.

5. Colóniæ Agrippínæ in Germánia, sancti Heribérti, epíscopi, qui, Othónis imperatóris Tértii cancellárius, invítus ad sedem episcopálem eléctus, clerum et pópulum suum virtútum exémplis indesinénter collustrávit, quas étiam prædicatióne commendábat.

6*. Vicétiæ in Venétia, beáti Ioánnis Sordi seu Cacciafronte, epíscopi et mártyris, qui, primum abbas, ob fidelitátem papæ servátam exsílio afféctus est; epíscopus dein Mantuánus eléctus et ad sedem Vicentínam translátus, pro ecclesiástica libertáte a sicário gládio percússus occúbuit.

7*. Eboráci in Anglia, beatórum Ioánnis Amias et Robérti Dalby, presbyterórum et mártyrum, qui, sub Elísabeth regína Prima propter solum sacerdótium cápite damnáti, ad supplícium láquei lætabúndi adiérunt.

8. Apud Hurónes in Cánada, pássio sancti Ioánnis de Brébeuf, presbýteri e Societáte Iesu, qui, ex Gállia in Hurónicam missiónem

missus, post multos labóres peráctos a pagánis quibúsdam loci sævíssime cruciátus pro Christo occúbuit. Cuius memória cum sóciis die undevicésima octóbris ágitur.

Die 17 martii

Sexto décimo Kaléndas aprílis. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
18	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**30**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
7	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**

Sancti Patrícii, epíscopi, qui iúvenis e Británnia in Hibérniam delátus est captívus, dein, libertáte recépta, in cléricis adnumerári vóluit et in eándem rédiit ínsulam, ubi, epíscopus factus, pópulo actuóse Evangélium nuntiávit atque Ecclésiam fírmiter ordinávit, donec apud civitátem Dunum in Hibérnia in Dómino obdormívit.

2. Commemorátio plurimórum sanctórum mártyrum Alexandríæ in Ægýpto, qui, témpore Theodósii imperatóris, christianórum número crescénte, a Serápidis cultóribus comprehénsi sunt et, cum idólum constánter adoráre renuíssent, sævíssime cæsi.

3. Cabillóni in Burgúndia Gálliæ, sancti Agrícolæ, epíscopi, qui per decem fere lustra hanc rexit Ecclésiam et váriis concíliis roborávit.

4. Nivéllæ in Brabántia, sanctæ Gertrúdis, abbatíssæ, quæ, claríssimo género orta, a sancto Amándo epíscopo sacrum velámen vírginum accépit et monastério a matre exstrúcto sapiénter præfuit, in Scripturárum lectióne assídua atque vigiliárum et ieiúnii austeritáte consúmpta.

5. In ínsula Cypro, sancti Pauli, mónachi, qui, cum sanctárum Imáginum cultum defénderet, igne combústus est.

6*. Medúnei prope Bárium in Apúlia, beáti Conrádi, qui in Palæstína eremíticam vitam duxit, míseram cryptam usque ad mortem íncolens.

7. Olomúcii in Morávia, sancti Ioánnis Sarkander, presbýteri et mártyris, qui párochus Holesoviénsis, cum arcána confessiónum trádere renuísset, rotæ supplício datus est et adhuc spirans in cárcerem deiéctus post mensem óbiit.

8. Apud Hurónes in Cánada, pássio sancti Gabriélis Lalemant, presbýteri e Societáte Iesu, qui strénuo zelo Dei glóriam ipso populórum loci idiómate diffúdit, ántequam ipse ab inimícis idolórum cultóribus ad crudelíssima traherétur supplícia. Eius memória ágitur cum sóciis die undevicésima octóbris.

9*. Málacæ in Hispánia, beáti Ioánnis Nepomucéni Zegrí y Moreno, presbýteri, qui ministérium suum in servítium Ecclésiæ atque animárum vitam consecrávit et, quo mélius glóriam Dei Patris in Christo procuráret, Congregatiónem Sorórum a Caritáte Beátæ Maríæ Vírginis a Mercéde fundávit.

Die 18 martii

Quinto décimo Kaléndas aprílis. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
19	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**30**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
8	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**

Sancti Cyrílli, epíscopi Hierosolymitáni et Ecclésiæ doctóris, qui, ab ariánis multas fídei causa perpéssus iniúrias et e sede sæpe pulsus, oratiónibus et catechési orthodóxam doctrínam, Scriptúras et sacra mystéria fidélibus mire expósuit.

2. Commemorátio sancti Alexándri, epíscopi et mártyris, qui, de Cappadócia Hierosólymam véniens, Sanctæ Civitátis curam pastorálem suscépit, pretiósam fundávit bibliothécam et scholam apéruit; póstmodum, cum iam longævæ ætátis veneránda canítie præfulgéret, in persecutióne Décii imperatóris Cæsaréam ductus ob Christi conféssiónem martýrium complévit.

3. Lucæ in Etrúria, sancti Frigdiáni, epíscopi, qui, ex Hibérnia oriúndus, cléricos in monastérium collégit et pro bono pópuli Sérculum flumen ad álium cursum defléctit territórium fértile cómparans et Langobárdos, qui in suam diciónem irrupérunt ad fidem cathólicam convértit.

4. Turónis in Néustria, sancti Leobárdi, qui, in céllula Maióre reclúsus monastério propínqua, mira abstinéntia et humilitáte refúlsit.

5. Cæsaraugústæ in Hispánia Tarraconénsi, sancti Brauliónis, epíscopi, qui sancto Isidóro, cuius íntimus fuit, ad disciplínam ecclesiásticam in tota Hispánia instaurándam auxílium præbuit et eloquéntia scientiáque digne succéssit.

6. Apud óppidum *Wareham* in Anglia, sancti Eduárdi, qui, rex Anglórum, adhuc adoléscens per malum dolum a novércæ fámulis necátus est.

7. Mántuæ in Langobárdia, tránsitus sancti Ansélmi, epíscopi Lucénsis, qui, sedi Románæ fidelíssimus, in contentióne de investitúra ánulum et pastorálem báculum, quos ab Henríco imperatóre Quarto ægre accéperat, in manus sancti Gregórii papæ Séptimi repósuit et, a canónicis vitam commúnem renuéntibus sede expúlsus, in Langobárdiam legátus a papa missus est, cui strénuus fuit adiútor.

8. Cálari in Sardínia, sancti Salvatóris de Horta Grionesos, religiósi ex Ordine Fratrum Minórum, qui ad córporum et animárum salútem húmile factus est Christi instruméntum.

9*. Lancástriæ in Anglia, beatórum Ioánnis Thules, presbýteri, et Rogérii Wrenno, mártyrum Christi sub Iacóbo rege Primo, ex eódem comitátu oriundórum.

10*. In cœnóbio Sancti Salvatóris Vicecómitis in Normánnia Gálliæ, beátæ Marthæ (Amátæ) Le Bouteiller, vírginis e Soróribus Scholárum Christianárum a Misericórdia, quæ, Deo summópere inníxa, humíllima offícia semper patiénter implévit.

Die 19 martii

Quarto décimo Kaléndas aprílis. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
9	10	11	12	13	14	14	15	16	17	18	19

Sollémnitas sancti Ioseph, sponsi beatíssimæ Vírginis Maríæ, qui, vir iustus, ex stirpe David ortus, paréntis loco fuit Fílio Dei Christo Iesu, qui fílius Ioseph vóluit appellári et ei súbditus esse sicut fílius patri. Ecclésia speciáli honóre patrónum venerátur, quem Dóminus constítuit super famíliam suam.

2. Apud Spolétum in Umbria, sancti Ioánnis, abbátis Parranénsis, qui multórum servórum Dei pater éxstitit.

3*. Pápiæ in Langobárdia, beáti Isnárdi de Chiámpo, presbýteri ex Ordine Prædicatórum, qui in hac civitáte convéntum Ordinis sui fundávit.

4*. Senis in Etrúria, beáti Andréæ Gallerani, qui infírmos et afflíctos diligénter visitávit et consolátus est atque Fratres Misericórdiæ congregávit, qui, láici sine votis, paupéribus et infírmis ministrárent.

5*. Cameríni in Picéno Itáliæ, beáti Ioánnis de Parma Buralli, presbýteri ex Ordine Minórum, quem ad Græcos Innocens papa Quartus legátum misit, ut eórum communiónem cum Latínis conciliáret.

6*. Pápiæ in Langobárdia, beátæ Sibyllínæ Biscossi, vírginis, quæ, duodénnis óculis capta, reclúsa apud ecclésiam Ordinis Prædicatórum sexagínta quinque annos degit, multos qui ad eam confugiébant interióre luce illústrans.

7*. Vicétiæ in Venétia, beáti Marci de Marchio de Montegallo, presbýteri ex Ordine Minórum, qui ad páuperum inópiam sublevándam opus Montem Pietátis nuncupátum creávit.

8*. Prope Monáchium Baváriæ in Germánia, beáti Narcíssi Turchan, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum et mártyris, qui, e

Polónia nefário regímine subácta in castra detentiónis Dacháni propter fidem deportátus, cruciátibus conféctus occúbuit.

9*. In loco *Mauthausen* in Austria, beáti Marcélli Callo, mártyris, qui, iúvenis e Rhedónibus in Gállia oriúndus, bello grassánte, concaptívos duris labóribus deféssos christiáno ardóre in fide confortábat, quaprópter in campo excídii enecátus est.

Die 20 martii

Tértio décimo Kaléndas aprílis. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
10	11	12	13	14	15	15	16	17	18	19	20

1. Commemorátio sancti Archíppi, commilitónis beáti Pauli Apóstoli, cuius ipse in epístulis ad Philémonen et ad Colosséneses méminit.

2. Antiochíæ in Sýria, sanctórum Pauli, Cyrílli et aliórum, mártyrum.

3*. Metis in Gállia Bélgica, sancti Urbícii, epíscopi.

4*. Brácaræ in Lusitánia, sancti Martíni, epíscopi, qui, e Pannónia oriúndus, primum sedem Dumiénsem, dein Bracarénsem accépit, cuius zelo et prædicatióne Suévi, ariána hǽresi derelícta, fidem cathólicam ampléxi sunt.

5. In ínsula Farna in Northúmbria, tránsitus sancti Cuthbérti, epíscopi Lindisfarnénsis, qui in pastorál múnere eádem cláruit diligéntia, qua ántea in monastério et erémo, atque Celtórum austeritátes ac vivéndi genus cum móribus románis pacífice compósuit.

6. In monastério Fontanéllæ in Néustria, deposítio sancti Vulfrámni, qui, ex mónacho epíscopus Senonénsis eléctus, ad gentem Frisiórum evangélico núntio ditándam se cóntulit; tandem in monastérium Fontanéllæ revérsus ibídem in pace quiévit.

7. Commemorátio sancti Nicétæ, epíscopi Apollóniæ in Macedónia, qui pro sanctárum Imáginum cultu ab imperatóre Leóne Arméno in exsílium eiéctus est.

8. In laura Sancti Sabæ in Palæstína, pássio sanctórum vigínti monachórum, qui a Saracénis incursóribus in ecclésia Genetrícis Dei fumo suffocáti sunt.

9*. Senis in Etrúria, beáti Ambrósii Sansedoni, presbýteri ex Ordine Prædicatórum, qui, sancti Albérti Magni discípulus, licet doctrína et prædicatióne sápiens, simul in omnes símplicem se præbuit.

10. Pragæ in Bohémia, sancti Ioánnis Nepomucéni, presbýteri et mártyris, qui in Ecclésia tuénda multas a Vencesláo rege Quarto accépit iniúrias et, torméntis et cruciátibus expósitus, tandem adhuc spirans in Moldávam flumen deiéctus est.

11*. Mántuæ in Langobárdia, beáti Baptístæ Spagnoli, presbýteri ex Ordine Carmelitárum, qui inter príncipes pacem conciliávit et Ordinem ipsum reformávit, cui Leónis papæ Décimi iussu invítus præpósitus est.

12*. Floréntiæ in Etrúria, beáti Hippólyti Galantini, qui Sodalitátis Doctrínæ Christiánæ fundátor, in catechéticam institutiónem puerórum simpliciorúmque egrégiam impéndit óperam.

13*. Erenéi in pago Meduáno Gálliæ, beátæ Ioánnæ Véron, vírginis et mártyris, quæ in púeros ægrotósque curándos se impéndit et, cum in gállica perturbatióne sacerdótes a persecutóribus abdidísset, ferro interémpta est.

14*. Tarracóne in Hispánia, beáti Francísci a Iesu María Ioseph Palau y Quer, presbýteri ex Ordine Carmelitárum Discalceatórum, qui in ministério graves persecutiónes sústulit atque in ínsulam Ebúsam ob falsas accusatiónes relegátus est et ab ómnibus derelíctus.

15. Flaviobrígæ in Vascónia Hispániæ, sanctæ Maríæ Ioséphæ a Corde Iesu Sancho de Guerra, vírginis, quæ Congregatiónem Sorórum Iesu Servárum cóndidit et ad curatiónem ægrotórum præsértim et páuperum informávit.

16*. Leópoli in Ucráina, beáti Ioséphi Bilczewski, epíscopi, qui magna caritátis sedulitáte morum doctrináeque institutióni cleri et pópuli Latinórum incúbuit et, belli témpore, páuperum egenorúmque necessitátibus omni ope ac stúdio subvénit.

Die 21 martii

Duodécimo Kaléndas aprílis. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
22	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**30**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
11	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**

1. In Ægýpto, sancti Serapiónis, anachorétæ.

2. Commemorátio sanctórum mártyrum Alexandrinórum, qui, sub Constántio imperatóre et præfécto Philágrio, ariánis et gentílibus in ecclésias irruéntibus, féria VI in Passióne Dómini cæsi sunt.

3. Laucónæ in pago Lugdunénsi, natális sancti Lupicíni, abbátis, qui cum sancto Románo fratre vitæ monásticæ institúta in saltu Iurénsi sustínuit.

4*. In Hibérnia, sancti Endei, abbátis, qui in Araniénsi ínsula tam célebre cœnóbium cóndidit, ut ex eius fama ínsula Sanctórum ea appellarétur.

5. In Monte Casíno, natális sancti Benedícti, abbátis, cuius memória ágitur die undécima iúlii.

6. Constantinópoli, pássio sancti Iacóbi, cognoménto Confessóris, qui pro cultu sanctárum Imáginum strénue propugnávit et glorióso martýrio excéssit vita.

7*. Iúliæ Valéntiæ in pago Viennénsi Gálliæ, sancti Ioánnis, epíscopi, qui, prius abbas Bonæ Vallis, multas pro defénsione iustítiæ perpéssus est adversitátes atque agrícolas, páuperes et mercatóres ære dírutos magna cum caritáte adiúvit.

8. In abrúpto móntium vulgo dicto *Ranft* apud *Sachseln* in Helvétia, sancti Nicolái de Flüe, qui supérno afflátu ad maióra vocátus, uxóre decémque líberis posthábitis, in montem secédens vitam egit anachoréticam, artíssima pæniténtia mundíque contémptu célebris, semel tantum a céllula egréssus, ut, bello civíli minánte, brevi hortatióne adversários compóneret.

9*. Dorcéstriæ in Anglia, beáti Thomæ Pilchard, presbýteri et mártyris, viri docti et mansuéti, sub Elísabeth regína Prima propter sacerdótium patíbuli supplíciis tráditi. Cum eo commemorátur étiam beátus Guliélmus Pike, martyr, qui, faber lignárius, die non trádito ibídem sub eádem regína propter reconciliatiónem cum Romána Ecclésia sævíssime disséctus est.

10*. Eboráci item in Anglia, beáti Matthæi Flathers, presbýteri et mártyris, qui, alúmnus Collégii Anglórum Duacénsis, sub Iacóbo rege Primo vivus pro Christo dilaniátus est.

11. In *Sichuan* província Sinárum, commemorátio sancti Augustíni Zhao Rong, presbýteri et mártyris, qui, persecutióne sæviénte, in cárcerem pro Christi nómine trusus die incérto témpore verno mortem oppétiit.

12. Ronchi in Ligúria, sanctæ Benedíctæ Cambiagio Frassinello, quæ cum viro sponte vitæ coniugáli renuntiávit et pro christiána institutióne puellárum páuperum ac derelictárum Institútum Sorórum Benedictinárum a Providéntia fundávit.

Die 22 martii

Undécimo Kaléndas aprílis. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
12	13	14	15	16	17	17	18	19	20	21	22

1. Commemorátio sancti Epaphrodíti, quem sanctus Paulus Apóstolus fratrem, cooperatórem et commilitónem vocat.

2. Narbóne ad oram Gálliæ via Domítia extra Urbem, deposítio sancti Pauli, epíscopi et mártyris.

3. In Galátia, sanctórum Calliníci et Basilíssæ, mártyrum.

4. Ancýræ item in Galátia, sancti Basilíi, presbýteri et mártyris, qui, quámdiu Constántius impérium obtínuit, fortíssime réstitit ariánis; mox sub Iuliáno imperatóre Deum precátus est, ne quis christianórum a fide defíceret, quam ob rem comprehénsus, præsidi províncię oblátus multáque perpéssus torménta martýrium consummávit.

5. Commemorátio sanctæ Leæ, víduæ románæ, cuius virtútes et tránsitum ad Deum sanctus Hierónymus laudávit.

6. Auximi in Picéno Itáliæ, sancti Benvenúti Scotivoli, epíscopi, qui ab Urbáno papa Quarto ad hanc sedem eléctus, pacem inter cives conciliávit et in spíritu Fratrum Minórum super nudam terram e vita migráre vóluit.

7. Londínii in Anglia, sancti Nicolái Owen, religiósi e Societáte Iesu et mártyris, qui multos annos látebras pro sacerdótibus condéndis exstrúxit, quaprópter sub Iacóbo rege Primo incarcerátus et gravíssime tortus, demum in ecúleum coniéctus Christo Dómino gloriόse obsecútus occúbuit.

8*. Andégavi in Gállia, beáti Francísci Chartier, presbýteri et mártyris, qui in gállica perturbatióne propter sacerdótium cápitis abscissióne occúbuit.

9*. In castris detentiónis loci *Stutthof* prope Gedánum in Polónia, beatórum Mariáni Górecki et Bronislái Komorowski, presbyterórum et mártyrum, qui, pátria more militári a sectatóribus doctrínæ in religiónem hostílis occupáta, in contémptum fídei plumbis transfóssi sunt.

Die 23 martii

Décimo Kaléndas aprílis. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
13	14	15	16	17	18	18	19	20	21	22	23

Sancti Turíbii de Mogrovejo, epíscopi Limáni, qui, láicus iurisperítus ex Hispánis oriúndus, ad hanc sedem eléctus Américam pétiit et, apostólico zelo flagrans, amplam diœcésim plúries, pédibus sæpe, visitávit, gregi ipsi commísso assídue provídit, abúsus et scándala in clero sýnodis profligávit, Ecclésiam strénue deféndit, pópulos natívos catechizávit ac convértit, donec Sannæ in Perúvia tandem quiévit.

2*. In Cornúbia, sancti Fingar seu Guignéri, mártyris.

3. Commemorátio sanctórum mártyrum Victoriáni, procónsulis Cartháginis, et duórum fratrum germanórum Aquæregénsium; item Fruméntii et alteríus Fruméntii, mercatórum, qui omnes in persecutióne vandálica, sub Hunneríco rege ariáno, pro constántia christiánæ confessiónis immánibus supplíciis cruciáti egrégie coronáti sunt.

4*. Pontísaræ apud Parísios in Gállia, sancti Gualtérii, primi abbátis monastérii loci, qui, solitúdinis amóre posthábito, disciplínam regulárem exémplo suo mónachos dócuit et in clero simoníacos mores profligávit.

5*. Ariáni in Hirpínia, sancti Othónis, eremítæ.

6*. Eugúbii in Umbria, beáti Petri, presbýteri ex Ordine Eremitárum Sancti Augustíni.

7*. Eboráci in Anglia, beáti Edmúndi Sykes, presbýteri et mártyris, qui, sub Elísabeth regína Prima propter sacerdótium exsílio afféctus, cum Angliam íterum petivísset, extrémis patíbuli supplíciis tráditus est.

8*. In loco *Naas* prope Eblánam in Hibérnia, beáti Petri Higgins, presbýteri ex Ordine Prædicatórum et mártyris, qui ob fidelitátem Ecclésiæ Románæ servátam sub Cárolo rege Primo sine iudício láqueo suspénsus est.

9. Barcinóne in Hispánia, sancti Ioséphi Oriol, presbýteri, qui córporis afflictatióne, paupertátis cultu et contínua oratióne in Deum semper inténtus fuit et gáudio cælésti replétus.

10*. In vico *Cemmo* in Langobárdia Itáliæ, beátæ Annuntiátæ Cocchetti, vírginis, quæ Institútum Sorórum a Sancta Dorothéa nuper fundátum sapiéntia, fortitúdine et humilitáte rexit.

11. Apud *ad-Dahr* in Líbano, sanctæ Rebéccæ de Himláya ar-Rayyās, vírginis ex Ordine Libanénsi Sancti Antónii Maronitárum, quæ trigínta annos óculis capta, dein membris ómnibus infirmitáte quoque affécta, soli Deo confísa tota in oratióne permánsit.

12*. Leopoldópoli in Slováchia, beáti Methódii Domínici Trčka, presbýteri e Congregatióne Sanctíssimi Redemptóris et mártyris, cuius terréna peregrinátio, témpore persecutiónis fídei, glorióso martýrio in vitam ætérnam mutáta est.

Die 24 martii

Nono Kaléndas aprílis. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
25	**26**	**27**	**28**	**29**	**30**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
14	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**

1. Cæsaréæ in Palæstína, sanctórum mártyrum Timolái, Dionýsii, Páusidis, Rómuli, Alexándri et alteríus Alexándri, qui in persecutióne Diocletiáni imperatóris colligátis mánibus ad Urbánum præféctum ducti sunt se christiános esse confiténtes et, paucis post diébus cum sóciis Agápio et Dionýsio áltero, præcísis capítibus, ætérnæ vitæ corónas meruérunt.

2. In Mauretánia, sancti Secúnduli, qui pro Christi fide passus est.

3*. Clocériæ in Hibérnia, sancti Maccarthémi, epíscopi, qui sancti Patrícii discípulus habétur.

4*. Cátanæ in Sicília, sancti Sevéri, epíscopi.

5*. Fabriáni in Picéno Itáliæ, beáti Ioánnis a Báculo, presbýteri et mónachi, sancti Silvéstri abbátis sócii.

6. Vásteni in Suécia, sanctæ Catharínæ, vírginis, quæ, sanctæ Birgíttæ fília, invíta nuptum data virginitátem, cóniuge consentiénte, servávit et post eius óbitum piam degit vitam; Romæ et in Terra Sancta peregrína, matris relíquias in Suéciam tránstulit et in monastério Vastenénsi asservávit, ubi hábitum moniálium ipsa índuit.

7*. Arúndæ in Vandalícia Hispániæ regióne, beáti Dídaci Ioséphi de Gádibus (Francísci Ioséphi) López-Caamaño, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum Capuccinórum, prædicatóris insígnis et Ecclésiæ libertátis intrépidi propugnatóris.

8*. In óppido *Pniewite* apud Gedánum in Polónia, beátæ Maríæ Karlowska, vírginis, quæ, ut puéllæ ac mulíeres indigéntes et in corruptéla morum versátæ dignitátem filiárum Dei recuperárent, Congregatiónem Sorórum Divíni Pastóris a Providéntia divína instítuit.

Die 25 martii

Octávo Kaléndas aprílis. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
15	16	17	18	19	20	20	21	22	23	24	25

Sollémnitas Annuntiatiónis Dómini, cum in civitáte Názareth ángelus Dómini nuntiávit Maríæ: «Ecce concípies et páries fílium, et Fílius Altíssimi vocábitur»; respóndens autem María, dixit: «Ecce ancílla Dómini; fiat mihi secúndum verbum tuum». Et sic compléta plenitúdine témporum, qui erat ante sǽcula Unigénitus Dei Fílius propter nos hómines et propter nostram

salútem incarnátus est de Spíritu Sancto ex María Vírgine et homo factus est.

2. Commemorátio sancti latrónis, qui, in cruce Christum confés-sus, ab eo méruit audíre: «Hódie mecum eris in paradíso».

3. Nicomedíæ, sancti Dulæ, mártyris.

4. Romæ in cœmetério Pontiáni via Portuénsi, sancti Quiríni, már-tyris.

5. Thessaloníсæ in Macedónia, sanctæ Matrónæ, mártyris, quæ, cuiúsdam Iudǽæ ancílla, cum occúlte Christum cóleret, a dómina sua deprehénsa et multiplíciter afflícta, novíssime fústibus usque ad mortem cæsa est et in confessióne Christi incorrúptum Deo spíritum réddidit.

6. Medioláni in Transpadána, sancti Monæ, epíscopi.

7. In ínsula Antro prope Nannétes in Gállia, sancti Hermelándi, qui, ex aula régia mónachus Fontanellénsis, deínde primus abbas loci factus est.

8*. Mámmulæ prope Hierácium in Calábria, sancti Nicodémi, ere-mítæ, qui, asperitáte vitæ virtutibúsque exímius, magíster fuit moná-sticæ conversatiónis.

9. Sázavæ in Bohémia, sancti Procópii, qui, uxóre et fílio posthá-bitis, ad eremíticam vitam se cóntulit, póstea monastério ibídem ab ipso fundáto præfuit et divínas laudes ritu græco ac slávico sermóne celebrávit.

10*. Probatópoli in Suévia, beáti Everárdi, qui, comes Nellenburgén-sis, monásticam vitam in cœnóbio Omnium Sanctórum eius curis exstrúcto ampléxus est.

11*. Apud Costacciárium in Umbria, beáti Thomæ, eremítæ, qui sexa-gínta et quinque annos anachoréticam vitam egit et álios ágere dócuit.

12. Eboráci in Anglia, sanctæ Margarítæ Clitherow, mártyris, quæ, cóniuge annuénte, fídei cathólicæ, in qua líberos quoque educávit,

adhǽsit atque, ut ipsa sacerdótes inquisítos domi ábderet, cavit; quam ob rem plúries vincta, sub Elísabeth regína Prima ante tribúnal causam suam tractáre recúsans, ne ánimi consiliariórum iúdicis cápitis damnatióne gravaréntur, sub magno póndere ad mortem usque pro Christo oppréssa est.

13*. Vintóniæ item in Anglia, beáti Iacóbi Bird, mártyris, qui, sub eádem regína, decem et novem annos natus et nuper cathólicus efféctus, aliénam litúrgiam participáre recúsans, ad cæléstis cultus celebratiónem méruit perveníre.

14. Apud Montem Faliscórum in Túscia, sanctæ Lúciæ Filippini, fundatrícis Institúti Magistrárum Piárum ad puellárum et mulíerum, præsértim páuperum, christiánam eruditiónem promovéndam.

15*. Romæ apud Sanctum Paulum via Ostiénsi, beáti Plácidi Riccardi, presbýteri ex Ordine Sancti Benedícti, qui, contínuis fébribus, morbis ac parálysi corréptus, regulárem observántiam et oratiónem indefésse compléxus est et álios dócuit complecténdas.

16*. In óppido *Chervonohrad* prope Leópolim in Ucraína, beátæ Iosaphátæ (Michaelínæ) Hordáshevska, vírginis, quæ in Institúto Sorórum Ancillárum Maríæ Immaculátæ ab ipsa fundáto, ubíque maior esset necéssitas, inservívit.

17*. In civitáte *Majdanek* prope Lublínum in Polónia, beáti Æmiliáni Kovč, presbýteri et mártyris, qui, belli témpore, in campum detentiónis deportátus, per certámen fídei vitam apprehéndit ætérnam.

18*. Prope Monáchium Baváriæ in Germánia intra castra detentiónis Dacháni, beáti Hilárii Januszewski, presbýteri ex Ordine Fratrum Discalceatórum Beátæ Vírginis de Monte Carmélo et mártyris, qui, témpore belli e Polónia hunc in aliénum cárcerem propter Christum deportátus, typho corréptus in ægrótis assidéndo fide et caritáte clarus occúbuit.

Die 26 martii

Séptimo Kaléndas aprílis. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
16	17	18	19	20	21	21	22	23	24	25	26

1. Romæ via Labicána, sancti Cástuli, mártyris.

2. In Anatólia, sanctórum Emmanuélis, Sabíni, Codráti et Theodósii, mártyrum.

3. Sírmii in Pannónia, sanctórum mártyrum Montáni, presbýteri, et Máximæ, cóniugum, qui Christum Dóminum conféssi ab infidélibus in ǽquora præcípites dati sunt.

4. Commemorátio passiónis sancti Eutýchii, subdiáconi alexandríni, qui, Constántii imperatóris témpore, sub ariáno epíscopo Geórgio pro fide cathólica cæsus est.

5. Sebáste in Arménia, sancti Petri, epíscopi, qui, frater iúnior sancti Basilíi Magni, advérsus ariános orthodóxæ fídei defénsor exímius fuit.

6. In monastério Dervénsi in Campánia Gálliæ regióne, sancti Berchárii, primi abbátis Altivillariénsis atque Dervénsis, qui, a péssimo mónacho pugióne veheménter die Cenæ domínicæ percússus, die Resurrectiónis ad cæléstia transívit.

7. Apud Montem Albánum in Etrúria, sanctórum Baróntii et Desidérii, eremitárum.

8. In monastério Werthinénsi in Saxónia, tránsitus sancti Liudgéri, epíscopi, qui, ab Alcuíno erudítus, Evangélium in Frísia, Dánia et Saxónia prædicávit, Monasteriénsem sedem constítuit ac plura cóndidit monastéria, vera cápita fídei propagándæ.

9*. Cátanæ in Sicília Itáliæ, beátæ Magdalénæ Catharínæ Morano, vírginis ex Institúto Filiárum Maríæ Auxiliatrícis, quæ catechési tradéndæ se devóvit, hanc regiónem longe latéque totam sine intervállo péragrans.

Die 27 martii

Sexto Kaléndas aprílis. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
17	18	19	20	21	22	22	23	24	25	26	27

1. Salisbúrgi in Bavária, sancti Rupérti, epíscopi, qui, primum Vormátiæ degens, a Theodóne duce rogátus Baváriam pétiit et in óppido Iuvávo ecclésiam monasteriúmque ædificávit, quibus epíscopus et abbas præfuit et unde fidem christiánam diffúdit.

2*. Septémpedæ in Picéno Itáliæ, beáti Peregríni de Phaleróne, presbýteri, qui inter primos sancti Francísci discípulos fuit et peregrínus in Terra Sancta Saracenórum quoque afféctus est admiratióne.

3*. Quarónæ apud Nováriam in Subalpínis Itáliæ, beátæ Panacéæ de' Muzzi, vírginis et mártyris, quæ ab ipsa novérca, a qua semper divexabátur, in ecclésia orans quintodécimo ætátis anno interfécta est.

4*. Augústæ Taurinórum item in Subalpínis, beáti Francísci Faá di Bruno, presbýteri, qui mathemáticæ et phýsicæ sciéntiam cum caritátis óperum stúdio coniúnxit.

Die 28 martii

Quinto Kaléndas aprílis. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
18	19	20	21	22	23	23	24	25	26	27	28

1. Tarsi in Cilícia, sancti Cástoris, mártyris.

2. Commemorátio sanctórum mártyrum Prisci, Malchi et Alexándri. Hi tres, in persecutióne Valeriáni imperatóris, cum in suburbáno

agéllo Cæsaréæ in Palæstína habitárent, ubi cæléstis martýrii corónæ proponeréntur, ultro iúdicem divíno fídei ardóre succénsi adiérunt et quod tantum in sánguinem desævíret piórum obiurgárunt; quos ille contínuo ob Christi nomen béstiis trádidit devorándos.

3. Heliópoli in Phœnícia, sancti Cyrílli, diáconi et mártyris, qui sub Iuliáno Apóstata imperatóre immániter occísus est.

4. Alexandríæ in Ægýpto, sancti Protérii, epíscopi, qui féria quinta in Cena Dómini a monophysítis ásseclis prædecessóris sui Dióscori intra tumúltum pópuli crudéliter occísus est.

5. Cabillóni in Burgúndia Gálliæ, depositio sancti Gunthrámni, regis Francórum, qui thesáuros suos ecclésiis et paupéribus erogávit.

6. Apud montem Olýmpum in Bithýnia, sancti Hilariónis, hegúmeni monastérii Peleceténsis, qui pro cultu sanctárum Imáginum strénue decertávit.

7. Cistércii in Burgúndia, sancti Stéphani Harding, abbátis, qui de Molísmo áliis cum mónachis véniens huic célebri præfuit cœnóbio, fratres convérsos instítuit, Bernárdum illum cum trigínta sóciis excépit ac duódecim monastéria fundávit, quæ Chartæ caritátis vínculo iunxit, ut nulla esset discórdia, sed una caritáte, una régula similibúsque consuetudínibus ágerent mónachi.

8*. Nasi apud Messánam in Sicília, sancti Coni, mónachi sub orientálium disciplína, qui, e peregrinatióne ad loca sancta regréssus, cum paréntes vita functos reperísset, totam rem familiárem egénis distríbuit vitámque anachoréticam ampléxus est.

9*. Monticiáni apud Senas in Etrúria, beáti Antónii Patrizi, presbýteri ex Ordine Eremitárum Sancti Augustíni, qui verus fuit fratrum et próximi amátor.

10*. Turónis in Gállia, beátæ Ioánnæ Maríæ de Maillé, quæ, cóniuge in bello interfécto, ad inópiam redácta et a suis domo eiécta, derelícta ab ómnibus in céllula pæne reclúsa apud convéntum Minórum vixit, panem mendícans sed tota in Deo confísa.

11*. Eboráci in Anglia, beáti Christóphori Wharton, presbýteri et mártyris sub Elísabeth regína Prima, qui propter sacerdótium patíbuli supplíciis tráditus est.

12*. Andégavi in Gállia, beátæ Renátæ Maríæ Feillatreau, mártyris, quæ, nupta, gállica perturbatióne sæviénte, propter fidelitátem Ecclésiæ cathólicæ servátam cápite obtruncáta est.

13. Premísliæ in Polónia, sancti Ioséphi Sebastiáni Pelczar, epíscopi, fundatóris Congregatiónis Ancillárum a Sacro Corde Iesu et magístri exímii vitæ spiritális.

Die 29 martii

Quarto Kaléndas aprílis. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
30	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
19	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**

1*. Neápoli in Campánia, commemorátio sancti Eustásii, epíscopi.

2. Commemorátio sancti Marci, epíscopi Arethúsæ in Sýria, qui ariánæ controvérsiæ tempóribus a fide orthodóxa mínime defléxit et sub Iuliáno Apóstata imperatóre veheménter vexátus est, a sancto Gregório Nazianzéno vir exímius et sanctíssimus senex salutátus.

3. Commemorátio sanctórum Armogásti, Archiními et Saturníni, mártyrum, qui in Africa, témpore vandálicæ persecutiónis, sub Genseríco rege ariáno pro veritátis confessióne multa ac grávia supplícia opprobriáque perpéssi sunt.

4*. In monte Carmélo in Palæstína, beáti Berthóldi, qui, miles, inter fratres vitam religiósam hoc in monte degéntes admíssus, mox, prior eléctus, piam communitátem Matri Dei commendávit.

5*. Pictávii in Aquitánia, sancti Guliélmi Tempier, epíscopi, qui, prudens et firmus, Ecclésiam ipsi commíssam advérsus nóbiles de-

féndit et mores emendávit, ipse integérrimum vitæ exémplum præbens.

6*. Wismáriæ in Holsátia Germániæ, sancti Ludólphi, epíscopi Raceburgénsis et mártyris, qui ob libertátem Ecclésiæ defénsam iussu Albérti ducis in squálidum cárcerem coniéctus est et ita córpore exanimátus, ut, simul ac a vínculis liberátus est, e mundo migráret.

7*. Sarisbériæ in Anglia, commemorátio beáti Ioánnis Hambley, presbýteri et mártyris, qui, sub Elísabeth regína Prima, propter sacerdótium, die ignóto huius mensis circa Pascha Dómini, patíbuli supplíciis ad Christi passiónem se conformávit.

Die 30 martii

Tértio Kaléndas aprílis. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
20	21	22	23	24	25	25	26	27	28	29	30

1. Astæ Pompéiæ in Transpadána, sancti Secúndi, mártyris.

2. Thessaloníca in Macedónia, sancti Domníni, mártyris.

3. Augustómagi in Gállia Lugdunénsi, sancti Réguli, epíscopi.

4. Commemorátio sanctórum plurimórum mártyrum, qui Constantinópoli, témpore Constántii imperatóris, Macedónii epíscopi ariáni iussu, in exsílium depúlsi sunt vel inaudítis tormentórum genéribus cruciáti.

5. In monte Sina, sancti Ioánnis, abbátis, qui præclárum volúmen « Scala paradísi » compósuit ad institutiónem monachórum, in quo iter spiritális proféctus instar ascensiónis per trigínta gradus ad Deum dispósuit, unde Clímacus cognominári méruit.

6. Syracúsis in Sicília, sancti Zósimi, epíscopi, qui primum húmilis custos túmuli sanctæ Lúciæ, dein abbas monastérii huius loci fuit.

7*. Conventriæ in Anglia, sanctæ Osbúrgæ, primæ huius loci monastérii abbatíssæ.

8. Apud Aquínum in Látio, sancti Clínii, abbátis monastérii Sancti Petri de Silva.

9. Aquilériæ in Castélla Hispániæ regióne, sancti Petri de Vallisoléto Regalado, presbýteri ex Ordine Minórum, qui, humilitáte et pæniténtiæ rigóre conspícuus, duas fundávit cellas, ubi tantum duódecim fratres solitárii víverent.

10*. Vercéllis in Subalpínis, beáti Amadéi, ducis Sabáudiæ Noni, qui, diciónem gerens, pacem omnímodo fovit atque causas páuperum, viduárum et orphanórum contínuo ope et zelo sustínuit.

11. In pago *Su-Ryong* in Coréa, sanctórum mártyrum Antónii Daveluy, epíscopi, Petri Aumaître, Martíni Lucæ Huin, presbyterórum, Ioséphi Chang Chu-gi, Thomæ Son Cha-sŏn et Lucæ Hwang Sŏk-tu, catechístæ, qui pro Christi fide cápite abscíssi sunt.

12*. Neápoli in Itália, beáti Ludovíci de Casáurea (Archángeli) Palmentieri, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum, qui, ardóre caritátis erga Christi páuperes compúlsus, binas instítuit Congregatiónes, scílicet Fratrum Caritátis et Sorórum Franciscanárum a Sancta Elísabeth.

13. Augústæ Taurinórum item in Itália, sancti Leonárdi Murialdo, presbýteri, qui piam Societátem a Sancto Ioseph fundávit, ut párvuli derelícti christiánam fidem ac caritátem experiréntur.

14. In pago Sancti Iuliáni territórii Guadalaiarénsis in México, sancti Iúlii Álvarez, presbýteri et mártyris, qui, persecutióne religiósa sæviénte, fidelitátem erga Christum Dóminum eiúsque Ecclésiam sánguine effúso testátus est.

15*. Vindóbonæ in Austria, beátæ Maríæ Restitútæ (Hélenæ) Kafka, vírginis e Congregatióne Sorórum Franciscanárum a Caritáte christiána et mártyris, ex Morávia oriúndæ, quæ, nosócoma, bello furénte, ab hóstibus fídei comprehénsa cápite præcísa est.

Die 31 martii

Prídie Kaléndas aprílis. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
21	22	23	24	25	26	26	27	28	29	30	1

1. In loco *Argol* in Pérside, sancti Béniamin, diáconi, qui, cum Dei verbum non desísteret prædicáre, sub Vararáne rege Quinto, arundínibus acútis confíxus únguibus, martýrium consummávit.

2. Romæ, commemorátio sanctæ Balbínæ, cuius títulus in Aventíno cónditus eius nomen præbet venerándum.

3*. Colóniæ Agrippínæ in Austrásia, sancti Agilólphi, epíscopi, vitæ sanctitáte et prædicatióne præclári.

4*. Burgi Sancti Domníni in agro Parménsi, sancti Guidónis, abbátis monastérii Pompósæ, qui, multis recéptis discípulis ædibúsque reædificátis, oratióni, contemplatióni ac divíno cúltui summópere cavit et soli Deo in secéssu inténtus esse vóluit.

5*. Tolósæ in Gállia, beátæ Ioánnæ, vírginis ex Ordine Carmelitárum.

6*. Utini in Venétia, beáti Bonaventúræ de Foro Lívii, presbýteri ex Ordine Servórum Maríæ, qui per divérsas Itáliæ regiónes prædicatióne pópulum ad pæniténtiam excitávit et, dum quadragesimálem habébat contiónem, octogenárius óbiit.

7*. Carléoli in Anglia, commemorátio beáti Christóphori Robinson, presbýteri et mártyris, qui testis fuit martýrii sancti Ioánnis Boste et tandem sub Elísabeth regína Prima, item propter solum sacerdótium ad patíbulum die non trádito ductus, palmam glóriæ ipse accépit.

8*. In óppido *Ravensbrück* in Germánia, beátæ Natáliæ Tułasiewicz, mártyris, quæ, pátria Polónia militári vi subiécta, a sectatóribus nefáriæ doctrínæ dignitáti hóminum et fídei inféensæ in campo detentiónis reclúsa, per exhalatiónis mortíferi vapóris supplícium ánimam Dómino réddidit.

APRILIS

Die 1 aprilis

Kaléndis aprílis. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
22	23	24	25	26	27	27	28	29	30	1	2

1. Romæ, commemorátio sanctórum mártyrum Venántii, epíscopi, atque sociórum Dalmátiæ et Hístriæ, scílicet Anastásii, Mauri, Pauliniáni, Télii, Astérii, Septímii, Antiochiáni et Gaiáni, quos commúni laude honórat Ecclésia.

2. Thessalonícæ in Macedónia, sanctárum Agapis et Chióniæ, vírginum et mártyrum, quæ, cum in persecutióne Diocletiáni imperatóris de idolóthytis manducáre noluíssent, Dulcétio præsidi tráditæ ad ignem damnátæ sunt.

3. In Palæstína, sanctæ Maríæ Ægyptíacæ, quæ, célebris peccátrix alexandrína, ad Deum in Civitáte Sancta, beáta Vírgine intercedénte, convérsa trans Iordánem pæniténtem vitam solitária duxit.

4. Laucónæ prope Ambiánum in Gállia, sancti Valeríci, presbýteri, qui ad eremíticam vitam haud paucos attráxit sócios.

5. In loco *Ardpatrick* in Momónia Hibérniæ província, sancti Celsi, epíscopi Armacháni, qui instauratiónem Ecclésiæ valde promóvit.

6. Gratianópoli in Burgúndia, sancti Hugónis, epíscopi, qui ad mores cleri et pópuli instaurándos incúbuit et, eódem episcopátus témpore, solitúdinem ardénter díligens, sanctum Brunónem, olim magístrum suum, eiúsque sócios Cartúsiæ recéssu donávit, cui primus abbas vero præfuit, et Ecclésiam hanc fere quinquagínta annos sédulo suo caritátis exémplo rexit.

7*. In monastério Cisterciénsi Bonæ Vállis in Delphinátu Gálliæ, beáti Hugónis, abbátis, cuius cáritas et prudéntia Alexándrum papam Tértium et Fridericum imperatórem Primum conciliávit.

8*. Catháni in Scótia, sancti Gilbérti, epíscopi, qui ecclésiam cathedrálem apud Dornócum eréxit atque hospítia paupéribus parávit; móriens, quæ ipse in vita serváverat, ea commendávit, nempe néminem lǽdere, divína flagélla patiénter ferre et némini offendículum esse.

9*. Eboráci in Anglia, beáti Ioánnis Bretton, mártyris, qui, paterfamílias, ob Románæ Ecclésiæ fídei constántiam sub Elísabeth regína Prima plúries reprobátus, demum seditiónis falso insimulátus, láqueo strangulátus occúbuit.

10*. Bríxiæ in Langobárdia Itáliæ, beáti Ludovíci Pavoni, presbýteri, qui magna sedulitáte ad iúvenes paupérrimos instituéndos se trádidit, præsértim curans eos iuxta christiános mores educáre atque ad artes dirígere, et Congregatiónem Filiórum Maríæ Immaculátæ fundávit.

Die 2 aprilis

Quarto Nonas aprílis. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
23	24	25	26	27	28	28	29	30	1	2	3

Sancti Francísci de Paula, eremítæ, qui, Ordinis Minimórum institútor in Calábria, discípulis suis præscrípsit ut eleemósynis víverent, nec próprium habéntes nec pecúnias tangéntes, et semper solis quadragesimálibus cibis uteréntur. A Ludovíco rege Undécimo in Gálliam vocátus, ei moriénti ádfuit et Plexítii prope Turónos, austeritáte vitæ clarus, decéssit.

2. Cæsaréæ in Palæstína, sancti Apphiáni, mártyris, qui, sub Maximíno imperatóre, cum íncolæ diis públice sacrificáre cogeréntur, ad Urbánum prǽsidem intrépidus accéssit et, déxtera arrépta, ritum su-

spéndere eum coégit, quaprópter, pédibus lino in óleum intíncto atque incénso obvolútis, in mare adhuc spirans a milítibus præcipitátus est.

3. Ibídem pássio sanctæ Theodóræ, vírginis Týriæ, quæ in eádem persecutióne, cum sanctos fídei confessóres ante tribúnal stantes públice salutásset atque rogásset ut, cum ad Dóminum perveníssent, sui recordaréntur, a milítibus tenta et ad eúndem prǽsidem ducta, eius iussu acérbis torméntis excruciáta est ac tandem in mare proiécta.

4. Comi in Ligúria, sancti Abúndii, epíscopi, qui, Constantinópolim a sancto Leóne papa Magno missus, ibídem fidem orthodóxam zelo propugnávit.

5. Cápuæ in Campánia, sancti Victóris, epíscopi, eruditióne et sanctitáte conspícui.

6. Lugdúni in Gállia, sancti Nicétii, epíscopi, qui, in páuperes promptus atque in símplices benígnus, Ecclésiæ huic normam psalléndi tenére præcépit.

7. In monastério Luxoviénsi in Burgúndia, sancti Eustásii, abbátis, qui, sancti Columbáni discípulus, pater fere sescentórum éxstitit monachórum.

8. Cæsaromági in Anglia, sancti Ioánnis Paine, presbýteri et mártyris, qui sub Elísabeth regína Prima propter falsum proditiónis crimen patíbuli supplícium passus est.

9*. In vico *Tomhom* ínsulæ *Guam* in Oceánia, beatórum mártyrum Dídaci Aloýsii de San Vitores, presbýteri e Societáte Iesu, et Petri Calungsod, catechístæ, qui ab apóstatis et a natívis quibúsdam pagánæ superstitiónis sectatóribus in ódium fídei christiánæ dire interfécti sunt et in mare præcipitáti.

10*. Spoléti in Umbria, beáti Leopóldi de Gaiche, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum, qui sacros recéssus in Monte Luco instítuit.

11. In vico *Xương Điền* in Tunquíno, sancti Domínici Tước, presbýteri ex Ordine Prædicatórum et mártyris sub Minh Mạng imperatóre.

12*. Patávii in Venétia, beátæ Elísabeth Vendramini, vírginis, quæ vitam paupéribus impértiit et, multis rebus advérsis superátis, Institútum Sorórum Elisabethinárum e Tértio Ordine Sancti Francísci fundávit.

13*. Vici in Cataláunia Hispániæ, beáti Francísci Coll, presbýteri ex Ordine Prædicatórum, qui, iniúste claustro depúlsus, firmam nihilóminus suam vocatiónem persecútus est ac per totam regiónem nomen Dómini Iesu Christi nuntiávit.

14*. Iauríni in Hungária, beáti Guliélmi Apor, epíscopi et mártyris, qui, bello furénte, domum suam trecéntis círciter pérfugis apéruit et, cum íctibus percússus esset véspere fériæ sextæ in Passióne Dómini ob puéllas quasdam a mílitum mánibus defénsas, tribus post diébus ánimam exhalávit.

15*. Leópoli in Ucraína, beáti Nicolái Čarneckyj, epíscopi, qui, témpore persecutiónis erga fidem munus exércens exárchæ apostólici de *Volyn'* et *Pidljashja,* Christi vestígiis ut pastor fidélis adhǽrens, per eius grátiam ad regna pervénit cæléstia.

16*. Maracáii in Venetíola, beátæ Maríæ a Sancto Ioseph (Lauræ) Alvarado, vírginis, quæ Augustiniánas Recolléctas a Sacro Corde fundávit, pro puéllis paréntibus orbátis, sénibus pauperibúsque derelíctis summa caritáte iúgiter sollícita.

Die 3 aprilis

Tértio Nonas aprílis. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
24	25	26	27	28	29	29	30	1	2	3	4

1. Romæ, sancti Xysti papæ Primi, qui, tempóribus Hadriáni imperatóris, sextus post beátum Petrum Románam rexit Ecclésiam.

2. Tomis in Scýthia, sanctórum Chresti et Pappi, mártyrum.

3. Tyri in Phœnícia, sancti Ulpiáni, mártyris, qui, adoléscens, persecutióne Maximíni Dazæ Cǽsaris furénte, cum áspide et cane ínsutus cúlleo, in mare demérsus martýrium complévit.

4. Neápoli in Campánia, sancti Ioánnis, epíscopi, qui Nocte sancta Páschatis, dum sacra celebrábat mystéria, óbiit et, fidélium neophytarúmque turba comitánte, die sollemnitátis Resurrectiónis Dómini depósitus est.

5. In monastério Medícii in Bithýnia, sancti Nicétæ, hegúmeni, qui pro sacrárum Imáginum defensióne sub Leóne Arméno imperatóre cárceres et exsílium perpéssus est.

6. Constantinópoli, sancti Iosépho, cognoménto Hymnógraphi, presbýteri, qui, mónachus, sacrárum Imáginum eversóribus sæviéntibus, Romam missus est ad protectiónem Sedis Apostólicæ peténdam et, multis dein afféctus ærúmnis, tandem custódiam sacrórum vasórum ecclésiæ Sanctæ Sóphiæ suscépit.

7. Cicéstriæ in Anglia, sancti Richárdi, epíscopi, qui, a rege Henríco Tértio exsílio afféctus, dein sedi restitútus, muníficum paupéribus largiéndo se prǽbuit.

8*. Polítii in Sicília, beáti Gandúlfi de Binásco Sacchi, presbýteri ex Ordine Minórum, qui austéram vitæ ratiónem in solitúdine duxit, finítima verbi Dei prædicatióne perlústrans.

9*. Pinnæ in Picéno Itáliæ, beáti Ioánnis, presbýteri, qui, e primǽvis sancti Francísci sóciis, in Gálliam Narbonénsem missus, evangélicam vivéndi formam propagávit.

10*. Lancástriæ in Anglia, beatórum Robérti Middleton, e Societáte Iesu, et Thurstáni Hunt, presbyterórum et mártyrum, quorum prióprem alter in itínere liberáre conátus, ipse comprehénsus est; quam ob rem sub Elísabeth regína Prima simul propter sacerdótium cápite damnáti, per cruciátus ad déxteram Christi pervenérunt.

11. Utini in Venétia, sancti Aloýsii Scrosoppi, presbýteri e Congregatióne Oratórii, qui pro puéllis christiáno spíritu instituéndis Congregatiónem Sorórum a Divína Providéntia fundávit.

12*. Prope Cracóviam in Polónia in campo exítii *Oświęcim* seu *Auschwitz*, beáti Petri Eduárdi Dańkowski, presbýteri et mártyris, qui, pátria in aliénum militáre régimen redácta, cárceri propter christiánam confessiónem datus torméntis martýrium complévit.

Die 4 aprilis

Prídie Nonas aprílis. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
25	26	27	28	29	1	30	1	2	3	4	5

Sancti Isidóri, epíscopi et Ecclésiæ doctóris, qui, fratris sui Leándri discípulus, eídem succéssit in sede Hispalénsi in Hispánia Bǽtica, multa scripsit erudíte, plura congregávit rexítque concília atque cathólicæ fídei zelo et ecclesiásticæ disciplínæ observántiæ sapiénter se trádidit.

2. Thessaloníca in Macedónia, sanctórum mártyrum Agathopódi, diáconi, et Theodúli, lectóris, qui, sub Maximiáno imperatóre, Faustíni prǽsidis iussu ob christiánæ fídei confessiónem, alligáto ad collum saxo, in mare demérsi sunt.

3. Medioláni in Ligúria, depositio sancti Ambrósii, epíscopi, qui die Sábbati Sancti Christo victóri mortis occúrrit. Ipsíus autem memória die ordinatiónis séptima decémbris recólitur.

4. Constantinópoli, sancti Platónis, hegúmeni, qui plures annos advérsus sacrárum Imáginum eversóres invícto ánimo decertávit et cum Theodósio nepóte célebre monastérium Studíta ordinávit.

5*. Pictávii in Aquitánia, sancti Petri, epíscopi, qui Ordinis Fontisbraldénsis inítia fovit et, iniúste a sede amótus, Calviníaci exsul óbiit.

6*. Sicli in Sicília, beáti Guliélmi Cuffitelli, eremítæ, qui, ludis venatóriis relíctis, quinquagínta septem annos in solitúdine et in egestáte transégit.

7. Panórmi in Sicília Itáliæ, sancti Benedícti Massarari, ob córporis colórem Nigri cognomináti, qui, primum eremíta, dein religiósus in Ordine Fratrum Minórum, húmilem in ómnibus et divínæ Providéntiæ fídei semper plenum se exhíbuit.

8*. Cátanæ item in Sicília, beáti Ioséphi Benedícti Dusmet, epíscopi, ex Ordine Sancti Benedícti, qui cultum divínum, christiánam plebis institutiónem ac cleri zelum alácriter fovit et in témpore pestiléntiæ auxílium ægrótis præstitit.

9*. In loco *Aljustrel* prope Fátimam in Lusitánia, beáti Francísci Marto, qui, adhuc puer in brevi morbo consúmptus, suavitáte morum, in ærúmnis atque in fide perseverántia, necnon assiduitáte in oratióne enítuit.

10*. Rhégii Iúlii in Calábria Itáliæ, beáti Caietáni Catanoso, presbýteri, qui Congregatiónem instítuit Sorórum Veronicárum a Vultu Sancto in grátiam páuperum et derelictórum.

Die 5 aprilis

Nonis aprílis. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
7	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
26	**27**	**28**	**29**	**1**	**2**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**

Sancti Vincéntii Ferrer, presbýteri ex Ordine Prædicatórum, qui, hispánus génere, per urbes et vias non cessávit Occidéntis peragráre regiónes, de Ecclésiæ pace et unitáte sollícitus, prædicans pópulis innúmeris Evangélium pæniténtiæ et advéntum Dómini, donec Dariórigi in Británnia Minóre Gálliæ spíritum Deo réddidit.

2. Thessaloníсæ in Macedónia, sanctæ Irénes, vírginis et mártyris, quæ, cum sacros libros contra Diocletiáni edíctum occultásset,

ad públicum lupánar ducta est, dein igne cremáta Dulcétii prǽsidis iussu, sub quo et soróres eius simul Agape et Chiónia passæ ántea erant.

3. Seleucíæ in Pérside, sanctæ Pherbúthæ, víduæ, quæ, soror sancti Simeónis epíscopi, cum pedísequa sua sub Sápore rege Secúndo martýrium consummávit.

4. Item, commemorátio centum úndecim virórum ac novem mulíerum, mártyrum, qui, e váriis locis in urbes régias collécti, cum Christum abnegáre et ignem adoráre constánter recusássent, eiúsdem regis iussu in ignem coniécti sunt.

5. Régiis in Mauretánia, pássio sanctórum mártyrum, qui in persecutióne Genseríci regis ariáni die Páschatis in ecclésia cæsi sunt; quorum lector, dum in púlpito «Allelúia» cantábat, sagítta guttur transfíxus est.

6. In monastério Silvæ Maióris in Aquitánia, sancti Geráldi, abbátis, qui, e monastério Corbeiénsi abbas Laudunénsis eléctus, post sanctas peregrinatiónes in silvam densam secéssit.

7*. Monte Corbíno in Apúlia, sancti Albérti, epíscopi, qui contínuæ ad Deum preci et commúni páuperum utilitáti totam vitam prǽstitit.

8*. Apud Fossas in Brabántia, sanctæ Iuliánæ, vírginis ex Ordine Sancti Augustíni, quæ, quondam prioríssa Montis Cornélii apud Leódium, divíno et humáno consílio roboráta, sollemnitátem Córporis Christi promóvit et reclúsam vitam egit.

9. Palmæ in ínsula Maiórica in Hispánia, sanctæ Catharínæ Tomás, vírginis, quæ, Ordinem Canonissárum Regulárium Sancti Augustíni ingréssa, contémptu sui et voluntátis abnegatióne enítuit.

10. Kaufbúræ ad Ilaram flumen in Bavária, sanctæ Maríæ Crescéntiæ (Annæ) Höss, vírginis, quæ, Tértii Ordinis Sancti Francísci sodális, fervórem Spíritus Sancti, quo ipsa ardébat, áliis communicáre stúduit.

Die 6 aprilis

Octávo Idus aprílis. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
27	28	29	1	2	3	2	3	4	5	6	7

1. Sírmii in Pannónia, pássio sancti Irenǽi, epíscopi et mártyris, qui, témpore Maximiáni imperatóris, sub prǽside Probo primum torméntis vexátus est, deínde plúrimos dies in cárcere cruciátus ac tandem abscísso cápite consummátus est.

2. Constantinópoli, sancti Eutýchii, epíscopi, qui Concílio Œcuménico Constantinopolitáno Secúndo prǽfuit, ubi pro fide orthodóxa fórtiter pugnávit, et, cum longum passus esset exsílium, móriens resurrectiónem carnis proféssus est.

3. Romæ, sanctæ Gallæ, quæ, fília Sýmmachi cónsulis, cóniuge defúncto, apud ecclésiam Sancti Petri multos annos oratióni, eleemósynis, ieiúniis aliísque sanctis opéribus inténta permánsit; cuius felicíssimum tránsitum sanctus Gregórius papa Magnus descrípsit.

4*. Trecis in Néustria, sancti Winebáldi, abbátis monastérii Sancti Lupi, austeritáte præclári.

5*. Ibídem, sancti Prudéntii, epíscopi, qui breviárium Psaltérii pro itinerántibus compósuit, præcépta ex Scriptúris deprómpta pro candidátis ad sacerdótium collégit et monasteriórum disciplínam instaurávit.

6. Velerádii in Morávia, natális sancti Methódii, epíscopi, qui una cum fratre sancto Cyríllo die décima quarta februárii cólitur.

7*. In monastério Sangallénsi in Suévia Germániæ, beáti Notkéri Bálbuli, mónachi, qui pæne totam vitam in hoc cœnóbio duxit, plures compónens sequéntias, córpore non ánimo grácilis ac voce non spíritu bálbulus, in divínis eréctus, in advérsis pátiens, in omnes mitis, in orándo, legéndo, meditándo, dictándo navus.

8*. In monastério Sancti Elíæ de Aulínis apud Palmam in Calábria, sancti Philaréti, mónachi, orationi valde inténti.

9. In ínsula Eschíloe prope Roschíldiam in Dánia, sancti Guliélmi, abbátis, qui, ex cœnóbio canonicórum regulárium Parisiénsi in Dániam vocátus, disciplínam regulárem non sine labóribus et impediméntis instaurávit et illucescénte die domínica Páschatis e vita discéssit.

10. Apud Mediolánum in Langobárdia, pássio sancti Petri Veronénsis, presbýteri ex Ordine Prædicatórum et mártyris, qui, paréntibus manichæórum ásseclis natus, adhuc puérulus fidem cathólicam ampléxus est et adoléscens ab ipso sancto Domínico hábitum accépit omnem labórem impértiens hærésibus debellándis, donec in itínere ad Comum ab hóstibus interféctus est suprémo témpore sýmbolum fídei cónfitens.

11*. In monastério Sanctæ Maríæ ad Sacrum Montem supra Varésium in Langobárdia, beátæ Catharínæ de Pallántia, vírginis, quæ cum sóciis eremíticam egit vitam sub Régula sancti Augustíni.

12. In urbe *Vĩnh Trị* in Tunquíno, sancti Pauli Lê Bảo Tịnh, presbýteri et mártyris, qui, adhuc cléricus, diu in cárcere pro fide tentus est et, sacerdótio auctus, seminárium rexit atque homiliárum librum doctrinǽque christiánæ compéndium confécit, demum íterum in iudícium dedúctus, sub imperatóre Tự Đức, cápite damnátus est.

13*. Verónæ in Itália, beáti Zephyríni Agostini, presbýteri, qui ad ministérium prædicatiónis, catechésim et christiánam institutiónem se impéndit atque omnímodo ópera pro iuventúte, paupéribus ægrotísque provídit, pro quibus étiam Congregatiónem Ursulinárum Filiárum Maríæ Immaculátæ instítuit.

14*. Augústæ Taurinórum in Itália, beáti Michaélis Rua, presbýteri, exímii Societátis Salesiánæ propagatóris.

15*. In óppido *Fiobbio di Albino* prope Bérgomum in Itália, beátæ Petrínæ Morosini, vírginis et mártyris, quæ, vigínti sex annos nata, ex officína ubi laborábat domum rédiens in defendénda advérsus iúvenem virginitáte, quam Deo vóverat, ad necem caput cæsa occúbuit.

Die 7 aprilis

Séptimo Idus aprílis. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
28	29	1	2	3	4	3	4	5	6	7	8

Memória sancti Ioánnis Baptístæ de la Salle, presbýteri, qui Rothómagi in Normánnia Gálliæ in humánam christianámque institutiónem puerórum præsértim páuperum magnópere incúbuit, Fratrum Scholárum Christianárum Congregatiónem instítuens, pro qua multas sustínuit tribulatiónes, de pópulo Dei præcláre méritus.

2. Commemorátio sancti Hegesíppi, qui ab Anicéto papa usque ad Eleuthérium Romæ vixit et históriam rerum ecclesiasticárum gestárum a Passióne Dómini usque ad ætátem suam símplici sermóne téxuit.

3. Alexandríæ in Ægýpto, sancti Pelúsii, presbýteri et mártyris.

4. In Pentápoli Líbyæ, sanctórum mártyrum Theodóri, epíscopi, Irenǽi, diáconi, Serapiónis et Ammónis, lectórum.

5. Pompeiópoli in Cilícia, sancti Callíopii, mártyris.

6. Sinópe in Ponto, sanctórum ducentórum mílitum mártyrum.

7. Mytilénis in ínsula Lesbo, sancti Geórgii, epíscopi, qui pro cultu sacrárum Imáginum sub Leóne Arméno imperatóre multa passus est.

8*. Apud monastérium Crispiniénse in Hannónia, sancti Aibérti, presbýteri et mónachi, qui in solitúdine cotídie genufléxus vel prostrátus totum psaltérium recitábat et pæniténtibus ipsum accurréntibus divínam ministrábat misericórdiam.

9*. In monastério Præmonstraténsium Steinfeldénsi in Germánia, sancti Hermánni Ioséphi, presbýteri, qui suavíssimo erga Vírginem

Maríam amóre refúlsit et devotiónem erga divínum Cor Iesu hymnis et láudibus celebrávit.

10. Eboráci in Anglia, sancti Henríci Walpole, e Societáte Iesu, et beáti Alexándri Rawlins, presbyterórum et mártyrum, qui, sub Elísabeth regína Prima propter sacerdótium in víncula cónditi et crudéliter vexáti, demum ad patíbulum ducti láqueo ferróque ad ætérnam pervenérunt corónam.

11*. Vigórniæ item in Anglia, beatórum mártyrum Eduárdi Oldcorne, presbýteri, et Radúlphi Ashley, religiósi e Societáte Iesu, qui multos annos clam ministérium exercuérunt, donec, falso insimuláti quod in Iacóbum regem Primum coniuráti essent, in cárcerem missi sunt et excruciáti tandémque adhuc spirántes dire dissécti.

12. In Cocincína, sancti Petri Nguyễn Văn Lựu, presbýteri et mártyris, qui, sub imperatóre Tự Đức cápite damnátus, in patíbulo lætabúndus óbiit.

13*. In loco *Dongerkou* in Sinis, beátæ Maríæ Assúmptæ Pallotta, vírginis e Soróribus Franciscánis Missionáriis Maríæ, quæ, humílibus onéribus addícta, simplex et ignóta pro Christi regno vitam egit.

Die 8 aprilis

Sexto Idus aprílis. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
10	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
29	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**

1. Commemorátio sancti Agabi, prophétæ, qui, Actibus Apostolórum testántibus, famem magnam futúram in univérso orbe terrárum et Pauli torménta a géntibus per Spíritum significávit.

2. Item commemorátio sanctórum Herodiónis, Asýncriti et Phlégonis, quos beátus Paulus Apóstolus in Epístula ad Romános salútat.

3. Item sancti Dionýsii, epíscopi Corínthii, qui, mirábili verbi Dei sciéntia prǽditus, non modo prædicatióne fidéles civitátis suæ et provínciæ, sed étiam epístulis aliárum úrbium et provinciárum epíscopos erudívit.

4. Antiochíæ in Sýria, sanctórum Timóthei, Diógenis, Macárii et Máximi, mártyrum.

5. Alexandríæ in Ægýpto, sancti Dionýsii, epíscopi, summæ eruditiónis viri, qui, multis fídei confessiónibus clarus et passiónum tormentorúmque diversitáte magníficus, plenus diérum fídei conféssor quiévit, Valeriáni et Galliéni imperatórum tempóribus.

6. Comi in Ligúria, sancti Amántii, epíscopi, qui tértius sedit in cáthedra huius Ecclésiæ et basílicam Apostolórum cóndidit.

7*. Urbevéti in Túscia, beáti Cleméntis de Auximo, presbýteri ex Ordine Eremitárum Sancti Augustíni, qui Ordinem efficáciter rexit et promóvit eiúsque leges sapiénter aptávit.

8*. Complúti in Hispánia, beáti Iuliáni a Sancto Augustíno, religiósi ex Ordine Fratrum Minórum Discalceatórum, qui, insánus hábitus ob nímiam pæniténtiæ ratiónem et plúries a vita religiósa repúlsus, virtútum exémplo magis quam sermónibus Christum prædicávit.

9. Namúrci ad Mosam in Brabántia, sanctæ Iúliæ Billiart, vírginis, quæ pro erudiéndis puéllis Institútum Sanctæ Maríæ suscitávit et devotiónem erga Sacratíssimum Cor Iesu valde propagávit.

10*. Aláxii prope Albingáunum in Ligúria Itáliæ, beáti Augústi Czartoryski, presbýteri e Societáte Salesiána, cuius infírma valetúdo haud impédiit, quin vocatiónem Dei fírmiter péragrans magna suscíperet dona sanctitátis.

11*. In convéntu Belomontáno apud Concham Valériam in Hispánia, beáti Domínici a Sanctíssimo Sacraménto Iturrate, presbýteri ex Ordine Sanctíssimæ Trinitátis, qui ómnibus víribus salúti animárum promovéndæ et glóriæ Trinitátis extolléndæ consúluit.

Die 9 aprilis

Quinto Idus aprílis. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
1	2	3	4	5	6	5	6	7	8	9	10

1. Alexandríæ in Ægýpto, sancti Máximi, epíscopi, qui, dum présbyter erat, exsílium et fídei confessiónem sociávit cum sancto Dionýsio epíscopo, cui póstea succéssit.

2. Ibídem, sancti Ædésii, mártyris, qui, sancti Apphiáni frater, sub Maximíno imperatóre, cum iúdicem palam arguísset vírgines Deo dicátas lenónibus tradidísse, idcírco a milítibus tentus affectúsque supplíciis pro Christo Dómino in mare demérsus est.

3. Apud Sírmium in Pannónia, sancti Demétrii, mártyris, qui ubíque in Oriénte, máxime Thessaloníсæ, pia cólitur veneratióne.

4. Cæsaréæ in Cappadócia, sancti Eupsýchii, mártyris, qui ob evérsum divæ Fortúnæ fanum, sub Iuliáno Apóstata imperatóre martýrium consummávit.

5. Cenómani in Gállia Lugdunénsi, sancti Libórii, epíscopi.

6. Amídæ in Mesopotámia, sancti Acácii, epíscopi, qui pro rediméndis Persis captívis ac diris tortis supplíciis clerum conflávit et sacra étiam Ecclésiæ vasa Románis véndidit.

7. Castríloci in Hannónia Néustriæ, sanctæ Valdetrúdis, quæ, soror sanctæ Aldegúndis, sancti Vincéntii Madelgárii coniunx et quáttuor sanctórum mater, marítum ímitans Deo se vovit et hábitum monásticum suscépit in cœnóbio ab ipsa cóndito.

8. Gemmétici item in Néustria, sancti Hugónis, epíscopi Rothomagénsis, qui monastérium Fontanellénse atque Ecclésias Parisiénsem et Baiocénsem simul rexit ac tandem, his munéribus depósitis, monastério Gemmeticénsi præfuit.

9*. In loco Sancto Vincéntio prope Birovéscam in Castélla Hispániæ, sanctæ Casíldæ, vírginis, quæ, in religióne mahometána nata,

christiános in cárcere deténtos misericórditer adiúvit et póstea vitam christiánam in erémo duxit.

10*. Aurélii in pago Lemovicénsi Gálliæ, sancti Gauchérii, qui, canónicus reguláris, exémplar vitæ commúnis et animárum zeli clero éxstitit.

11*. Apud montem Senárium in Etrúria, beáti Ubáldi de Burgo Sancti Sepúlcri, presbýteri ex Ordine Servórum Maríæ, qui, ex milítia terréstri ad servítium Maríæ a sancto Philíppo Benizi convérsus est.

12*. Tanæ in India orientáli, beáti Thomæ de Tolentíno, presbýteri ex Ordine Minórum et mártyris, qui, ad Sinárum impérium usque progréssus ut Evangélium annuntiáret, ad Tártaros et Indos iter fáciens glorióso martýrio missiónem coronávit.

13*. Bricherásii apud Pinerólium in Subalpínis, beáti Antónii Pavoni, presbýteri ex Ordine Prædicatórum et mártyris, qui, cum ecclésia egrederétur, ubi vixdum contra erróres prædicáverat, immániter trucidátus est.

14*. In campo exítii *Oświęcim* seu *Auschwitz* prope Cracóviam in Polónia, beátæ Cælestínæ Faron, vírginis e Congregatióne Servulárum Immaculátæ Concéptæ et mártyris, quæ, Polónia more militári in bello occupáta, in cárcerem propter Christi fidem detrúsa est et cruciátibus conficta ad gloriósam pervénit corónam.

Die 10 aprilis

Quarto Idus aprílis. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
2	3	4	5	6	7	6	7	8	9	10	11

1. In Africa, sanctórum Teréntii, Africáni, Máximi, Pompéii, Alexándri, Theodóri et quadragínta sociórum, mártyrum, qui sub Décio imperatóre pro fide christiána occubuérunt.

2. Alexandríæ in Ægýpto, sancti Apollónii, presbýteri et mártyris.

3*. Autissiodóri in Néustria, sancti Palládii, epíscopi, qui, olim abbas monastérii Sancti Germáni, episcopátu accépto, plúrimis ádfuit concíliis et ad ecclesiásticam disciplínam instaurándam se cóntulit.

4*. Gavélli in Venétia, sancti Bedæ iunióris, mónachi, qui, post annos quadragínta quinque in regum famulátu exáctos, réliquum ætátis tempus in monastério Dómino servíre elégit.

5. Gandávi in Flándria, sancti Macárii, peregríni, qui, inter mónachos Sancti Bavónis benígne accéptus, insequénti anno pestiléntia consúmptus est.

6*. Carnúti in Gállia, sancti Fulbérti, epíscopi, cuius doctrína plúrimos enutrívit, munificéntia industriáque ecclésiam cathedrálem inchoávit et pietátem erga Vírginem Maríam Regínam Misericórdiæ promóvit.

7*. Tunéte ad oram Africæ septemtrionális, beáti Antónii Neyrot, presbýteri ex Ordine Prædicatórum et mártyris, qui, a pirátis in Africam vi ductus, apóstata factus est, sed, divína grátia adiuvánte, féria quinta in Cena Dómini hábitum religiósum públice resúmpsit, quod fácinus lapídibus óbrutus expiávit.

8*. Placéntiæ in Æmília, beáti Marci de Bonónia Fantuzzi, presbýteri ex Ordine Minórum, pietáte, prudéntia prædicationéque clari.

9. Vallisoléti in Hispánia, sancti Michaélis de Sanctis, presbýteri ex Ordine Sanctíssimæ Trinitátis, qui in ópera caritátis et verbi Dei prædicatiónem totum se impéndit.

10. Verónæ in Venétia, sanctæ Magdalénæ de Canóssa, vírginis, quæ sponte omnes patrimónii divítias abiécit, ut Christum sequerétur, et duplex Institútum fundávit, álterum Filiárum, álterum Filiórum a Caritáte ad christiánam institutiónem puerórum fovéndam.

11*. Intra castra detentiónis Dacháni prope Monáchium Baváriæ in Germánia, beáti Bonifátii Żukowski, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum Conventuálium et mártyris, qui, belli tempestáte sæviénte, propter fidem cruciátibus fractus martýrium in cárcere perfécit.

Die 11 aprilis

Tértio Idus aprílis. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
3	4	5	6	7	8	7	8	9	10	11	12

Memória sancti Stanislái, epíscopi et mártyris, qui, inter iniúrias témporis sui, humanitátis ac christianórum morum defénsor constantíssimus, ut bonus pastor Ecclésiam Coviénsem rexit, páuperes adiúvit, cléricos quotánnis invísit, demum, cum divína mystéria celebráret, a Bolesláo rege Polóniæ, quem increpáverat, occísus est.

2. Pérgami in Asia, commemorátio sancti Antípæ, qui, testis fidélis, sicut beátus Ioánnes dicit in Apocalýpsi, pro nómine Iesu martýrium consummávit.

3. Item commemorátio sancti Philíppi, epíscopi Gortýnæ in ínsula Creta, qui, tempóribus Marci Antoníni Veri et Lúcii Aurélii Cómmodi imperatórum, Ecclésiam eídem créditam et a furóre gentílium et ab hæreticórum insídiis fórtiter tutátus est.

4. Salónæ in Dalmátia, sancti Domniónis, epíscopi et mártyris, qui in persecutióne Diocletiáni imperatóris occísus esse fertur.

5. Apud Gazam in Palæstína, sancti Barsanúphii, anachorétæ, qui, ægýptius génere, singulári contemplatiónis virtúte prǽditus fuit et integritáte vitæ exímius.

6. Spoléti in Umbria, sancti Isaac, mónachi, e Sýriæ pártibus orti et monastérii Montis Luci fundatóris, cuius virtútes sanctus Gregórius papa Magnus comménorat.

7*. In Calábria, beáti Lanuíni, qui, sancti Brunónis sócius ac successor, fundatóris spíritus in Ordinis Cartusiénsis monastériis constituéndis intérpres egrégius éxstitit.

8*. Apud Conímbriam in Lusitánia, beátæ Sánciæ, vírginis, quæ, fília Sáncii regis Primi, monastérium moniálium Cisterciénsium Cellénse fundávit et ibídem hábitum regulárem índuit.

9*. Cúnei in Subalpínis, beáti Angeli de Clavásio (Antónii) Carletti, presbýteri ex Ordine Minórum, doctrína, prudéntia ac caritáte insígnis.

10*. Londínii in Anglia, beáti Geórgii Gervase, presbýteri ex Ordine Sancti Benedícti et mártyris, qui, alúmnus Collégii Anglórum Duacénsis, etsi sub Iacóbo rege Primo bis per tempus ministérii pastorális in pátria captus, constánter tamen fidem cathólicam usque ad suspéndium proféssus est.

11. Lucæ in Itália, sanctæ Gemmæ Galgani, vírginis, quæ, domínicæ Passiónis contemplatióne et dolóribus patiénter tolerátis insígnis, vigínti quinque annos nata, angélicam vitam die Sábbati Sancti consummávit.

12*. Ibídem, beátæ Hélenæ Guerra, vírginis, quæ Congregatiónem Oblatárum Spíritus Sancti ad puéllas erudiéndas instítuit et christifidéles de cooperatióne Spíritus in œconómia salútis mire mónuit.

13*. In campo exítii *Oświęcim* seu *Auschwitz* prope Cracóviam in Polónia, beáti Symproniáni Ducki, religiósi ex Ordine Fratrum Minórum Capuccinórum et mártyris, qui, bello furénte, ob fidelitátem erga Christum comprehénsus per cruciátus martýrium complévit.

Die 12 aprilis

Prídie Idus aprílis. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
4	5	6	7	8	9	8	9	10	11	12	13

1. Firmi in Picéno Itáliæ, sanctæ Víssiæ, vírginis et mártyris.

2. Romæ in cœmetério Calepódii via Aurélia tértio miliário, deposítio sancti Iúlii papæ Primi, qui, ariánis sæviéntibus, fidem nicǽnam

strénue custodívit, Athanásium deféndit obiurgátum ac éxsulem recépit et Sardicénse Concílium congregándum curávit.

3. Verónæ in Venétia, sancti Zenónis, epíscopi, cuius labóre et prædicatióne urbs ad Christi baptísmum ducta est.

4. In Cappadócia, sancti Sabæ Gothi, mártyris, qui, cum Athanarícus Gothórum rex christiános insequerétur, tértia die post celebratiónem Páschatis, cibos idólis immolátos réspuens, post sæva torménta in flumen præcipitátus est.

5. Apud Vapíncum in Província Gálliæ, sancti Constantíni, epíscopi.

6. Pápiæ in Langobárdia, sancti Damiáni, epíscopi, cuius epístula de recta fide circa voluntátem et operatiónem in Christo in Sýnodo Constantinopolitána Tértia lecta est.

7*. Párii in Hellespónto, sancti Basilíi, epíscopi, qui ob sacrárum Imáginum cultum vérbera, víncula et exsílium passus est.

8*. In pago Pontívo Gálliæ, sancti Erkembodónis, abbátis Sithivénsis simúlque epíscopi Taruannénsis.

9*. In monastério Cavénsi in Campánia, sancti Alférii, fundatóris et primi abbátis, qui, olim consiliárius Guaimárii ducis Salernitáni, Cluníaci sancti Odilónis discípulus factus est et vitæ monásticæ observántiam apte dídicit.

10*. In monastério Beleménsi prope Ulyssipónem in Lusitánia, beáti Lauréntii, presbýteri ex Ordine Sancti Hierónymi, ad quem propter exímiam ipsíus pietátem pæniténtes quamplúrimi se conferébant.

11. In civitáte *Los Andes* in Chília, sanctæ Terésiæ a Iesu (Ioánnæ) Fernández Solar, vírginis, quæ, novítia in Ordine Carmelitárum Discalceatárum, vitam Deo, ut aiébat, consecrávit pro mundo peccatóre et vigésimo ætátis anno typho corrépta óbiit.

12. Neápoli in Itália, sancti Ioséphi Moscati, qui, médicus, cotidiánam et indeféssam óperam infírmis assidéndo numquam intermísit, nulla a pauperióribus flagitáta mercéde, et corpóribus medens ánimos simul peramánter curábat.

13. In pago Sancti Ioseph territórii Chilpancingénsis in México, sancti Dávidis Uribe, presbýteri et mártyris, qui in tempestátibus persecutiónis contra Ecclésiam pro Christo Rege martýrium passus est.

Die 13 aprilis

Idibus aprílis. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
15	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**1**	**2**	**3**	**4**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
5	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**

Sancti Martíni papæ Primi, mártyris, qui hæresim monothelitárum in Sýnodo Lateranénsi damnávit, dein, iussu Constántis imperatóris Secúndi, ab exárcho Callíopa ímpetu facto in basilícam Lateranénsem, a sede sua abréptus est et Constantinópolim perdúctus, ubi in ergástulo artíssima custódia iácuit, tandem in Chersonésum relegátus, ubi, post círciter duos annos, tribulatiónum finem atque ætérnam corónam assecútus est.

2. Pérgami in Asia, sanctórum mártyrum Carpi, Thyatirénsis epíscopi, Pápyli, diáconi, Agathonícæ, eiúsdem Pápyli soróris, aliorúmque multórum, qui pro beátis confessiónibus martýrio coronáti sunt.

3. Ravénnæ in Flamínia, sancti Ursi, epíscopi, qui sedem episcopálem Classi in civitátem tránstulit, ecclésiam cathedrálem sub título sanctæ Anástasis die Páschatis dedicávit et eádem die alicúius anni insequéntis ipse ad glóriam resurrectiónis migrávit.

4. Tarracóne in Hispánia, sancti Hermenegíldi, mártyris, qui, fílius Leovigíldi Visigothórum regis ariáni, a sancto Leándro epíscopo ad cathólicam fidem convérsus, cum descíscens ab império patris in cárcerem reclúsus esset quod ab ariáno epíscopo paschális festivitátis die communiónem recípere noluísset, ipsíus patris iussu secúri percússus occúbuit.

5*. In monastério Sanctæ Maríæ de Capélla prope Vastum in pago Gálliæ Boloniénsi, beátæ Idæ, quæ, vídua Eustáchii cómitis Boloniénsis, liberalitáte in páuperes et zelo décoris Domus Dei enítuit.

6*. Menéviæ in Cámbria, sancti Carádoci, presbýteri et eremítæ, qui régiam relíquit aulam, ubi harpa canébat, cum canes vidit magis quam hómines illic amári, et a Teliávo abbáte Deo servíre dídicit.

7*. In monastério Cisterciénsi Vallis Rosárum in Brabántia, beátæ Idæ, vírginis, quæ multa a patre passa est, ántequam vitam religiósam ingrederétur, et vitæ austeritáte Christum patiéntem in córpore suo imitáta est.

8*. In monastério Fontis Avellánæ in Umbria, beáti Albertíni, eremítæ et prióris cœtus eremitárum, qui solitúdinem honóribus antepósuit et civitátes inter se inimicítias geréntes conciliáre stúduit.

9*. Tiférni Tiberíni in Umbria, beátæ Margarítæ, vírginis e Soróribus de Pæniténtia Sancti Domínici, quæ, cæca nata, defórmis et abiécta, nómini Iesu tamen semper corde confísa est.

10*. Roffæ in Anglia, beatórum Francísci Dickenson et Milónis Gerard, presbyterórum et mártyrum, qui a Collégio Anglórum Reménsi in pátriam revérsi, ut ministérium sacerdotálem clandestíne ibídem profiteréntur, simul sub Elísabeth regína Prima láqueo suspénsi sunt aliísque atrócibus cruciátibus affécti.

11*. Eborári item in Anglia, beatórum Ioánnis Lockwood et Eduárdi Catherick, presbyterórum et mártyrum sub Cárolo rege Primo, quorum prior, octogínta septem annos natus et iam bis cápitis senténtiæ propter sacerdótium elápsus, sócium iuniórem et conflictátum ad patíbulum præcédere vóluit, ut eum ad gloriósum martýrium incitáret.

12*. In Henóseos ínsula in Océano Indico, beáti Scubiliónis (Ioánnis Bernárdi) Rousseau, religiósi ex Institúto Fratrum Scholárum Christianárum, qui indefésse púeros erudívit et paupéribus adiutórium servísque spem prǽbuit.

13. In pago *Totoclán* diciónis Guadalaiarénsis in México, sancti Sabæ Reyes, presbýteri et mártyris, qui pro Christo Sacerdóte et universórum Rege in persecutióne mexicána occúbuit.

Die 14 aprilis

Décimo octávo Kaléndas maii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
16	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
6	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**

1. Romæ in cœmetério Prætextáti via Appia, sanctórum Tibúrtii, Valeriáni et Máximi, mártyrum.

2. Antiochíæ in Sýria, sanctárum mártyrum Berníçæ et Prosdócæ, vírginum, cum Domnína matre, quæ, témpore persecutiónis, ut insectatóres pudicítiæ suæ devitárent, salútem fuga peténtes in flúvio tandem martýrium invenérunt.

3. In erémo Nitriénsi in Ægýpto, sancti Frontónis, abbátis, qui cum septuagínta círciter sóciis in erémum discéssit.

4*. Elphíni in Hibérnia, sancti Asíci, epíscopi, qui sancti Patrícii discípulus et primus huius Ecclésiæ epíscopus habétur.

5. Alexandríæ in Ægýpto, sanctæ Thomáidis, mártyris.

6. Lugdúni in Gállia, sancti Lambérti, epíscopi, qui prius mónachus fuit et póstea abbas Fontanellénsis.

7*. Monte Maráno in Campánia, sancti Ioánnis, epíscopi, qui míseris sublevándis et clero sanctificándo óperam studiúmque navávit.

8*. In monastério Tironiénsi apud Carnútum in Gállia, sancti Bernárdi, abbátis, qui íterum iterúmque in silvis vel in ínsula Calvísia vitam egit eremíticam, sed étiam discípulos, qui ad eum turmátim confluébant, instrúxit et ad perfectiónem evangélicam duxit.

9*. Avenióne in Província, sancti Benedícti, pastóris adulescéntis, cuius virtúte, Dómino adiuvánte, pons super Rhódanum cívibus perútilis ædificátus est.

10*. Tudis in Gallæcia Hispániæ, beáti Petri González, vulgo Telmi appelláti, presbýteri ex Ordine Prædicatórum, qui, tam húmilis efféc-

tus quam glóriæ fúerat cúpidus, in míseros præsértim nautas et piscatóres adiuvándos se impéndit.

11*. Schiedámi in Géldria, sanctæ Liduínæ, vírginis, quæ pro peccatórum conversióne et animárum liberatióne infirmitátes córporis per totam vitam patiénter ac soli Deo confísa sústulit.

12*. In vico *Cuevas de Vinromà* prope Castáliam in Hispánia, beátæ Isabéllæ Calduch Rovira, vírginis ex Ordine Clarissárum Capuccinárum et mártyris, quæ, témpore persecutiónis erga fidem, pro Christo Sponso occúbuit.

Die 15 aprilis

Décimo séptimo Kaléndas maii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
7	8	9	10	11	12	11	12	13	14	15	16

1. In Thrácia, sanctórum Theodóri et Pausilýpi, mártyrum, qui sub Hadriáno imperatóre passi esse ferúntur.

2. Myræ in Lýcia, sancti Crescéntis, qui per ignem martýrium consummávit.

3. In monte Aureo in Picéno Itáliæ, sancti Marónis, mártyris.

4. Romæ apud sanctum Petrum, commemorátio sancti Abúndii, qui, teste sancto Gregório papa Magno, húmilis et fidélis mansionárius fuit huius ecclésiæ.

5. Sescíaci in pago Constantiénsi Gálliæ, depósitio sancti Patérni, epíscopi Abrincénsis, qui multa monastéria fundávit et, septuagenárius ad sedem episcopálem eléctus, tandem in monastério ánimam Deo gratíssimus réddidit.

6*. In monastério Andeleiénsi in pago Baiocénsi in Normánnia, sancti Ortárii, abbátis, austeritátibus et oratióni déditi atque infírmis curándis ac paupéribus sublevándis assídui.

7*. Avenióne in Província Gálliæ, beáti Cǽsaris de Bus, presbýteri, qui, e mundána vita convérsus, in prædicatiónem et catechésim se impéndit et Congregatiónem Patrum Doctrínæ Christiánæ fundávit, quæ fidélium institutióne glóriam Deo daret.

8*. In loco *Kalawao* in ínsula Molokáia Oceániæ, beáti Damiáni de Veuster, presbýteri e Congregatióne Missionariórum a Sanctis Córdibus Iesu et Maríæ, qui ad leprósis assidéndum eo se cóntulit ánimo, ut lepra tandem ipse corréptus occúmberet.

Die 16 aprilis

Décimo sexto Kaléndas maii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
18	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
8	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**

1. Coríntthi in Acháia, sanctórum mártyrum Leónidis et septem sociárum,[1] qui omnes, váriis tolerátis supplíciis, in mare demérsi sunt.

2. Cæsaraugústæ in Hispánia Tarraconénsi, commemorátio sanctórum Optáti atque septem et decem mártyrum,[2] qui in persecutióne Diocletiáni imperatóris simul pœnis affécti atque interémpti sunt; quorum illústre martýrium Prudéntius vérsibus exornávit.

3. Ibídem, commemorátio sanctæ Engrátiæ, vírginis et mártyris, quæ dure vexáta ómnibus supérfuit torméntis, aliquámdiu plagárum vestígia in membris ferens.

4. Ibídem, commemorátio sanctórum Caii et Croméntii, qui in eádem persecutióne torménta superárunt in Christi fide perseverántes.

[1] Quarum nomina: sanctæ Carissa, Galina, Theodora, Nica, Nunecia, Callis, Basilissa.

[2] Quorum nomina: sancti Lupercus, Successus, Martialis, Urbanus, Iulia, Quintilianus, Publius, Fronto, Felix, Cæcilianus, Evodius, Primitivus, Apodemius et alii quattuor, qui Saturnini nomine vocati esse referuntur.

5. Astúricæ Augústæ in regno Suevórum item in Hispánia, sancti Turíbii, epíscopi, qui de sancti Leónis papæ Magni mandáto priscillianistárum sectam in Hispánia invalescéntem fórtiter oppugnáre stúduit.

6. Brácaræ in Lusitánia, sancti Fructuósi, epíscopi, qui, primum mónachus et cœnobiórum cónditor, dein epíscopus Dumiénsis, tandem metropolitánus epíscopus Bracarénsis a pátribus Concílii Toletáni Décimi factus, Ecclésiam hanc simul et monastéria prudénter rexit.

7*. In Scótia, sancti Magni, mártyris, qui, Orcadum insulárum princeps, fidem christiánam ampléxus est et a rege Norvégiæ reiéctus ob recusatiónes contra arrogántiam suæ ipsíus gentis, cum inérmis ad pacem firmándam cum sócio principátus hoste adiísset, malo dolo trucidátus est.

8. Sebúrgi in Hannónia, sancti Drogónis, qui, símplicem et solitáriam quærens vitam, pastor et peregrínus pro Dómino degit ac in parva cella reclúsus dies finívit.

9*. Bronæ prope Pápiam in Langobárdia, commemorátio sancti Contárdi, peregríni, qui summam elégit paupertátem et, iter Compostéllam agens, morbo corréptus óbiit.

10*. Senis in Etrúria, beáti Ioachími, religiósi ex Ordine Servórum Maríæ, qui singulári devotióne erga beátam Vírginem enítuit et, egenórum portans ónera, Christi adimplévit legem.

11. Romæ, sancti Benedícti Ioséphi Labre, qui, inde ab adulescéntia desidério ásperæ vitæ pæniténtiæ captus, árduas suscépit ad celebérrima sanctuária peregrinatiónes et, tantum vili et lácera veste conténtus, obláta stipe víctitans, ubíque pietátis et pæniténtiæ exémpla tradens, demum Romam metam itínerum constítuit, ubi in summa paupertáte atque in oratióne vixit.

12*. Aprilíaci apud Andégavum in Gállia, beatórum mártyrum Petri Delépine, Ioánnis Ménard et vigínti quáttuor sociárum,[3] qui, fere

[3] Quarum nomina: beatæ Renata Bourgeais, Ioanna Gourdon, Maria Gingueneau, Francisca Michoneau, Ioanna Onillon, Renata Séchet, Maria Roger, Francisca Suhard, Ioanna Thomas, viduæ; Magdalena Cady, Maria Piou, Petrina Renata Pottier, Renata Rigault, Ioanna Maria Leduc, Magdalena Sallé, uxores; Maria Genovefa et Martha Poulain de la Forestrie, Petrina Bourigault, Maria Forestier, Maria Lardeux, Petrina Laurent, Anna Maugrain, Margarita Robin, Maria Rochard.

omnes ruricolæ, in gállica perturbatióne in ódium christiánæ fídei plumbis occísi sunt.

13. Nivérni item in Gállia, sanctæ Maríæ Bernárdæ Soubirous, vírginis, quæ in óppido *Lourdes* e paupérrima família orta, adhuc puélla beátæ Maríæ Vírginis Immaculátæ præséntiam expérta est et póstea, religiónis hábitu sumpto, vitam egit abscónditam et húmilem.

Die 17 aprilis

Décimo quinto Kaléndas maii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
19	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
9	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**

1. Meliténe in Arménia, sanctórum mártyrum Petri, diáconi, et Hermógenis, eius minístri.

2. In Pérside, pássio sancti Simeónis bar Sabas, epíscopi Seleucíæ et Ctesiphóntis, qui, iubénte Sápore Persárum rege Secúndo, comprehénsus ferróque onústus, cum solem adoráre noluísset et de Dómino Iesu Christo voce líbera et constantíssima testátus esset, primum carceráli ergástulo cum turba centum ámplius sociórum ex episcopátu, presbyterátu et divérsis clericórum ordínibus aliquámdiu macerátus est; deínde, féria sexta in Passióne Dómini, ómnibus ante Simeónis óculos, qui unumquémque eórum strénue exhortabátur, gládio iugulátis, novíssime et ipse decollátus est.

3. Item commemorántur plúrimi mártyres, qui post óbitum sancti Symeónis per totam Pérsidis regiónem pro Christi nómine sub eódem rege Sápore gládio cædi iussi sunt; inter quos sanctus Usthazádes, aulæ régiæ eunúchus, qui regis Sáporis nutrícius fúerat et, sæviénte primo persecutiónis æstu, martýrium súbiit in aula Artaxérxis, fratris ipsíus Sáporis, in Adiabéna província.

4. Derthónæ in Ligúria, sancti Innocéntii, epíscopi.

5. Meliténe in Arménia, sancti Acácii, epíscopi, qui in Concílio Ephesíno advérsus Nestórium fidem orthodóxam vindicáverat ac dein a sede iniúste depósitus est.

6. Viénnæ in Burgúndia, sancti Pantágathi, epíscopi.

7*. In ínsula Egga inter Ebúdes interióres Scótiam prospiciéntes, sanctórum Donnáni, abbátis, atque sociórum quinquagínta et duórum monachórum, qui Paschália sollémnia celebrántes a pirátis igne vel gládio occísi sunt.

8. Córdubæ in Vandalícia Hispániæ regióne, sanctórum mártyrum Elíæ, presbýteri iam senis, Pauli et Isidóri, monachórum adhuc iuveníli ætáte, qui in Maurórum persecutióne ob christiánæ fídei professiónem interémpti sunt.

9. In monastério Casæ Dei apud Arvérnam in Gállia, sancti Robérti, abbátis, qui in eúndem locum, ubi solitárius commorabátur, fratres aggregávit et non parvam multitúdinem verbo prædicatiónis vitǽque exémplo Dómino lucrátus est.

10. In monastério Molisménsi in Gállia, sancti Robérti, abbátis, qui, vitam monásticam simplicióremque strictiorémque quærens, iam cœnobiórum cónditor et rector indeféssus, necnon eremitárum præféctus et monásticæ disciplínæ restitútor exímius, Cisterciénse monastérium fundávit ac primus abbas rexit et in Molisménsi, quo abbas redíerat, in pace quiévit.

11*. Perúsiæ in Umbria, beáti Iacóbi de Cerquéto, presbýteri ex Ordine Eremitárum Sancti Augustíni, qui læte ægritúdinis tolerándæ prǽbuit exémplum.

12*. Pisis in Etrúria, beátæ Claræ Gambacorti, quæ, adhuc aduléscens cóniuge orbáta, hortánte sancta Catharína Senénsi, ibídem primum monastérium Sancti Domínici fundávit sub austerióre régula atque soróribus prudéntia et caritáte prǽfuit, patris fratrúmque suórum homicídis parcens.

13*. Matríti in Hispánia, beátæ Maríæ Annæ a Iesu Navarro de Guevara, vírginis, quæ, patris dissentiónibus victis, hábitum Ordinis Beátæ Maríæ Vírginis de Mercéde suscépit et preces pænitentiásque pro míseris et afflíctis adhíbuit.

14*. Londínii in Anglia, beáti Henríci Heath, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum et mártyris, sub Cárolo rege Primo propter solum sacerdótium Tybúrni carnífici tráditi.

15*. Saltu in província Quebecénsi Cánadæ, beátæ Catharínæ Tekakwitha, vírginis, quæ, inter natívos Indiános orta, die Páschatis baptizáta, quam virginitátem nondum christiána serváre stúduit, eam Deo óbtulit, etsi minis multísque vexatiónibus afflícta.

Die 18 aprilis

Décimo quarto Kaléndas maii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
20	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
10	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**

1. Meliténe in Arménia, sanctórum Hermógenis et Elpídii, mártyrum.

2. In Pérside, sancti Pusícii, mártyris, qui, præféctus artíficum Sáporis regis Secúndi, cum presbýterum Ananíam titubántem corroborásset, collo perforáto Sábbato Sancto occúbuit, insígnem locum adipíscens in catérva mártyrum post sanctum Symeónem trucidatórum.

3*. Fani in Picéno Itáliæ, sancti Eusébii, epíscopi, qui sanctum Ioánnem papam Primum a Theodoríco rege Constantinópolim missum comitátus est et post réditum in cárcerem coniéctum secútus.

4*. Leiglínii in Hibérnia, sancti Lasreáni seu Molássii, abbátis, qui celebratiónis paschális morem románum pacífice in ínsula exténdit.

5. In cœnóbio Laubiénsi in Hannónia, sancti Ursmári, epíscopi et abbátis, qui Régulam sancti Benedícti propagávit et pópulum ad fidem christiánam addúxit.

6. Constantinópoli, sanctæ Anthúsæ, vírginis, quæ, fília Constantíni Coprónymi imperatóris, in páuperes iuvándos, servos rediméndos,

ecclésias reparándas monasteriáque ædificánda omnem impéndit opem et sanctimoniálium vestem a sancto Tarásio epíscopo recépit.

7. In Ægína ínsula, sanctæ Athanásiæ, víduæ, dein solitáriæ et hegúmenæ, monástica observántia et virtútibus illústris.

8. Ibídem, sancti Ioánnis Isáuri, mónachi, qui, discípulus sancti Gregórii Decapolítæ, sub Leóne Arméno imperatóre pro defensióne sanctárum Imáginum strénue decertávit.

9. Córdubæ in Vandalícia Hispániæ regióne, sancti Perfécti, presbýteri et mártyris, qui a Mauris, quod in Mahométi doctrínam inveherétur firmitérque Christi fidem profiterétur, in cárcerem reclúsus est, dein gládio trucidátus.

10*. Brugis in Flándria, beáti Idesbáldi, abbátis, qui, in sǽculo mox uxóre orbátus et trigínta adhuc annos in cúria cómitum munéribus functus, ætáte matúrus Dunénse monastérium ingréssus est, cui tértius duódecim annos sancte prǽfuit.

11. Medioláni in Langobárdia, sancti Galdíni, epíscopi, qui civitáti propter bella impérii evérsæ instaurándæ stúduit et, contióne advérsus hæréticos hábita, spíritum Deo réddidit.

12*. In Monte Regáli in Aprútio, beáti Andréæ, presbýteri ex Ordine Eremitárum Sancti Augustíni, qui in prædicatiónem in Itália et Gállia se impéndit.

13*. In civitáte *Gandía* in pago Valentíno ad oram Hispániæ, beáti Andréæ Hibernón, religiósi ex Ordine Fratrum Minórum, qui, iúvenis a latrónibus pecúlio expoliátus, dehinc paupertátem mire cóluit.

14*. Pontísaræ apud Parísios in Gállia, beátæ Maríæ ab Incarnatióne (Bárbaræ) Avrillot, quæ, materfamílias probáta et múlier devotíssima, Carmélum in Gálliam introdúxit et quinque fundávit monastéria, donec, cóniuge defúncto, ipsa vitam religiósam proféssa est.

15*. Andégavi in Gállia, beáti Ioséphi Moreau, presbýteri et mártyris, qui in gállica perturbatióne in ódium fídei christiánæ féria sexta in Passióne Dómini decollátus est.

16*. Senis in Etrúria, beátæ Sabínæ Petrilli, vírginis, quæ Congregatiónem Sorórum a Sancta Catharína Senénsi instítuit ad puellárum egenárum et páuperum necessitátibus subveniéndum.

17*. In óppido *Majdanek* prope Lublínum in Polónia, beáti Románi Archutowski, presbýteri et mártyris, qui, in cárcerem propter christiánam confessiónem ab aliénis milítibus coniéctus est et fame morbóque afféctus ad glóriam pervénit ætérnam.

Die 19 aprilis

Décimo tértio Kaléndas maii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
11	12	13	14	15	16	15	16	17	18	19	20

1. In Africa, sancti Mappálici, mártyris, qui, in Décii imperatóris persecutióne, doméstica commótus pietáte, matri suæ et soróri, quæ lapsæ erant, pacem dari mandávit, sed ipse ad tribúnal arréptus martýrio coronátus est; cum eo sociántur plures álii sancti mártyres, qui Christum conféssi sunt, scílicet Bassus in petrário, Fortúnio in cárcere, Paulus in tribunáli, Fortunáta, Victorínus, Victor, Herémius, Crédula, Heréda, Donátus, Firmus, Venústus, Fructus, Iúlia, Martiális et Aríston, qui omnes in cárcere fame enecáti sunt.

2. In Pérside, sanctæ Marthæ, vírginis et mártyris, quæ sub Sápore rege Secúndo postrídie cædis patris sui Pusícii, scílicet ipsa die Resurrectiónis domínicæ, martýrium súbiit.

3. Antiochíæ Pisídiæ, sancti Geórgii, epíscopi, qui ob cultum sacrárum Imáginum exsul occúbuit.

4*. Frisæ in Alpibus Baváriæ, sancti Geróldi, eremítæ, qui in Voralbérga regióne pæniténtiæ vitam gessísse narrátur.

5. In lítore Támesis apud Grenovícum in Anglia, pássio sancti Ælphégi, Cantuariénsis epíscopi et mártyris, qui, Danis civitátem ferro

vastántibus, pro gregi se óbtulit et, cum pecúnia rédimi renuísset, sábbato post Pascha óvium óssibus percússus est, tandem decollatióne interféctus.

6. Romæ apud sanctum Petrum, sancti Leónis papæ Noni, qui primum Tulléensis epíscopus vigínti quinque annos Ecclésiam strénue deféndit, dein ad sedem Románam eléctus quinque annis plures convocávit sýnodos ad vitam cleri reformándam et simoníam exstirpándam.

7*. Apud monastérium Sancti Bertíni in pago Taruannénsi Gálliæ, tránsitus beáti Bernárdi, pæniténtis, qui, peccáta iuventútis stricta pæniténtia expiáre studens, spontáneum exsílium elégit et discalceátus, láneis véstibus indútus et parco tantum victu conténtus ad loca sacra incessánter peregrinátus est.

8*. Londínii in Anglia, beáti mártyris Iacóbi Duckett, viri matrimónio iuncti, qui, cum librárius cathólicos libros vénderet, próditus est, in cárcere novem annos deténtus est et sub Elísabeth regína Prima Tybúrni patíbulo suspénsus una cum proditóre suo, quem móriens ad cathólicam mortem incitávit.

Die 20 aprilis

Duodécimo Kaléndas maii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
12	13	14	15	16	17	16	17	18	19	20	21

1. Romæ, sancti Anicéti papæ, cuius fraternitáte hospes insígnis gavísus est sanctus Polycárpus, cum de die Páschatis assignánda simul tractavérunt.

2. Ibídem, commemorátio sanctórum Sulpícii et Servitiáni, mártyrum, via Latína miliário secúndo depositórum.

3. Córdubæ in Hispánia Bǽtica, sancti Secundíni, mártyris.

4. Ebrodúni in Gállia, sancti Marcellíni, primi eiúsdem urbis epíscopi, qui, ex Africa véniens, máximam partem Alpium Maritimárum ad fidem Christi convértit et a sancto Eusébio Vercellénsi ad hanc sedem ordinátus est.

5. Autissiodóri in Gállia Lugdunénsi, sancti Marciáni, mónachi.

6. Apud Constantinópolim, sancti Theodóri, qui, ob ásperam cilícii vestem qua tegebátur Trichínæ cognominátus, integérrimam vitam in solitúdine egit.

7. Antiochíæ in Sýria, sancti Anastásii, epíscopi et mártyris, qui, Phoca imperánte, a sicáriis sævíssime necátus est.

8*. In pago Laurinénsi prope Pæstum in Campánia, sanctæ Heliénæ, vírginis, quæ, in Christi opéribus solidáta, secéssum desérti loci appetívit, ubi sine intermissióne Deo in necessitátibus religiosórum infirmorúmque sérviit.

9*. Osnabrúgi in Saxónia, sancti Vihónis, epíscopi, qui, in Frísia natus, primum abbas ad evangelizándum a Cárolo Magno imperatóre missus, deínde Ecclésiæ Osnabrugénsi præpósitus, multa pro Christo perpéssus est.

10*. In monastério Castellariénsi in pago Gálliæ Pictaviénsi, beáti Geráldi de Salis, qui, pauper canónicus ac paupérior dein eremíta et exímiæ pæniténtiæ cultor, multos in amórem Dei inflammávit vel ad erémum convocávit et plúrimas dénique canonicórum regulárium domos fundávit.

11*. Pisis in Etrúria, beáti Domínici Vernagalli, presbýteri ex Ordine Camaldulénsi, qui órphanis hospítium exstrúxit.

12. Monte Politiáno item in Etrúria, sanctæ Agnétis, vírginis, quæ novénnis vestem sacrárum vírginum índuit et, iam quintum décimum annum tantum agens moniálibus Procéni invíta præpósita, mox sub disciplína sancti Domínici in monastério ab ipsa fundáto veræ humilitátis mirum dedit exémplum.

13*. Bonóniæ in Æmília, beáti Simónis de Tudérto Rinalducci, presbýteri ex Ordine Eremitárum Sancti Augustíni, qui iúvenes

stúdiis déditos populúmque Dei et verbo doctrínæ et exémplo vitæ dócuit.

14*. Lancástriæ in Anglia, beatórum Iacóbi Bell et Ioánnis Finch, mártyrum, quorum alter, présbyter, post vigínti annos in ália confessióne transáctos, piæ mulíeris cuiúsdam hortátu, cum Ecclésia cathólica tandem reconciliátus est, alter vero, paterfamílias, agrícola et catechísta, ob fidem suam multos annos cárcerem, famem aliósque cruciátus pértulit; qui simul vero sub Elísabeth regína Prima ad gáudia pervenérunt ætérna.

15*. Londínii item in Anglia, beatórum Richárdi Sargeant et Guliélmi Thomson, presbyterórum et mártyrum, qui, cápite damnáti quod sacerdótes in Angliam ingréssi essent ibíque permansíssent, Tybúrni extrémum supplícium passi sunt.

16*. Clonæ in Hibérnia, beáti Maurítii MacKenraghty, presbýteri et mártyris, qui, cum duos post annos in cárcere transáctos Elísabeth regínæ Primæ potestátem in spiritálibus agnóscere noluísset, patíbuli supplíciis tráditus est.

17*. Eboráci in Anglia, beáti Antónii Page, presbýteri et mártyris, qui, vir mansuétus atque honéstus, propter sacerdótium diris cruciátibus damnátus est.

18*. Londínii item in Anglia, beatórum Francísci Page, e Societáte Iesu, et Robérti Watkinson, presbyterórum et mártyrum, qui simul sub Elísabeth regína Prima propter sacerdótium, cui alter intra solum mensem initiátus erat, Tybúrni patíbulum ascéndere coácti sunt.

19*. Planélli ad lacum Lárium in Itália, beátæ Claræ (Dinæ) Bosatta, vírginis, quæ, beáto Aloýsio Guanella adiuvánte, Párvulam Domum a divína Providéntia fundávit.

20*. In itínere a campo detentiónis Dacháni ad locum *Hartheim* prope Línciam in Austria, beáti Anastásii Pankiewicz, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum et mártyris, qui contra régimen christiánam dignitátem ópprimens fidem ad mortem usque testátus est.

Die 21 aprilis

Undécimo Kaléndas maii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
13	14	15	16	17	18	17	18	19	20	21	22

Sancti Ansélmi, epíscopi et Ecclésiæ doctóris, qui, ex Augústa Prætória oriúndus, in monastério Beccénsi in Normánnia mónachus et dein abbas efféctus, confrátres dócuit in viam procédere perfectiónis et Deum intelléctu fídei quærere; póstea ad insígnem sedem Angliæ Cantuariénsem promótus, pro libertáte Ecclésiæ strénue decertávit atque moléstias et exsílium perpéssus est.

2. Romæ, commemorátio sancti Apollónii philósophi, mártyris, qui sub Cómmodo imperatóre coram Perénnio præside et Senátu subtíli oratióne causam christiánæ fídei defféndit, quam, cápite damnátus, dein sánguinis testimónio firmávit.

3. Alexandríæ in Ægýpto, sancti Arísti, presbýteri et mártyris.

4. In monte Sina, sancti Anastásii, hegúmeni, qui fidem orthodóxam advérsus monophysítas indeféssé propugnávit et multos ad animárum salútem compósuit sermónes.

5*. In monastério in loco *Applecross* in Scótia, sancti Mælrúbii, abbátis, qui, ex Hibérnia ortus et Bangértii mónachus factus, cœnóbium missionarióum cóndidit, unde quinquagínta annos fídei lumen pópulo huius regiónis prótulit.

6*. Cállii in Picéno Itáliæ, beáti Ioánnis Saziari, religiósi e Tértio Ordine Sancti Francísci.

7*. Cervériæ apud Fossánum in Subalpínis, beáti Bartholomæi Cerveri, presbýteri ex Ordine Prædicatórum et mártyris, qui fidem cathólicam, pro qua strénue dimicávit, lánceis transfíxus morte firmávit.

8. Hodíngis in Bavária Germániæ regióne, sancti Conrádi de Parzham (Ioánnis) Birndorfer, religiósi ex Ordine Fratrum Minórum Capuccinórum, qui, quadragínta ámplius annos húmili ostiárii offício functus, semper largus in páuperes néminem egenórum dimíttere solébat, nisi christiánum prius solácium aptis verbis attúlerat.

9. In loco *Nochistlán* territórii Guadalaiarénsis in México, sancti Románi Adame, presbýteri et mártyris, qui, persecutióne contra Ecclésiam procedénte, quod Christum regem conféssus esset, martýrium complévit.

Die 22 aprilis

Décimo Kaléndas maii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
24	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
14	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**

1. Romæ, sancti Sotéris, papæ, cuius caritátem erga fratres vel péregre míseros adveniéntes vel inópia conféctos vel ad metálla damnátos, sanctus Dionýsius Corínthius laudat egrégiam.

2. Lugdúni in Gállia, sancti Epipódii, qui, post gloriósos quadragínta octo mártyres in eádem urbe, cum Alexándro dilectíssimo amíco tentus abscissióne cápitis martýrium complévit.

3. Alexandríæ in Ægýpto, commemorátio sancti Leónidæ, mártyris, qui, sub Septímio Sevéro imperatóre pro Christi nómine gládio cæsus est, Orígenem fílium adhuc púerum relínquens.

4. Romæ in cœmetério Callísti via Appia, depositío sancti Caii, papæ, qui e persecutióne Diocletiáni imperatóris fúgiens fídei conféssor quiévit.

5. Commemorátio sancti Maryáhb, id est «Dóminus edit», chorepíscopi et mártyris in Pérside, qui, sæviénte Sáporis regis Secúndi persecutióne, infra octávam Páschatis martýrium súbiit pro Christo.

6. Constantinópoli, natális sancti Agapíti papæ Primi, qui fírmiter egit, ut Románus epíscopus a clero Urbis líbere eligerétur atque Ecclésiæ dígnitas ubíque servarétur; dein a Theódoto rege Gothórum Constantinópolim apud Iustiniánum imperatórem missus, orthodóxam firmávit fidem, Menam epíscopum illíus civitátis ordinávit atque ibídem in pace quiévit.

7. Apud Sénones in Néustria, sancti Leónis, epíscopi.

8. In vico Syceóne in Galátia, sancti Theodóri, epíscopi et hegúmeni, qui, ab infántia solitúdinis amóre captus, austérum vitæ genus elégit et, epíscopus Anastasiopolitánus invítus ordinátus, a patriárcha Constantinopolitáno diu impetrávit, ut recéssum suum péteret.

9*. In pago Sagiénsi in Néustria, sanctæ Opportúnæ, abbatíssæ, summa abstinéntia et austeritáte conspícuæ.

10*. Basti in Lusitánia, sanctæ Senorínæ, abbatíssæ, cuius precatióne, ut fertur, moniáles panis inópia laborántes brevi Deus refécit.

11*. Fabriáni in Picéno Itáliæ, beáti Francísci Venimbeni, presbýteri ex Ordine Minórum, qui verbi Dei præco fuit exímius.

Die 23 aprilis

Nono Kaléndas maii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
15	16	17	18	19	20	19	20	21	22	23	24

Sancti Geórgii, mártyris, cuius gloriósum certámen Dióspoli seu Lyddæ in Palæstína omnes Ecclésiæ ab Oriénte ad Occidéntem ab antiquitáte célebrant.

Sancti Adalbérti (Vojtech), epíscopi Pragénsis et mártyris, qui multa in Ecclésia illa perpéssus pluráque itínera pro Christo suscípiens, ad mores pagános exstirpándos strénue laborávit sed, cum parum se profícere animadvérteret, Romam se cóntulit et mónachus efféctus est; demum in Polóniam venit et, cum vicínos Borússos ad fidem tráhere intendísset, in vico *Tenkitten* ad sinum Venédicum a pagánis quibúsdam lánceis transfíxus est.

3. Edéssæ in Sýria, sancti Eulógii, epíscopi, qui in sancta Parascéve obiísse tráditur.

4. Medioláni in Ligúria, sancti Maróli, epíscopi, beáto Innocéntio papæ Primo amíci.

5. Tulli in Lotharíngia, sancti Gerárdi, epíscopi, qui annos trigínta et unum civitátem óptimis légibus munívit, páuperes nutrívit, précibus et ieiúniis pópulo témpore pestis subvénit, ecclésiam cathedrálem dedicávit ac monastéria non modo ópibus iuvit, sed et sanctis discípulis instrúxit.

6*. Suéllis in Sardínia, commemorátio sancti Geórgii, epíscopi.

7*. Perúsiæ in Umbria, beáti Ægídii Asisiénsis, religiósi ex Ordine Minórum, qui, sancti Francísci sócius, in peregrinatiónibus intrépida fide et mira simplicitáte cláruit.

8*. Utini in Venétia, beátæ Hélenæ Valentíni, víduæ, quæ, ut soli Deo servíret, operóse egit in Ordine sæculári Sancti Augustíni, oratióni, evangélii lectióni et misericórdiæ opéribus vacans.

9*. In loco *Campi Bisenzio* in Etrúria Itáliæ, beátæ Terésiæ Maríæ a Cruce Manetti, vírginis, fundatrícis Congregatiónis Carmelitárum a Sancta Terésia.

10*. In monastério Cisterciénsi Cryptæ Ferrátæ in agro Tusculáno prope Romam, beátæ Maríæ Gabriélæ Sagheddu, vírginis, quæ, pro unitáte christianórum omni simplicitáte vitam óbtulit suam, quam vigínti quinque annos nata consummávit.

Die 24 aprilis

Octávo Kaléndas maii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
16	17	18	19	20	21	20	21	22	23	24	25

Sancti Fidélis de Sigmarínga, presbýteri et mártyris, qui, primum advocátus inter Fratres Minóres Capuccínos adscríptus est, vitam ducens vigíliis et oratiónibus ásperam. In prædicatióne verbi Dei assíduus, cum in Rǽtiam missus esset ut rectam doctrínam firmáret, Sevísii in Helvétia pro fide cathólica ab hæréticis interémptus est.

2. Hierosólymæ, commemorátio sanctárum mulíerum Maríæ Cléophæ et Salóme, quæ cum María Magdaléna bene mane Páschatis ad sepúlcrum Dómini venérunt, ut corpus eius úngerent, et primæ núntium resurrectiónis eius audivérunt.

3. Lugdúni in Gállia, sancti Alexándri, mártyris, qui, tríduo post passiónem sancti Epipódii, e cárcere prodúctus, primum laniátus, deínde cruci affíxus spíritum emísit.

4. Nicomedíæ in Bithýnia, sancti Anthimi, epíscopi, et sociórum, mártyrum in persecutióne Diocletiáni imperatóris; illum vero, qui ob Christi confessiónem cápitis obtruncatióne glóriam martýrii suscépit, univérsa gregis multitúdo secúta est, cuius álios gládio detruncári, álios conflagrári ígnibus, álios demum navículis impósitos pélago mérgi iudex iussit.

5. Illíberi in Hispánia Bǽtica, sancti Gregórii, epíscopi, cuius opus «De fide» a sancto Hierónymo laudátur.

6*. In pago Blesénsi in Gállia Lugdunénsi, sancti Deódati, diáconi et abbátis, qui post vitam anachoréticam ibídem discípulis circa se congregátis præfuit.

7. Cantuáriæ in Anglia, sancti Mellíti, epíscopi, qui, abbas a sancto Gregório papa Magno in Angliam missus, deínde epíscopus Sáxonum orientálium a sancto Augustíno ordinátus, multas post tribulatiónes ad illústrem sedem Cantuariénsem accéssit.

8. Eboráci in Northúmbria, sancti Wilfrídi, epíscopi, qui quadragínta quinque annos magno cum stúdio laborávit et, crébrius sedem áliis cédere coáctus, inter mónachos Riponénses, quibus abbas præfúerat, in pace quiévit.

9. In Hiénsi ínsula Scótiæ, sancti Egbérti, presbýteri et mónachi, qui, omni stúdio plures Európæ regiónes evangelizándas curávit et, iam ætáte provéctus, mónachos ipsos Hiénses cum románo usu in diéi Páschatis computatióne reconciliávit ac festa paschália, missárum sollémniis explétis, statim celebrávit ætérna.

10*. Moretónii in Normánnia, sancti Guliélmi Firmáti, eremítæ, qui, canónicus et médicus Turónis, post peregrinatiónem Hierosólymam usque in solitúdine vitam egit.

11. Andégavi in Gállia, sanctæ Maríæ a Sancta Euphrásia (Rosæ Virgíniæ) Pelletier, vírginis, quæ Institútum Sorórum a Bono Pastóre fundávit pro muliéribus móribus lapsis, Magdalénis nuncupátis, misericórditer suscipiéndis.

12. Dinántii in Gállia, sancti Benedícti (Angeli) Menni, presbýteri ex Ordine Sancti Ioánnis a Deo, qui Congregatiónem Sorórum Hospitalariárum a Corde Iesu fundávit.

13*. Romæ, beátæ Maríæ Elísabeth Hesselblad, vírginis, quæ, e Suécia oriúnda, post longam óperam in valetudinário navátam Ordinem Sanctæ Birgíttæ restítuit, de contemplatióne, de caritáte erga egénos et de unitáte christianórum summópere sollícita.

Die 25 aprilis

Séptimo Kaléndas maii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
17	18	19	20	21	22	21	22	23	24	25	26

Festum sancti Marci, Evangelístæ, qui Hierosólymæ primo beátum Paulum secútus est in apostolátu, dein gréssibus adhǽsit beáti Petri, ab illo fílius nuncupátus, cuius catechésim ad Romános in Evangélio collegísse ac demum Ecclésiam Alexandríæ constituísse tráditur.

2. Commemorátio sancti Aniáni, epíscopi Alexandríæ in Ægýpto, qui, teste Eusébio, octávo Nerónis imperatóris anno, primus post sanctum Marcum huius civitátis episcopátum suscépit ac annos duos et vigínti ténuit, vir Deo accéptus et omni ex parte mirábilis.

3. Doróstori in Mœsia, sanctórum Pasícratis et Valentiónis, mártyrum, qui, Christum únicum Deum confiténtes, colla sua gládio audácter submisérunt.

4. Agínni in Aquitánia, sancti Phœbádii, epíscopi, qui contra ariános librum édidit et plebem suam ab hǽresi protéxit.

5. Antiochíæ in Sýria, sancti Stéphani, epíscopi et mártyris, qui multa ab hæréticis Concílium Chalcedonénse impugnántibus passus est et, témpore Zenónis imperatóris, in Oróntem flúvium præcipitátus occúbuit.

6. Viénnæ in Burgúndia, sancti Claréntii, epíscopi.

7. Láubii in Brabántia Austrásiæ, sancti Ermíni, abbátis et epíscopi, qui sancto Ursmáro succéssit, oratióni máxime inténtus et spíritu prophetíæ ornátus.

8*. In pago Placentíno in Æmília, sanctæ Francæ, abbatíssæ, quæ in Ordinem Cisterciénsem aggregári vóluit et in oratióne coram Deo pernoctáre studébat.

9*. Augústæ Prætóriæ in Alpibus Graiis, beáti Bonifátii Valperga, epíscopi, caritáte et humilitáte insígnis.

10*. In Vecta Angliæ ínsula, beatórum Robérti Anderton et Guliélmi Marsden, presbyterórum et mártyrum, qui, in persecutióne Elísabeth regínæ Primæ cápite damnáti quod, etiámsi per naufrágium tantum, sacerdótes in Angliam ingréssi essent, firmo ac seréno ánimo martýrium obiérunt.

11. Antíquæ prope Guatimalópolim in América Centráli, sancti Petri de Betancur, religiósi e Tértio Ordine Sancti Francísci, qui sub patrocínio Dóminæ Nostræ de Béthlehem in órphanos, mendícos, infírmos, iúvenes rudes et derelíctos, peregrínos, necnon hómines labóribus damnátos sublevándos strénue se impéndit.

12*. In vico Remedéllo in pago Brixiénsi Itáliæ, beáti Ioánnis Piamarta, presbýteri, qui inter graves ærúmnas Institútum Parvórum Artíficum Bríxiæ aggréssus est atque in finítimis colóniam agrícolam, ut iúvenes institutiónem religiósam accíperent una cum disciplína cuiúsdam artifícii iunctam, ad quod opus impléndum étiam Congregatiónem Sacræ Famíliæ a Názareth cóndidit.

Die 26 aprilis

Sexto Kaléndas maii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
18	19	20	21	22	23	22	23	24	25	26	27

1. Romæ, commemorátio sancti Cleti, papæ, qui secúndus post Apóstolum Petrum Románam rexit Ecclésiam.

2. In pago Gabiénsi via Prænestína miliário tricésimo ab Urbe, sancti Primitívi, mártyris.

3. Amaséæ in Ponto, sancti Basiléi, epíscopi et mártyris sub Licínio imperatóre.

4. In erémo silvæ Crescíacæ in pago Néustriæ Ambianénsi, sancti Richárii, presbýteri, qui, prædicatióne monachórum scotórum commótus, ad pæniténtiam convérsus est.

5. In monastério Corbeiénsi item in Néustria, sancti Paschásii Radbérti, abbátis, qui clare et lúcide Córporis et Sánguinis Dómini veritátem in Eucharístiæ mystério expósuit.

6*. Fódiis in Apúlia, sanctórum Guliélmi et Peregríni, eremitárum.

7*. In Aragónia, beatórum Domínici et Gregórii, presbyterórum ex Ordine Prædicatórum, qui, simul itinerántes sine auro nec argénto, victum cotídie mendicántes, verbum Dei ómnibus nuntiábant.

8*. In monastério Transfiguratiónis Móscuæ in Rússia, deposítio sancti Stéphani, epíscopi Permiénsis, qui Zyrjános indígenas evangelizávit, pro lítteris desiderátis novas invéniens litterárum formas, litúrgiam in eórum natíva lingua célebrans, idóla déstruens, templa érigens veritatésque fídei summópere firmans.

9*. In monastério Sancti Isidóri de *Dueñas* in Hispánia, beáti Raphaélis Arnáiz Barón, religiósi ex Ordine Cisterciénsi, qui novítius gravi morbo afféctus, strénua cum patiéntia infírmam valetúdinem tolerávit Deo semper confísus.

10*. In vico *Montjuic* prope Gerúndam item in Hispánia, beáti Iúlii Junyer Padern, presbýteri e Societáte Salesiána et mártyris, qui, persecutióne erga fidem sæviénte, per martýrium glóriam vitæ ætérnæ cónsequi méruit.

11*. In campo detentiónis Sachsenhúsæ in Germánia, beáti Stanislái Kubista, presbýteri e Societáte Verbi Divíni et mártyris, qui, Polónia fero militári regímini Dei hoste in bello súbdita, hoc in cárcere cruciátibus conféctus ánimam réddidit. Cum eo commemorátur beátus Ladisláus Goral, epíscopus auxiliáris Lublinénsis, qui in eódem loco eadémque tempestáte furénte hóminum et fídei dignitátem strénue deféndit ac, die non trádito, morbo corréptus in vínculis óbiit.

Die 27 aprilis

Quinto Kaléndas maii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
19	20	21	22	23	24	23	24	25	26	27	28

1. Hierosólymæ, commemorátio sancti Simeónis, epíscopi et mártyris, qui, ut tráditur, fílius Cléophæ et propínquus Salvatóris secúndum carnem fuit et, Hierosólymæ post Iacóbum fratrem Dómini epíscopus ordinátus, in persecutióne Traiáni imperatóris multis supplíciis afféctus est et senex martýrio crucis coronátus.

2. Cíbalis in Pannónia, sancti Polliónis, lectóris et mártyris, qui, in persecutióne Diocletiáni imperatóris apprehénsus et a Probo præfécto interrogátus, cum Christum constantíssime conféssus esset et idólis sacrificáre noluísset, extra mœnia civitátis flammis exúri iussus est.

3. Tabennési in Thebáide Ægýpti, sancti Theodóri, abbátis, qui discípulus fuit sancti Pachómii et pater « Congregatiónis » monasteriórum.

4*. Altíni in Venétia, sancti Liberális, eremítæ.

5*. In ínsula Mona oram Cámbriæ septemtrionális prospiciénte, sancti Maugáni seu Magáldi, epíscopi, áurea sanctitáte prǽditi.

6. In ínsula Afúsia in Propóntide, sancti Ioánnis, hegúmeni, qui pro cultu sacrárum Imáginum sub Leóne Arméno imperatóre plúrimum decertávit.

7*. Lucæ in Etrúria, sanctæ Zitæ, vírginis, quæ, húmili loco nata, duodénnis doméstico ministério gentis Fatinellórum addícta est, in quorum famulátu mira cum patiéntia ad mortem usque perseverávit.

8*. Tarracóne in regno Aragóniæ ad oram Hispániæ, sancti Petri Ermengol, qui, olim dux prædónum, ad Deum convérsus Ordinem Beátæ Maríæ Vírginis de Mercéde ingréssus est et in rediméndos captívos in Africa magnópere vitam impéndit.

9*. Bitécti in Apúlia, beáti Iacóbi de Iádere Varinguer, religiósi ex Ordine Minórum.

10*. Cáthari in Nigromóntio, beátæ Catharínæ, vírginis, quæ, in Ecclésia orthodóxa baptizáta, in Ordinem de Pæniténtia Sancti Domínici ingréssa nomen Hosánna accépit et annos quinquagínta et unum reclúsa vixit in divína contemplatióne affíxa et, Turcis oppugnántibus, pia pro pópulo christiáno exorátrix.

11*. Remis in Gállia, beáti Nicolái Roland, presbýteri, qui, de institutióne christiána puerórum sollícitus, scholas pro puéllis paupéribus cóndidit tunc a quálibet exclúsis institutióne et Congregatiónem Sorórum a Sancto Púero Iesu fundávit.

12. In urbe *Ninh-Bình* in Tunquíno, sancti Lauréntii Nguyễn Văn Hưởng, presbýteri et mártyris, qui nocte moribúndum vísitans comprehénsus est et, cum crucem calcáre renuísset, flagellátus, dénique sub imperatóre Tự Đức decollátus.

13*. Salmánticæ in Hispánia, beátæ Maríæ Antóniæ Bandrés y Elósegui, vírginis, e Congregatióne Filiárum a Iesu, quæ vitam Deo dicátam æquo ánimo étiam in desolatióne in brevi consummávit.

Die 28 aprilis

Quarto Kaléndas maii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
1	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
20	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**

Sancti Petri Chanel, presbýteri e Societáte Maríæ et mártyris, qui in ánimas ruricolárum curándas et in púeros erudiéndos ministérium impéndit, dein paucis cum sóciis ad evangelizándam Oceániam occidentálem missus, ad ínsulam Futúnam áppulit, ubi nondum pópulus christiánus constitútus

erat. Multis difficultátibus impedítus, sed singulári mansuetúdine se præbens, nonnúllos ad fidem convértit, inter quos fílium ipsíus regis, cuius furéntis iussu occísus est, primus Oceániæ martyr.

Sancti Ludovíci Maríæ Grignion de Montfort, presbýteri, qui partes Gálliæ occidentális peragrávit mystérium sapiéntiæ ætérnæ evangelizándo, Congregatiónes fundávit, de cruce Christi ac vera erga Maríam Vírginem devotióne prædicávit et scripsit atque multos ad pæniténtiam redúxit; tandem in vico Sancti Lauréntii ad Séparim in Gállia a terréna peregrinatióne quiévit.

3. Bitérris in Gállia Narbonénsi, sancti Aphrodísii, qui primus huius civitátis epíscopus cólitur.

4. Nicomedíæ, sanctórum Eusébii, Charalámpi et sociórum, mártyrum.

5. Ravénnæ in Flamínia, commemorátio sancti Vitális, quo die, ut tráditur, sub eius nómine dicáta est Deo percélebris basílica eádem in civitáte. Ipse autem cum sanctis martýribus Valéria, Gervásio, Protásio et Ursicíno ob impávidam fidem tenáciter defénsam a témpore immemorábili cólitur.

6. Doróstori in Mœsia, sanctórum Máximi, Dadæ et Quintiliáni, mártyrum in persecutióne Diocletiáni imperatóris.

7. Turiasóne in Hispánia Tarraconénsi, sancti Prudéntii, epíscopi.

8. Sulmóne in Aprútio, deposítio sancti Pámphili, epíscopi Corfiniénsis.

9*. Apud Pódium Bonítii in Etrúria, beáti Luchésii, qui, prius quæstu ductus, dein convérsus et hábitu Tértii Ordinis pæniténtium Sancti Francísci indútus, bona sua véndidit ac paupéribus erogávit, evangélico spíritu in paupertáte et humilitáte Deo et próximo desérviens.

10*. In vico Sancti Lauréntii ad Séparim in Gállia, beátæ Maríæ Ludovícæ a Iesu Trichet, vírginis, quæ vestem religiósam índuit prima sodális Congregatiónis Filiárum a Sapiéntia, quam prudénter rexit.

11. In urbe *Ninh-Bình* in Tunquíno, sanctórum mártyrum Pauli Phạm Khắc Khoan, presbýteri, Ioánnis Baptístæ Đinh Văn Thành et Petri Nguyễn Văn Hiếu, catechistárum, qui tres annos in vínculis coniécti et cruciáti sunt, ut fidem christiánam negárent, ac tandem sub imperatóre Minh Mạng cápitis abscissióne martýrio obviavérunt.

12*. In campo detentiónis vici *Mauthausen* in Austria, beáti Ioséphi Cebula, presbýteri e Congregatióne Missionariórum Oblatórum Vírginis Immaculátæ et mártyris, qui, polónus natióne, e pátria in cárcerem in ódium fídei addúctus, crudélia torménta adúsque mortem perpéssus est.

13. Maxéntæ prope Mediolánum in Itália, sanctæ Ioánnæ Beretta Molla, matrisfamílias, quæ, fílium in grémio gestans, libertátem ac fortitúdinem nascitúri amánter vitæ suæ antepónens occúbuit.

Die 29 aprilis

Tértio Kaléndas maii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
21	22	23	24	25	26	25	26	27	28	29	1

Memória sanctæ Catharínæ Senénsis, vírginis et Ecclésiæ doctóris, quæ, inter Soróres de Pæniténtia Sancti Domínici, Deum in se et se in Deo cognóscere et Christo crucifíxo confórmis fíeri stúduit; ad pacem sectándam, ad Románum Pontíficem ad Urbem reducéndum et ad Ecclésiæ unitátem redintegrándam fórtiter ac indesinénter certávit et summæ doctrínæ spiritális præclára relíquit documénta.

2*. Commemorátio sancti Týchici, discípuli beáti Pauli Apóstoli, quem Apóstolus in epístulis fratrem caríssimum, minístrum fidélem et consérvum suum in Dómino appéllat.

3. Pisis in Etrúria, sancti Torpétis, mártyris.

4. Neápoli in Campánia, sancti Sevéri, epíscopi, quem sanctus Ambrósius ut fratrem et Ecclésia ipsíus ut patrem diléxit.

5. Cluníaci in Burgúndia, sancti Hugónis, abbátis, qui sexagínta et unum annos sancte monastérium loci rexit, eleemósynis orationíque iúgiter inténtus, monásticæ disciplínæ custos et promótor instantíssimus, sanctæ Ecclésiæ procurátor et propagátor fervens.

6*. Lucérnæ in Normánnia, sancti Achárdi, epíscopi Abrincénsis, qui, quondam abbas Sancti Victóris Parisiénsis, plures scripsit tractátus de vita spiritáli, quibus ánima christiána ad perfectiónis fastígium perducerétur, et in abbátia Ordinis Præmonstraténsis, quam frequénter adíbat, óbiit et sepúltus est.

7. Seuli in Coréa, sancti Antónii Kim Sŏng-u, mártyris, qui domi suæ complúres congregáre consuéverat fidéles et demum in cárcere pro Christo strangulátus est.

Die 30 aprilis

Prídie Kaléndas maii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
3	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
22	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**26**	**27**	**28**	**29**	**1**	**2**

Sancti Pii papæ Quinti, qui, ex Ordine Prædicatórum ad Petri cáthedram evéctus, secúndum Concílii Tridentíni decréta, magna pietáte et apostólico vigóre divínum cultum, christiánam doctrínam necnon ecclesiásticam disciplínam instaurávit atque propagatiónem fídei promóvit. Die prima maii Romæ obdormívit in Dómino.

2. Firmi in Picéno Itáliæ, sanctæ Sóphiæ, vírginis et mártyris.

3. Item Romæ in cœmetério Prætextáti via Appia, sancti Quiríni, mártyris, qui, tribúnus, confessiónem fídei martýrio coronávit.

4. Apud Sántonas in Aquitánia, sancti Eutrópii, primi huius civitátis epíscopi, qui a Románo Pontífice in Gálliam diréctus esse fertur.

5. Aphrodísiæ in Cária, sanctórum Diodóri et Rhodopiáni, mártyrum, qui in persecutióne Diocletiáni imperatóris a concívibus lapidáti sunt.

6. Eurœæ in Epíro, sancti Donáti, epíscopi, qui témpore Theodósii imperatóris exímia sanctitáte refúlsit.

7. Nováriæ in Ligúria, sancti Lauréntii, presbýteri et mártyris, qui sacrum constrúxerat fontem, in quo párvulos, quos suscéperat erudiéndos, baptizábat, sed, cum quodam die magnam puerórum turbam ad Deum per lavácrum vitæ adduxísset, ab ímpiis una cum púeris baptizátis martýrio coronátus est.

8. Fori Lívii in Æmília, sancti Mercuriális, epíscopi, qui sedem episcopálem in hac civitáte instituísse créditur.

9. Neápoli in Campánia, sancti Pompónii, epíscopi, qui ecclésiam ad nomen Dei Genetrícis Maríæ intra urbem exstrúxit et sub Gothórum occupatióne plebem ipsi commíssam ab ariána hǽresi deféndit.

10*. Romæ, beáti Petri Levítæ, qui, mónachus in Cǽlio, sancti Gregórii papæ Magni mandáto, Románæ Ecclésiæ patrimónium prudénter administrávit et, diáconus ordinátus, pontífici fidéliter servívit.

11*. Vivárii ad Rhódanum in Néustria, sancti Auguli, epíscopi, qui in civitáte primum nosocomíum condidísse et multos servos emancipásse créditur.

12. Barkíngæ in Anglia, tránsitus sancti Earconwáldi, epíscopi, qui duo monastéria fundávit, álterum viris, cui ipse prǽfuit, álterum muliéribus, quod soror eius sancta Ethelbúrgis rexit.

13. Córdubæ in Vandalícia Hispániæ província, sanctórum mártyrum Amatóris, presbýteri, Petri, mónachi, et Ludovíci, qui, Mauró-

rum persecutióne furénte, eo quod Evangélium Christi palam prædicáre non intermíserant, sæve interémpti sunt.

14*. Verónæ in Venétia, sancti Gualfárdi, qui, ephippiárius e Germánia oriúndus, post plúrimos annos in solitúdine a mónachis Sancti Salvatóris hac in civitáte recéptus est.

15*. Vernóne ad Séquanam in Gállia, sancti Adiutóris, qui, in bello captus, propter fidem cruciátus est et, in pátriam revérsus, in cella reclúsus pæniténtem vitam egit.

16*. Novi Castri ad Tinam flumen in Anglia, beáti Guliélmi Southerne, presbýteri et mártyris, qui, stúdiis in Lithuánia, Hispánia et Duáci peráctis, sacérdos ordinátus Angliam pétiit, quam ob rem sub Iacóbo rege Primo atrócibus suspéndii supplíciis tráditus est.

17*. Fori Semprónii in Picéno Itáliæ, beáti Benedícti de Urbíno, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum Capuccinórum, qui sócius fuit sancti Lauréntii de Brundúsio in prædicatióne apud hussítas et lutherános.

18*. In Quebéco Cánadæ província, beátæ Maríæ ab Incarnatióne Guyart Martin, quæ, materfamílias, post cóniugis mortem fílium puérulum soróris curis commísit et, Ursulinárum religiónem proféssa, eárum domum in Cánada constítuit, multa præclára agens.

19. Chérii apud Augústam Taurinórum in Subalpínis, sancti Ioséphi Benedícti Cottolengo, presbýteri, qui, soli divínæ Providéntiæ auxílio confísus, domum apéruit, in quam páuperes, cuiúsvis géneris infírmos et derelíctos recípere stúduit.

20. In vico *An Bái* in Tunquíno, sancti Ioséphi Tuấn, presbýteri ex Ordine Prædicatórum et mártyris, qui, delatióne comprehénsus quod ad matrem suam infírmam sacraménta ministrásset, cápite damnátus est sub imperatóre Tự Đức.

21*. Paderbórnæ in Germánia, beátæ Paulínæ von Mallinckrodt, vírginis, fundatrícis Sorórum a Caritáte Christiána, cui in ánimo fuit púeros páuperes et cæcos erudíre atque ægrótis pauperibúsque auxílium ferre.

MAIUS

Die 1 maii

Kaléndis maii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
23	24	25	26	27	28	27	28	29	1	2	3

Sancti Ioseph opíficis, qui, faber Nazarénus, labóre suo Maríæ et Iesu necessitátibus subvénit et Fílium Dei ad hóminum labóres initiávit. Proptérea, quo die labor multis in oris terrárum commemorátur, christiáni operárii eum exémplar et protectórem venerántur.

2. Commemorátio sancti Ieremíæ, prophétæ, qui, témpore Ióachim et Sedecíæ, regum Iudæ, Civitátis Sanctæ eversiónem populíque deportatiónem monens, multas persecutiónes passus est, quam ob rem Ecclésia eum hábuit ut Christi patiéntis figúram. Novum æternúmque ínsuper Testaméntum in ipso Christo Iesu consummándum prænuntiávit, quo Pater omnípotens legem suam in imo filiórum Israel corde scríberet, ut esset ipse iis in Deum et essent illi ei in pópulum.

3. In pago Gálliæ Vivariénsi, sancti Andéoli, mártyris.

4. In Hispánia meridionáli, commemorátio sanctórum Torquáti, epíscopi Accitáni, et aliórum sex episcopórum, qui in divérsis civitátibus sedérunt, scílicet Ctésiphon Vérgii, Secúndus Abulæ, Indalétius Urci, Cæcílius Illíberi, Hesýchius Cartéiæ et Euphrásius Illitúrgi.

5. Autissiodóri in Gállia, sancti Amatóris, epíscopi, qui in civitáte sua paganórum superstitiónes exstirpáre stúduit et sanctórum mártyrum cultum instítuit.

6. Augústæ Auscórum in Aquitánia, sancti Oriéntii, epíscopi, qui paganórum mores in civitáte sua eradicáre conátus est pacémque inter Romános et Visigothórum Tolosánum regem compónere.

7*. In Británnia Minóre, sancti Brióci, epíscopi et abbátis, qui e Cámbria ortus in lítore armórico monastérium cóndidit, cui póstea locus sedis episcopális tribútus est.

8. Agáuni in Rætia, depositio sancti Sigismúndi, qui, rex Burgundiórum, ex ariána hǽresi ad cathólicam fidem convérsus, ibídem coram mártyrum sepúlcris assíduum psalléntium chorum instítuit, pæniténtia, lácrimis ac ieiúniis scelus patrátum luit et in Aurelianénsi pago ab adversáriis in púteum demérsus mortem occúbuit.

9*. In ínsula Británniæ Minóris, sancti Marcúlphi, eremítæ, dein mónachi et abbátis monastérii Nantólii.

10. Elvæ in Cámbria, sancti Asáphi, abbátis et epíscopi sedis póstea ipsíus nómine insignítæ.

11*. Vapínci in Província Gálliæ, sancti Arígii, epíscopi, patiéntia in advérsis, zelo contra simoníacos et caritáte erga mónachos romános in Angliam missos célebris.

12*. In pago Montis Albáni in Gállia Narbonénsi, tránsitus sancti Theodárdi, epíscopi Narbonénsis, qui ecclésiam suam cathedrálem restaurávit et disciplínæ zelo flóruit. Morbo afféctus, in monastérium secéssit, ubi ánimam Deo réddidit.

13*. Fori Sempronii in Picéno Itáliæ, beáti Aldebrándi, epíscopi, vitæ austeritáte et apostólico spíritu præclári.

14*. Aroúquæ in Lusitánia, beátæ Mapháldæ, vírginis, fíliæ Sáncii regis Primi, quæ, írrito matrimónio reiécto, moniális facta est et reformatiónem Cisterciénsem in monastérium suum introdúxit.

15*. Apud Montaiónam in Etrúria, beáti Viváldi de Sancto Geminiáno, eremítæ e Tértio Ordine Sancti Francísci, vitæ austeritáte, patiéntia et caritáte in infirmórum cura exímii.

16*. Apud Castrum Vallis in Hístria, beáti Iuliáni Cesarello, presbýteri ex Ordine Minórum, qui per vicos et platéas vagabátur, verbum Dei séminans et factiónes cívium sedáre sátagens.

17. Fori Lívii in Æmília, sancti Peregríni Laziosi, religiósi ex Ordine Servórum Maríæ, qui ex ipsíus Deíparæ famulátu pietáte in Iesum Fílium et sollicitúdine páuperum præstitit.

18*. Monte Cælo in pago Gálliæ Bellovacénsi, beátæ Petronillæ, vírginis, primæ abbatíssæ monastérii Clarissárum huius loci.

19. Romæ, natális sancti Pii papæ Quinti, cuius memória prídie huius diéi recólitur.

20. Apud arcem *Sơn-Tây* in Tunquíno, sancti Augustíni Schoeffler, presbýteri e Societáte Parisiénsi Missiónum ad éxteras gentes et mártyris, qui, post tres annos in ministérii ópere peráctos in cárcerem coniéctus, in campo Quinque Iúgerum nuncupáto imperatóris Tự Đức iussu cápitis decollatióne martýrii grátiam, quam cotídie a Deo petíerat, accépit.

21. Prope urbem *Nam-Định* item in Tunquíno, sancti Ioánnis Ludovíci Bonnard, presbýteri ex eádem Societáte et mártyris, qui cápitis damnátus, quod vigínti et quinque infántes baptizavísset, abscísso cápite corónam martýrii consecútus est.

22. Medioláni in Itália, sancti Richárdi (Hermínii Philíppi) Pampuri, qui primum medicínam artem in sǽculo liberáliter exércuit, deínde Ordinem Sancti Ioánnis a Deo ingréssus, fere biénnio post pie in Dómino quiévit.

23*. In civitáte *Vladimir* in Rússia, beáti Cleméntis Šeptyckyj, presbýteri et mártyris, qui, prior monásterii Studitárum óppidi *Univ*, témpore regíminis in Deum hostílis, in fide persevérans átria cæléstia dignátus est habitáre.

Die 2 maii

Sexto Nonas maii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
24	25	26	27	28	29	28	29	1	2	3	4

Memória sancti Athanásii, epíscopi et Ecclésiæ doctóris, sanctitáte et doctrína claríssimi, qui Alexandríæ in Ægýpto orthodóxam fidem a Constantíni tempóribus usque ad Valéntem imperatórem strénue propugnávit et, plúrimas ab ariánis perpéssus insídias et plúries in exsílium depúlsus, tandem ad Ecclésiam ipsi commíssam revérsus, post multos agónes multásque patiéntiæ corónas, quadragésimo et sexto anno sacerdótii sui in Christi pace quiévit.

2. Attáleæ in Pamphýlia, sanctórum mártyrum Hespéri et Zoes, cóniugum, atque filiórum Cyríaci et Theodúli, qui, ut narrátur, sub Hadriáno imperatóre, cum servi essent cuiúsdam viri pagáni, omnes, ipso dómino iubénte, ob líberam christiánæ fídei professiónem primum verberáti sunt ac veheménter torti, deínde, in accénsum clíbanum iniécti, ánimas suas Deo tradidérunt.

3. Híspali in Bǽtica Hispániæ província, sancti Felícis, diáconi et mártyris.

4. Commemorátio sanctórum mártyrum Vindemiális, epíscopi Capsénsis in Numídia, et Longíni Pamariénsis in Mauretánia, qui, advérsus ariános in Concílio Carthaginénsi decertántes, ab Hunneríco rege Vandalórum iussi sunt cápite obtruncári.

5*. Luxóvii in Burgúndia, sancti Waldebérti, abbátis.

6. In pago Sancti Galli in regióne Helvetiórum, sanctæ Wiborádæ, vírginis et mártyris, quæ, in céllula apud ecclésiam Sancti Magni inclúsa pópulo consúluit et pro fide et voto religióso ab Húngaris irrumpéntibus mortem súbiit.

7*. Lincópiæ in Suécia, beáti Nicolái Hermansson, epíscopi, qui, sevérus in se, totum Ecclésiæ suæ et paupéribus se devóvit atque sanctæ Birgíttæ relíquias honorífice suscépit.

8. Floréntiæ in Etrúria, sancti Antoníni, epíscopi, qui, postquam Ordinis Prædicatórum reformatióni óperam déderat, vigilánti curæ pastoráli se devóvit, sanctitáte, órdine utilitatéque doctrínæ præclárus.

9*. Clonæ in Hibérnia, beáti Guliélmi Tirry, presbýteri ex Ordine Fratrum Sancti Augustíni et mártyris sub regímine Olivérii Cromwell propter fidelitátem Románæ Ecclésiæ servátam.

10. In urbe *Vĩnh Long* in Cocincína, sancti Ioséphi Nguyễn Văn Lựu, mártyris, qui, agrícola et catechísta, pro presbýtero Petro Lựu a milítibus exquisíto sponte se dedit et in vínculis óbiit sub imperatóre Tự Đức.

11. In urbe Aranguésia in Nova Castélla Hispániæ regióne, sancti Iosēphi Maríæ Rubio Peralta, presbýteri e Societáte Iesu, qui in pæniténtibus audiéndis, in exercítiis spiritálibus prædicándis et in paupéribus regiónis Matriténsis visitándis præstitit.

12*. In campo exítii *Oświęcim* seu *Auschwitz* prope Cracóviam in Polónia, beáti Bolesłái Strzelecki, presbýteri et mártyris, qui, bello furénte, propter fidem cárceri datus est, ubi per cruciátus ad gloriósam pervénit corónam.

Die 3 maii

Quinto Nonas maii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
25	26	27	28	29	30	29	1	2	3	4	5

Festum sanctórum Philíppi et Iacóbi, Apostolórum. Ex his Philíppus, sicut Petrus et Andréas Bethsáidæ natus et Ioánnis Baptístæ discípulus factus, a Dómino vocátus est, ut

eum sequerétur; Iacóbus vero, fílius Alphǽi, apud Latínos idem ac frater Dómini hábitus est, cognoménto Iustus, primus Ecclésiam Hierosolymitánam rexit et, controvérsia de circumcisióne orta, in Petri senténtiam discéssit, ne illud vetus iugum discípulis ex géntibus imponerétur; apostolátum mox martýrio coronávit.

2. Antínoe in Thebáide, sanctórum Timóthei et Mauræ, mártyrum.

3. Via Nomentána miliário séptimo ab urbe Roma, sanctórum Evéntii, Alexándri et Theodúli, mártyrum.

4. Nárniæ in Umbria, sancti Iuvenális, qui primus epíscopus huius sedis cólitur.

5*. Kildáriæ in Hibérnia, sancti Conléthi, epíscopi, qui sanctæ Brígidæ sócius fuit in spirituáli cura eius monastério aliorúmque ipsi subiéctis et auctoritáte apud prælátos loci multum pótuit.

6*. Argo in Grǽcia, sancti Petri, epíscopi, qui summam caritátem in páuperes ac servos navávit et pro bono fidei lítibus componéndis instánter consúluit.

7*. In monastério Hohorsténsi in Flándria, tránsitus sancti Ansfrídi, epíscopi Ultraiecténsis, qui, cæcitáte afféctus, eódem recéssit.

8*. Kióviæ in Rússia, sancti Theodósii, abbátis, qui lauram Cryptênsem nuncupátam fundávit et vitæ cœnobíticæ ibídem institútor fuísse tráditur.

9*. Vercéllis in Subalpínis, beátæ Æmíliæ Bicchieri, vírginis ex Ordine Prædicatórum, quæ, etsi plúries prioríssa, inter soróres ad vilíssima domus ministéria lætíssima intendébat.

10*. Casimíriæ in Polónia, beáti Stanislái, presbýteri et canónici reguláris, qui pastorái caritáte motus díligens fuit verbi Dei minister, in spiritálibus magíster et in confessiónibus audiéndis expetítus.

11*. Segúsii in Subalpínis Itáliæ, beáti Eduárdi Ioséphi Rosaz, epíscopi, qui vigínti quinque annos curam egit apostólicam pópuli ipsi

commíssi, præsértim páuperum, et Congregatiónem Sorórum e Tértio Ordine Sancti Francísci fundávit.

12*. In civitáte *Sherbrooke* in Quebecénsi regióne Cánadæ, beátæ Maríæ Leóniæ (Alódiæ) Paradis, vírginis, quæ Congregatiónem Parvárum Sorórum a Sancta Família instítuit, sacerdótibus in usu vitáque commúni sublevándis déditam.

Die 4 maii

Quarto Nonas maii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
7	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
26	**27**	**28**	**29**	**30**	**1**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**

1. Cirthæ in Numídia, commemorátio sanctórum mártyrum Agápii et Secundíni, episcopórum, qui post longum apud præfátam urbem exsílium, in persecutióne Valeriáni imperatóris, in qua tunc máxime gentílium rábies ad tentándam iustórum fidem inhiábat, ex illústri sacerdótio effécti sunt mártyres gloriósi. Passi sunt in eórum collégio sancti Æmiliánus miles, Tertúlla et Antónia, sacræ vírgines, et múlier quædam cum suis géminis.

2. Nicǽæ in Bithýnia, sanctæ Antonínæ, mártyris, quæ, sǽviter torta et váriis afflícta cruciátibus, tribus diébus suspénsa et in cárcere biénnio reclúsa, ad últimum a Priscilliáno prǽside in confessióne Dómini flammis exústa est.

3. Lauríaci in Nórico Ripénsi, sancti Floriáni, mártyris, qui sub Diocletiáno imperatóre, Aquilíni prǽsidis iussu, saxo ad collum ligáto, de ponte in flumen Anisum præcipitátus est.

4. Phænóne in Palæstína, pássio sanctórum mártyrum Silváni, Gazæ epíscopi, et trigínta novem sociórum ad metálla damnatórum, qui in eádem persecutióne, de Maximíni Dazæ Cǽsaris mandáto, cápite cæsi martýrio coronáti sunt.

5*. Varsáviæ in Polónia, beáti Ladislái de Gielniów, presbýteri ex Ordine Minórum, qui Passiónem domínicam exímio zelo prædicávit piísque hymnis celebrávit.

6. Londínii in Anglia, sanctórum presbyterórum mártyrum Ioánnis Houghton, Robérti Lawrence et Augustíni Webster, priórum cartusiárum Londiniénsis, Bellavallénsis et Axholmiénsis, atque Richárdi Reynolds, ex Ordine Sanctæ Birgíttæ, qui, cum fidem patrum impávide proféssi essent, Tybúrni ad supplícium laniátus tracti sunt sub Henríco rege Octávo. Cum eis et beátus Ioánnes Haile, présbyter, párochus loci *Isleworth* prope urbem, eódem patíbulo suspénsus est.

7*. Tréviris in Germánia, beáti Ioánnis Martíni Moyë, presbýteri e Societáte Parisiénsi Missiónum ad éxteras gentes, qui in Lotharíngia Soróres a Providéntia atque in Sinis vírgines docéntes congregávit et, tempóribus gállicæ perturbatiónis e pátria pulsus, semper vero animárum zelo incénsum se præbuit.

Die 5 maii

Tértio Nonas maii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
27	28	29	30	1	2	2	3	4	5	6	7

1. Autissiodóri in Gállia Lugdunénsi, sancti Ioviniáni, lectóris et mártyris.

2. Alexandríæ in Ægýpto, sancti Euthýmii, diáconi et mártyris.

3. Commemorátio sancti Máximi, epíscopi Hierosolymitáni, qui a Maximíno Daza Cǽsare, post óculum effóssum pedémque ignito ferro adústum, ad metálla damnátus est; atque, liber inde abíre permíssus et Ecclésiæ Hierosolymitánæ præpósitus, ibi, confessiónis glória præclárus, in pace tandem quiévit.

4*. Tréviris in Gállia Bélgica, sancti Brittónis, epíscopi, qui gregem suum a Priscilliáni erróribus defêndit, sed una cum sanctis Ambrósio Mediolanénsi et Martíno Turonénsi frustra conátus est ferócìæ resístere eórum, qui Priscilliáni eiúsque asseclárum necem petiérunt.

5. Areláte in Província, sancti Hilárii, epíscopi, qui, ex erémo Lirinénsi ad episcopátum invítus promótus, mánibus suis labórans, una túnica æstáte ac híeme indútus pedibúsque iter confíciens, amórem suum paupertátis ómnibus apéruit; oratióni, ieiúniis et vigíliis déditus atque verbi ministério indesinénter insístens, peccatóribus Dei misericórdiam monstrávit, órphanos suscépit et quidquid argénti basílicæ civitátis habuérunt ad captivórum redemptiónem prótinus destinávit.

6. Viénnæ in Gállia Lugdunénsi, sancti Nicétii, epíscopi.

7. Medioláni in Ligúria, sancti Gerúntii, epíscopi.

8*. Marciánæ in Gállia Bélgica, sancti Maurónti, abbátis et diáconi, qui sancti Amándi discípulus fuit.

9. Lemóvici in Aquitánia, sancti Sacerdótis, qui, primum mónachus et abbas, deínde epíscopus, vitam monásticam postrémo exígere elégit.

10. Hildésiæ in Saxónia Germániæ, sancti Godehárdi, epíscopi, qui primum abbas monastérii Alténsis ália monastéria visitávit atque instaurávit, sancto Bernwárdo mox in sede episcopáli succédens bonum Ecclésiæ suæ promóvit, regulárem disciplínam clero státuit et scholas apéruit.

11*. In Calábria, sancti Leónis, eremítæ, qui, contemplatióni operibúsque pro paupéribus déditus, in monastério Africi prope Rhégium Iúlii ab ipso cóndito óbiit.

12*. Ventíaci apud Turónos in Gállia, sancti Avertíni, diáconi, qui, sanctum Thomam Becket in exsílium secútus, post huius necem Ventíacum revérsus vitam egit eremíticam.

13. Leocátæ in Sicília, sancti Angeli, presbýteri ex Ordine Carmelitárum et mártyris.

14*. Recinéti in Picéno Itáliæ, beáti Benvenúti Mareni, religiósi ex Ordine Minórum.

15*. Neápoli in Campánia, beáti Núntii Sulprizio, qui, órphanus, crure cárie infestáto et córpore exháusto, æquo hilaríque ánimo ómnia sústulit et ómnibus ádfuit, dolóris consórtes magnópere consolátus est et inops ínopum omnímodo sublevávit misériam.

16*. Somáschæ prope Bérgomum in Itália, beátæ Catharínæ Cittadini, vírginis, quæ, iam inde a pueritia paréntibus orbáta, húmilis ac sápiens præcéptrix, institutióni puellárum páuperum ac christiánæ doctrínæ summópere provídit, quaprópter Institútum Sorórum Ursulinárum a Somáscha fundávit.

17*. Dresdæ in Germánia, beáti Gregórii Frąckowiak, religiósi e Societáte Verbi Divíni et mártyris, qui, belli témpore in cárcerem coniéctus, secúris ictu pro Christo occúbuit.

Die 6 maii

Prídie Nonas maii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
9	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
28	**29**	**30**	**1**	**2**	**3**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**

1. Commemorátio sancti Lúcii Cyrenǽi, qui in Actibus Apostolórum inter prophétas et doctóres Ecclésiæ, quæ erat Antiochíæ, adnumerátur.

2. Lambǽsi in Numídia, sanctórum mártyrum Mariáni, lectóris, et Iacóbi, diáconi, quorum prior, cum iamprídem infestatiónes deciánæ persecutiónis in confessióne Christi vicísset, íterum cum caríssimo colléga tentus est et ambo, post dira supplícia, divína grátia confortáti, novíssime cum multis áliis gládio consummáti sunt.

3. Medioláni in Ligúria, sancti Venérii, epíscopi, qui sancti Ambrósii fuit discípulus et diáconus, Africæ epíscopis cléricos misit adiutórium et sancto Ioánni Chrysóstomo éxsuli subvénit.

4. Romæ, sanctæ Benedíctæ, vírginis, quæ, sanctimoniális, narránte Gregório papa Magno, trigésima die post mortem sanctæ Gallæ, cui máxime præ céteris dilécta erat, in Deo, sicut ipsa depopóscerat, quiévit.

5. Lindisfárnæ in Northúmbria, sancti Eadbérti, epíscopi, qui sancto Cuthbérto succéssit et sciéntia Scripturárum præceptorúmque cæléstium observántia ac præsértim elemosynárum largitáte enítuit.

6. Barcinóne in Hispánia, sancti Petri Nolásco, presbýteri, qui, una cum sancto Raymúndo de Penyafort et Iacóbo Aragóniæ rege Primo, Ordinem Beátæ Maríæ de Mercéde pro redemptióne captivórum instituísse créditur, témpore infidélium potestátis labórem et stúdium in componéndam pacem et in christiános a servitútis iugo sublevándos alácriter impéndens.

7*. Monte Politiáno in Etrúria, beáti Bartholomǽi Pucci-Franceschi, presbýteri ex Ordine Minórum, qui, uxórem filiósque et divítias pro Dei amóre relínquens, paupérculus Christi factus est.

8*. Londínii in Anglia, beatórum Eduárdi Jones et Antónii Middleton, presbyterórum et mártyrum, qui sub Elísabeth regína Prima propter sacerdótium ad iánuas domórum, quas habitábant, furcis suspénsi sunt ferróque dissécti.

9*. In Quebéco Cánadæ província, beáti Francísci de Montmorency-Laval, epíscopi, qui sedem episcopálem illic constítuit et quinquagínta fere annos ad confirmándam et augéndam Ecclésiam in ingénti Américæ Septemtrionális regióne usque ad sinum mexicánum totum ánimum inténdit.

10*. Cáiri in Ægýpto, beátæ Maríæ Catharínæ Troiani, vírginis e Tértio Ordine Sancti Francísci, quæ, ex Itália in Ægýptum missa, novam famíliam Sorórum Franciscanárum Missionariárum ibídem fundávit.

11*. Romæ, beátæ Annæ Rosæ Gattorno, religiósæ, quæ, materfamílias, postquam vídua evásit, ad Dóminum proximúmque totam se devóvit et Fílias Sanctæ Annæ Matris Maríæ Immaculátæ instítuit, summa ope in ægrótos, infírmos et inérmem infántiam enítens, in quorum vultu Christum páuperem contemplabátur.

12*. Prope Monáchium Baváriæ in Germánia, beatórum Henríci Kaczorowski et Casimíri Gostyński, presbyterórum et mártyrum, qui, e Polónia more militári a persecutóribus humánæ dignitátis invása vi dedúcti, in castris detentiónis Dacháni mortífero vapóre inquináti pro Christi fide vitam fudérunt.

Die 7 maii

Nonis maii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
10	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
29	**30**	**1**	**2**	**3**	**4**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**

1. Romæ, commemorátio sanctæ Domitíllæ, mártyris, quæ, fília soróris Flávii Cleméntis cónsulis, cum in persecutióne Domitiáni imperatóris accusáta esset deos aliénos negándi, ob testimónium Christi cum áliis in ínsulam Póntiam deportáta, longum ibi martýrium duxit.

2. Nicomedíæ in Bithýnia, sanctórum Flávii et quáttuor sociórum, mártyrum.

3*. Apud Cenómanum in Gállia, sancti Ceneríci, diáconi, qui, mónachus, postquam sanctórum Martíni Turonénsis et Iuliáni Cenomanénsis sepúlcra visitávit, in solitúdine et austeritáte vitam exégit.

4. Beverláci in Northúmbria, tránsitus sancti Ioánnis, epíscopi primum Hagulstadénsis dein Eboracénsis, qui curam pastorálem solitáriæ orationi coniúnxit et, múnere depósito, mónachus réliquam vitam in monastério, quod illic condíderat, egit.

5*. In monastério Nidroburgénsi Baváriæ, beátæ Giséllæ, quæ, sancto Stéphano regi Hungáriæ nupta, virum adiúvit in fidem propagándam et, post eius mortem, ómnibus facultátibus spoliáta exsúlque regno, in hoc monastérium se recépit, cui póstea abbatíssa præfuit.

6*. Kióviæ in Rússia, sancti Antónii, eremítæ, qui vitam monásticam, quam in monte Atho didícerat, in laura Crypténsi nuncupáta prosecútus est.

7*. Cremónæ in Langobárdia, beáti Albérti de Bérgomo, agrícolæ, qui uxóris reprehensiónes ob nímiam suam in páuperes liberalitátem patiénter sústulit et, relíctis agris, pauper vixit frater de Pæniténtia Sancti Domínici.

8*. Romæ, beátæ Rosæ Venerini, vírginis Viterbiénsis, quæ cum Magístris Piis primas in Itália scholas pro puéllis erudiéndis apéruit.

9. Génuæ in Itália, sancti Augustíni Roscelli, presbýteri, qui pro puéllis erudiéndis Congregatiónem instítuit Sorórum ab Immaculáta Conceptióne Beátæ Maríæ Vírginis.

Die 8 maii

Octávo Idus maii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
11	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
30	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**

1. Mediolláni in Ligúria, commemorátio sancti Victóris, mártyris, qui, génere maurus, cum esset in castris imperiálibus miles, compelléente Maximiáno, ut idólis sacrificáret, arma depósuit atque Laudem Pompéiam dedúctus collum flexit et gládio occúbuit.

2. Byzántii, sancti Acácii mílitis, mártyris.

3. Autissiodóri in Gállia Lugdunénsi, sancti Helládii, epíscopi.

4. Apud Scetim Ægýpti montem, sancti Arsénii, qui Románæ Ecclésiæ diáconus fuísse tráditur, Theodósii imperatóris témpore in solitúdinem secéssit ibíque ómnibus virtútibus consummátus Deo spíritum réddidit.

5*. In território Catalaunénsi in Gállia, sancti Gibriáni, presbýteri, ex Hibérnia per Gálliam peregríni pro Christo.

6*. Biturígis in Aquitánia, sancti Desideráti, epíscopi, qui, ántea régii sigílli custos, Ecclésiam hanc mártyrum relíquiis dotávit.

7. Saliónii in pago Santonénsi in Aquitánia, sancti Martíni, presbýteri et abbátis.

8. Romæ apud sanctum Petrum, sancti Bonifátii papæ Quarti, qui templum Pántheon a Phoca imperatóre impetrátum in ecclésiam vertit ac in honórem beátæ Maríæ omniúmque mártyrum Deo dedicávit et valde de monástica disciplína méritus est.

9. Ibídem, sancti Benedícti papæ Secúndi, paupertáti amíci, húmilis, mansuéti, patiéntia atque eleemósynis insígnis.

10*. Verónæ in Venétia, sancti Metrónis, eremítæ, qui ásperam et pæniténtem vitam duxísse fertur.

11. Ruræmúndæ ad Mosam in Brabántia Austrásiæ, sancti Wirónis, qui simul cum sóciis Plechélmo et Otgéro in hac regióne evangelizánda óperam dedísse créditur.

12*. Saludécii in Picéno Itáliæ, beáti Amáti Ronconi, hospitalitátis stúdio et peregrinórum cura insígnis.

13*. In monastério Sanctæ Maríæ *della Serra* item in Picéno, beáti Angeli de Massátio, presbýteri ex Ordine Camaldulénsium et mártyris, strénui domínicæ diéi observántiæ defensóris.

14*. Randátii in Sicília, beáti Aloýsii Rabata, presbýteri ex Ordine Carmelitárum, in observánda Régula fidelíssimi et erga inimícos caritáte fúlgidi.

15*. In Quebéco Cánadæ província, beátæ Maríæ Catharínæ a Sancto Augustíno (Catharínæ) Symon de Longprey, vírginis e Soróribus Hospitaláriis a Misericórdia Ordinis Sancti Augustíni, quæ, infirmórum curæ dédita, eos ad spem erigéndo et consolándo excélluit.

16*. In pago *Hegne* in Bádena Germániæ província, beátæ Ulrícæ (Francíscæ) Nisch, vírginis, e soróribus Caritátis a Sancta Cruce, quæ in humíllimis opéribus, præcípue in coquæ adiutrícis offício, indeféssam se Dómini prǽbuit ancíllam.

17*. In campo exítii *Oświęcim* seu *Auschwitz* prope Cracóviam in Polónia, beáti Antónii Bajewski, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum Conventuálium et mártyris, qui, bello sæviénte, in cárcere propter fidem torméntis dire afféctus ad glóriam Dómini pervénit.

Die 9 maii

Séptimo Idus maii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
12	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**30**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
1	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**

1. Commemorátio sancti Isaíæ, prophétæ, qui, in diébus Ozíæ, Iotham, Achaz et Ezechíæ, regum Iudæ, missus est ut pópulo infidéli et peccatóri Dóminum fidélem et salvatórem reveláret, ad impleméntum promissiónis David a Deo iurátæ. Apud Iudǽos sub Manásse rege martyr occubuísse tráditur.

2. Commemorátio sancti Hermæ, cuius beátus Paulus Apóstolus in epístula ad Romános méminit.

3. In Thebáide, sancti Pachómii, abbátis, qui, adhuc gentílis, testimónio christiánæ caritátis erga mílites in contubérnio deténtos perpúlsus, ad christiánam vitam convérsus, ab anachoréta Palǽmone monásticum hábitum accépit et, septem post annos, divíno mónito plúrima ædificávit cœnóbia ad fratres suscipiéndos et præcláram Régulam monachórum scripsit.

4. In Pérside, sanctórum mártyrum trecentórum et decem.

5. Viénnæ in Gállia Lugdunénsi, sancti Dionýsii, epíscopi.

6. Cállii via Flamínia in Picéno Itáliæ, tránsitus sancti Gerúntii, epíscopi Phicoclénsis, qui, e Sýnodo Romæ celebráta rédiens, ibídem nefárie interféctus esse tráditur.

7*. Vindocíni ad Lígerim flumen in Gállia, sancti Beáti, presbýteri, qui vitam eremíticam egit.

8*. In monastério Camaldulénsi Fontis Avellánæ in fínibus Umbriæ, beáti Fortis Gabrielli, eremítæ.

9*. Apud óppidum Montichiéllum in Etrúria, beáti Benincásæ de Monte Politiáno, religiósi ex Ordine Servórum Maríæ, qui in specum montis Amiátæ in agro Senénsi secéssit ibíque vitam pæniténtem egit.

10*. Londínii in Anglia, beáti Thomæ Pickering, mártyris, mónachi ex Ordine Sancti Benedícti, qui, vir sincéræ simplicitátis et innocentíssimæ vitæ, coniuratiónis in Cárolum regem Secúndum falso insimulátus, æquo ánimo ad Tybúrni patíbulum pro Christo ádiit.

11. In urbe *Nam-Định* in Tunquíno, sancti Ioséphi Đỗ Quang Hiền, presbýteri ex Ordine Prædicatórum et mártyris, qui, in cárcerem trusus, pagános ad Christum convértere et christiános in fide confortáre ínstitit, donec ex decréto imperatóris Thiệu Trị decollátus est.

12*. Monáchii Baváriæ in Germánia, beátæ Maríæ Terésiæ a Iesu (Carolínæ) Gerhardinger, vírginis, quæ Congregatiónem Páuperum Sorórum Scholasticárum Dóminæ Nostræ providentíssima fundávit.

13*. Intra castra detentiónis Dacháni prope Monáchium Baváriæ in Germánia, beáti Stéphani Grelewski, presbýteri et mártyris, qui, pátria Polónia more militári in bello occupáta, in cárcere a persecutóribus Ecclésiæ diris torméntis extenuátus gloriósam accépit corónam.

Die 10 maii

Sexto Idus maii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
2	3	4	5	6	7	7	8	9	10	11	12

1. Commemorátio sancti Iob, admirándæ patiéntiæ viri in terra Hus.

2. Myræ in Lýcia, sancti Dioscóridis, mártyris.

3. Leóntii in Sicília, sanctórum Alphii, Philadélphii et Cyrínii, mártyrum.

4. Romæ via Latína, sancti Gordiáni, mártyris, qui sepúltus est in crypta, in qua iam pridem sancti Epímachi mártyris relíquiæ colebántur.

5. Ibídem, commemorátio sanctórum Quarti et Quinti, mártyrum.

6*. In Hibérnia, sancti Comgálli, abbátis, qui célebre monastérium Bancorénse fundávit atque sápiens pater ac prudens dux magni monachórum ágminis éxstitit.

7. Apud Taréntum in Apúlia, sancti Catáldi, epíscopi et peregríni, qui e Scótia venísse créditur.

8*. Apud Bituríges in Aquitánia, sanctæ Solóngiæ, vírginis, quæ ad castitátem servándam martýrio se subiecísse tráditur.

9*. Pontísaræ apud Parísios in Gállia, sancti Guliélmi, presbýteri, qui, anglus natióne, párochus factus animárum zelo et pietátis stúdio cláruit.

10*. Patávii in Venétia, beátæ Beatrícis Esténsis, vírginis, quæ cœnóbium Gémmulæ in cóllibus Eugáneis instítuit et, brevi quidem vitæ spátio, árduum sanctitátis iter moniális perégit.

11*. Senis in Etrúria, tránsitus beáti Nicolái Albergati, epíscopi Bononiénsis, qui iúvenis in Ordinem Cartusianórum ingréssus est et, epíscopus ordinátus, zelo pastoráli et apostólicis legatiónibus Ecclésiæ magnópere prófuit.

12. Montíliæ in Vandalícia Hispániæ província, sancti Ioánnis de Abula, presbýteri, qui cunctam Bǽticam regiónem Christum prǽdicans pererrávit et, iniúste de hǽresi suspicátus, in cárcerem trusus est, ubi præcípuam doctrínæ suæ spiritális partem scripsit.

13*. Zagábriæ in Croátia, beáti Ioánnis Merz, qui, humanárum litterárum stúdio et institutióni déditus, fúlgidum iuvénibus prǽbuit exémplum magístri Christi fídei inníxi et navitátis christifidélium laicórum in provéctum societátis.

14*. Cremónæ in Itália, beáti Henríci Rebuschini, presbýteri ex Ordine Clericórum Regulárium Ministrántium Infírmis, qui in valetudináriis ægrótis simplíciter servívit.

Die 11 maii

Quinto Idus maii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
3	4	5	6	7	8	8	9	10	11	12	13

1. In Byzacéna, sancti Maiúli, Adrumétici mártyris, qui ad béstias damnátus est.

2. Via Salária miliário vicésimo secúndo ab Urbe, sancti Anthimi, mártyris.

3. Byzántii, sancti Mócii, presbýteri et mártyris.

4. Viénnæ in Gállia Lugdunénsi, sancti Mamérti, epíscopi, qui ob imminéntem cladem sollémnes ante Ascensiónem Dómini triduánas Litanías hac in urbe instítuit.

5. Varénnis in pago Lingonénsi item in Gállia, sancti Gengúlfi.

6. Apud Silviníacum in Burgúndia, tránsitus sancti Maióli, abbátis Cluniacénsis, qui fide firmus, spe certus, gémina caritáte refértus per Gálliam et Itáliam multa monastéria renovávit.

7*. In monastério Stirpénsi pagi Lemovicénsis Gálliæ, sancti Gualtérii, presbýteri, qui, canonicórum rector, ab infántia Dei servítio erudítus, mansuetúdine erga fratres et caritáte erga páuperes enítuit.

8*. Verúculi in Flamínia, beáti Gregórii Celli, presbýteri ex Ordine Eremitárum Sancti Augustíni, qui, a frátribus e monastério eiéctus, apud Fratres Minóres in monte Carnério fertur obiísse.

9*. Eboráci in Anglia, beatórum mártyrum Ioánnis Rochester et Iacóbi Walworth, presbyterórum et monachórum Cartúsiæ Londiniénsis, qui sub Henríco rege Octávo ob fidelitátem erga Ecclésiam servátam ex urbis pinnis usque ad mortem caténis suspénsi sunt.

10. Neápoli in Campánia, sancti Francísci de Geronimo, presbýteri e Societáte Iesu, qui diu missiónibus populáribus et pastoráli derelictórum curæ se dedit.

11. Cálari in Sardínia, sancti Ignátii de Láconi, religiósi ex Ordine Fratrum Minórum Capuccinórum, qui indefésse per urbis platéas et portus caupónas stipem rogávit ad páuperum misériis succurréndum.

12. Saigóniæ in Cocincína, sancti Matthǽi Lê Văn Gẫm, mártyris, qui, cum missionários ex Európa adveniéntes navígio suo in regiónem introduxísset, deprehénsus est et, post annum in cárcere transáctum, ex decréto imperatóris Thiệu Trị decollátus.

Die 12 maii

Quarto Idus maii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
4	5	6	7	8	9	9	10	11	12	13	14

Sanctórum Nérei et Achíllei, mártyrum, qui, ut sanctus Dámasus papa refert, milítiæ nomen déderant et, pulsánte metu, ímpiis magistrátus præcéptis servíre paráti erant, sed, ad Deum verum convérsi, clípeos, pháleras et tela proiciéntes castra reliquérunt et, Christum conféssi, eius triúmpho gavísi sunt. Hac vero die Romæ in cœmetério Domitíllæ via Ardeatína eórum córpora depósita sunt.

Sancti Pancrátii, mártyris, qui adoléscens pro Christi fide item Romæ via Aurélia miliário secúndo occubuísse fertur; ad cuius sepúlcrum sanctus Sýmmachus papa basílicam célebrem excitávit et Gregórius papa Magnus crébrius pópulum convocándum curávit, ut veræ dilectiónis christiánæ exínde testimónium excíperent. Eius depositio hac die commemorátur.

3. Axiópoli in Mœsia, sancti Cyrílli, qui una cum sex sóciis martýrium consummávit.

4. Salamínæ in Cypro, sancti Epiphánii, epíscopi, qui, multíplici eruditióne et sacrárum sciéntia litterárum excéllens, vitæ quoque sanctitáte, zelo cathólicæ fídei, munificéntia erga páuperes et miraculórum virtúte éxstitit mirábilis.

5. Agýrii in Sicília, sancti Philíppi, presbýteri, e Thrácia oriúndi.

6. Tréviris in Rhenánia Austrásiæ, sancti Modoáldi, epíscopi, qui ecclésias et monastéria eréxit vel locupletávit, plures vírginum cœtus instítuit et iuxta sorórem Sevéram sepúltus est.

7*. In monastério Marcianénsi pagi Cameracénsis Austrásiæ, sanctæ Rictrúdis, abbatíssæ, quæ, post violéntam viri sui Adalbáldi mortem, sancti Amándi consílio sacrum velum accépit et sanctimoniálibus rectíssime præfuit.

8. Constantinópoli, sancti Germáni, epíscopi, doctrína et virtútibus insígnis, qui Leónem Isáuricum imperatórem edíctum advérsus sacras Imágines promulgántem magna fidúcia redárguit.

9. In Castélla Hispániæ, in loco póstea eius nómine insigníto, sancti Domínici, Calceaténsis nuncupáti, presbýteri, qui ad usum peregrinórum Sancti Iacóbi ad Compostéllam pontes viásque stratas comparávit atque in cellis et xenodochío ibi quoque exstrúctis eórum necessitátibus piíssime opitulátus est.

10*. Bonóniæ in Æmília, beátæ Iméldæ Lambertini, vírginis, quæ, a prima ætáte ut moniális in Ordine Prædicatórum recépta, adhuc iuvéncula, post mirándam Eucharístiæ receptiónem, súbito emísit spíritum.

11*. Avéiri in Lusitánia, beátæ Ioánnæ, vírginis, quæ, Alphónsi regis Quinti fília, núptiis plúries recusátis, in Ordine Prædicatórum famulári máluit, páuperum, orphanórum et viduárum refúgium.

Die 13 maii

Tértio Idus maii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
16	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**30**	**1**	**2**	**3**	**4**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
5	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**

Beátæ Maríæ Vírginis de *Fatima* in Lusitánia, cuius clementíssimæ matris in órdine grátiæ contemplátio in loco *Aljustrel,* instánter de advérsis hóminum sollícitæ, christifidéles turmátim in oratiónem pro peccatóribus et in recónditam conversiónem córdium concit.

2. Apud Traiéctum Mosæ in Gállia Bélgica, natális sancti Servátii, Tungrénsis epíscopi, qui in plúribus concíliis de Christi natúra disputántibus pro fide orthodóxa nicǽna pugnávit.

3*. Pictávii in Aquitánia, sanctæ Agnétis, abbatíssæ, quæ, sancti Germáni Parisiénsis benedictióne consecráta, monastérium Sanctæ Crucis piíssime gubernávit.

4*. In loco *Goriano Sicoli* in Aprútio, beátæ Gemmæ, vírginis, quæ reclúsa in mínima quadam céllula iuxta ecclésiam vixit, unde altáre tantum vidére póterat.

5*. Comi in Langobárdia, beátæ Magdalénæ Albrici, abbatíssæ ex Ordine Sancti Augustíni, quæ sorórum fervórem magnópere excitávit.

6. Pódii in pago Pictaviénsi Gálliæ, sancti Andréæ Hubérti Fournet, presbýteri, qui párochus témpore gállicæ perturbatiónis, licet proscríptus, fidéles roborávit in fide; dein, pace Ecclésiæ réddita, Institútum Filiárum a Cruce una cum sancta Elísabeth Bichier des Ages fundávit.

Die 14 maii

Prídie Idus maii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
17	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**30**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
6	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**

Festum sancti Matthíæ, Apóstoli, qui Dóminum Iesum secútus est a baptísmate Ioánnis usque in diem, qua Christus assúmptus est in cælum; quare, post Dómini Ascensiónem, ab Apóstolis in locum Iudæ proditóris suffféctus est ut, inter Duódecim adnumerátus, testis resurrectiónis fíeret.

2. In Asia, sancti Máximi, mártyris, qui in persecutióne Décii imperatóris lapídibus cæsus spíritum Deo reddidísse narrátur.

3. Cemenélii in Província, sancti Póntii, mártyris.

4. In Sýria, sanctórum Victóris et Corónæ, mártyrum, qui simul passi sunt.

5. In ínsula Chio, sancti Isidóri, mártyris, qui in púteum fertur esse iniéctus.

6. Aquiléiæ in Venétia, sanctórum Felícis et Fortunáti, qui civitátem suam glorióso martýrio decorárunt.

7. In Sardínia ínsula, commemorátio sanctárum Iustæ et Heredínæ, mártyrum.

8*. Arvérnæ in Aquitánia, sancti Aprúnculi, epíscopi, qui e sede Lingonénsi a Gundebáldo, Burgundiórum rege, expúlsus, cum apud Arvérnos advenísset, eórum Ecclésiæ præféctus est.

9. Ibídem, sancti Galli, epíscopi, viri húmilis et mitis, qui pátruus fuit sancti Gregórii Turonénsis.

10*. Lismórii in Hibérnia, sancti Carthági, epíscopi et abbátis.

11*. In monastério Fontanéllæ in Néustria, sancti Erembérti, quondam epíscopi Tolosáni, qui sub régula monástica vitam exégit.

12*. Scallábi in Lusitánia, beáti Ægídii de Vaozéla, presbýteri, qui, Parísiis artem médicam docens, dissolútam vivéndi ratiónem dimísit et, Ordinem Prædicatórum ingréssus, lácrimis, oratióne et abstinéntiis omnes répulit temptatiónes.

13*. In oppídulo *Saint Mary of the Woods* prope Indianópolim in Civitátibus Fœderátis Américæ Septemtrionális, beátæ Theodóræ (Annæ Terésiæ) Guérin, vírginis e Congregatióne Sorórum a Providéntia, quæ, in Gállia orta, licet inter máximas angústias, semper divínæ providéntiæ confísa de nascénti communitáte loci misérícors curávit.

14. In pago *Bétharram* prope Palum ad montes Pyrenǽos in Gállia, sancti Michaélis Garicoïts, presbýteri, qui Societátem Presbyterórum Missionariórum a Sacro Corde Iesu fundávit.

15. Níciæ in Monte Ferráto in Subalpína Itáliæ regióne, sanctæ Maríæ Domínicæ Mazzarello, quæ cum sancto Ioánne Bosco Institútum Filiárum Maríæ Auxiliatrícis ad puéllas páuperes instituéndas fundávit, humilitáte, prudéntia et caritáte præclára.

Die 15 maii

Idibus maii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
18	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**30**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
7	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**

1. Lámpsaci in Hellespónto, pássio sanctórum Petri, Andréæ, Pauli et Dionýsiæ, mártyrum.

2. Arvérnæ in Aquitánia, sanctórum Cássii et Victoríni, mártyrum, qui sub Chroco Alamannórum duce passi esse ferúntur.

3. In Sardínia, sancti Simplícii, presbýteri.

4*. Laríssæ in Thessália, sancti Achíllei, cognoménto Thaumatúrgi, epíscopi, qui Concílio Œcuménico Nicǽno Primo ádfuit et apostólico zelo ómnibus virtútibus signáto pópulos pagános evangelizávit.

5*. Augustodúni in Gállia Lugdunénsi, sancti Rhetícii, epíscopi, cuius sanctus Augustínus prǽsulis magnæ in Ecclésia auctoritátis méminit et sanctus Hierónymus Scriptúræ Sacræ egrégii enarratóris.

6. In Æthiópia, sancti Caleb seu Elésbaan regis, qui ad ultiónem mártyrum Negranénsium, Christi hóstibus expugnátis ac, témpore Iustíni imperatóris, régio, ut fertur, misso Hierosólymam diadémate, monásticam vitam, sicut vóverat, agens, ad Dóminum migrávit.

7. Septémpedæ in Picéno Itáliæ, sancti Severíni, epíscopi, a quo cívitas nomen póstea cepit.

8*. Bíngii in Austrásia ad Rhenum flumen prope Mogúntiam, sancti Rupérti, qui, dux, iúvenis ad límina Apostolórum proféctus, in domínium revérsus, plures exstrúxit ecclésias et undevigínti modo annos natus obdormívit in Dómino.

9. Apud Córdubam in Vandalícia Hispániæ regióne, commemorátio sancti Witesíndi, mártyris, qui Maurórum metu fidem christiánam deséruit, sed, cum eórum cultum mox públice exercére recusavísset, in ódium christiánæ fídei perémptus est.

10. Matríti in Castélla Hispániæ, sancti Isidóri, agrícolæ, qui, simul cum beáta María de la Cabeza uxóre, strénue labórans atque magis cæli quam terræ fructus patiénter carpens, christiáni agrícolæ piíssimi exémplar éxstitit.

11*. Aquis Séxtiis in Província, beáti Andréæ Abellon, presbýteri ex Ordine Prædicatórum, qui disciplínam regulárem instaurávit in cœnóbiis, quæ longanimitáte parcísque agéndi ratiónibus rexit.

Die 16 maii

Décimo séptimo Kaléndas iúnii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
8	9	10	11	12	13	13	14	15	16	17	18

1. Uzáli in Africa, commemorátio sanctórum Felícis et Gennádii, mártyrum.

2. Auximi in Picéno Itáliæ, sanctórum Floréntii et Diocletiáni, mártyrum.

3. In Pérside, sanctórum mártyrum Abdæ et Ebediésus, episcopórum, qui cum trigínta et octo sóciis sub Sápore rege Secúndo cæsi sunt.

4. In vico Baiáco in território Gálliæ Autissiodorénsi, sancti Peregríni, mártyris, qui primus huius civitátis epíscopus cólitur.

5. Commemorátio sancti Possídii, epíscopi Calaménsis in Numídia, qui, sancti Augustíni discípulus et amícus fidélis, ei moriénti ádfuit eiúsque præcláram vitam scripsit.

6. Trecis in Gállia Lugdunénsi, sancti Fídoli, presbýteri, qui a Theodoríco rege Arvérnos vastánte captus esse, sed, a sancto Aventíno abbáte redémptus et in Dei servítio instrúctus, eídem successísse tráditur.

7. In Hibérnia, sancti Brendáni, abbátis Clonfértiæ, séduli vitæ monásticæ propagatóris, de quo célebris narrátur fabulósa navigátio.

8. Ambiáni in Néustria, sancti Honoráti, epíscopi.

9*. In Británnia, sancti Carantóci, epíscopi et abbátis Cardiganénsis.

10. In Palæstína, pássio sanctórum quadragínta quáttuor monachórum, qui ab irrumpéntibus Saracénis in laura Sancti Sabæ membrátim occísi sunt, regnánte Heraclío imperatóre.

11*. Tolósæ in Aquitánia, sancti Germérii, epíscopi, qui cultum sancti Saturníni ampliáre et plebem ipsi commíssam visitáre stúduit.

12. Eugúbii in Umbria, sancti Ubáldi, epíscopi, qui vitæ commúni clericórum instaurándæ óperam dedit.

13*. Firmi in Picéno Itáliæ, sancti Adámi, abbátis monastérii Sancti Sabíni.

14*. Burdígalæ in Vascónia, beáti Simónis Stock, presbýteri, qui, primum eremíta in Anglia, dein Ordinem Carmelitárum ingréssus est, quem ipse, singulári erga Vírginem Maríam devotióne céleber, mire rexit.

15. Ianóviæ apud *Pinsk* ad Pripétium flumen in fínibus Polóniæ, sancti Andréæ Bobola, presbýteri e Societáte Iesu et mártyris, qui ad christianórum uniónem strénue nisus est, donec, a milítibus raptus, sánguine suo summum fídei testimónium libénter dedit.

16*. Prope Monáchium Baváriæ in Germánia, beáti Michaélis Woźniak, presbýteri et mártyris, qui, e Polónia sub regímine humánæ

dignitáti ac religióni inﬁénso redácta in castra detentiónis Dachâni allátus, per cruciátus ad glóriam cæléstem migrávit.

17*. In civitáte *Drohobych* in Ucraína, beáti Vitális Vladimíri Bajrak, presbýteri ex Ordine Sancti Iósaphat et mártyris, qui ante persecutóres religiónis per certámen fídei fructum áttulit ætérnum.

Die 17 maii

Sextodécimo Kaléndas iúnii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
20	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**30**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
9	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**

1. Alexandríæ in Ægýpto, sancti Adriónis, mártyris.

2. Romæ via Salária Vétere in cœmetério Basíllæ, sancti Victóris, mártyris.

3. Nivedúni ad Danúbium in Scýthia, sanctórum Heraclíi et Pauli, mártyrum.

4. In Africa Proconsulári, commemorátio sanctæ Restitútæ, vírginis et mártyris.

5. Vercéllis in Ligúria, translátio sancti Æmiliáni, epíscopi.

6. In Villa Regáli apud Valéntiam in Hispánia, sancti Paschális Baylón, religiósi ex Ordine Fratrum Minórum, qui, ómnibus semper sédulum et benévolum se præbens, mystérium Sanctíssimæ Eucharístiæ ardénti amóre constánter cóluit.

7. In urbe Cœiiaménsi provínciæ *Guizhou* Sinárum, sancti Petri Liu Wenyuan, mártyris, qui, catechísta, pro Christi nómine strangulátus est.

8*. Casáureæ prope Neápolim in Campánia Itáliæ, beátæ Iúliæ Salzano, vírginis, quæ pro doctrína christiána docénda ac devotióne erga Eucharístiam diffundénda Congregatiónem Sorórum Catechistárum a Sacratíssimo Corde Iesu excitávit.

9*. In óppido *Orgosolo* in Sardínia ínsula Itáliæ, beátæ Antóniæ Mesina, vírginis et mártyris, quæ decem et sex annos nata, Ecclésiæ opéribus dédita, usque ad mortem castitátem suam deféndit.

10*. In campo detentiónis civitátis *Oserlag* prope Ircúscam in Rússia, beáti Ioánnis Ziatyk, presbýteri e Congregatióne Sanctíssimi Redemptóris et mártyris, qui, témpore persecutiónis erga fidem, in cælésti iustórum convívio discúmbere méruit.

Die 18 maii

Quintodécimo Kaléndas iúnii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
21	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**30**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
10	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**

Sancti Ioánnis papæ Primi, mártyris, qui, a Theodoríco rege ariáno ad Iustínum imperatórem Constantinópolim missus, primus ex Románis Pontifícibus hóstiam paschálem in illa Ecclésia óbtulit; inde revérsus, ab eódem Theodoríco indígne suscéptus et in cárcerem coniéctus, Ravénnæ in Flamínia víctima pro Christo Dómino procúbuit.

2. Salónæ in Dalmátia, sancti Felícis, mártyris in persecutióne Diocletiáni imperatóris.

3. In Ægýpto, sancti Dióscori, mártyris, qui, fílius lectóris, post multa et vária torménta, cápitis abscissióne martýrium consummávit.

4. Alexandríæ item in Ægýpto, sanctórum Potamónis, Ortásii, Serapiónis, presbyterórum, et sociórum, mártyrum.

5. Ancýræ in Galátia, sanctórum mártyrum Theódoti et Thecúsæ, eius ámitæ, Alexándræ, Cláudiæ, Phaínæ, Euphrásiæ, Matrónæ et Iulíttæ, vírginum, quæ a præside primum prostitútæ sunt, dein lapídibus ad collum ligátis in palúdem mersæ.

6*. In pago Argoviénsi apud Helvétios, beáti Burchárdi, presbýteri, qui, párochus vici Beinwílæ, gregi ipsi commísso sedulitáte pastorali assídue cavit.

7. Upsalæ in Suécia, sancti Eríci regis Noni, mártyris, qui in regno suo ad pópulum sapiénter regéndum et mulíerum iura tuénda incúbuit et in Fínniam sanctum Henrícum epíscopum misit, ut Christi fidem propagáret, tandem, dum Missæ celebratióni adstábat, oppugnátus sub gládiis inimicórum cécidit.

8*. Tolósæ ad Garúmnam Gálliæ, beáti Guliélmi, presbýteri ex Ordine Eremitárum Sancti Augustíni.

9. Romæ, sancti Felícis de Cantalício, religiósi ex Ordine Fratrum Minórum Capuccinórum, miræ austeritátis et simplicitátis, qui quadragínta annos stipem cogéndi offício functus est circum se pacem et caritátem séminans.

10*. In Maríæ Domo in Germánia, beátæ Blandínæ (Maríæ Magdalénæ) Merten, vírginis ex Ordine Sanctæ Ursulæ, quæ curam humánæ christianǽque institutiónis puellárum et adulescéntium cum vita contemplatíva coniúnxit.

11*. Intra castra detentiónis Dacháni prope Monáchium Baváriæ in Germánia, beáti Stanislái Kubski, presbýteri et mártyris, qui, témpore belli, in conclávi mortífero vapóre inquináto pro Christo spíritum réddidit.

12*. In loco *Hartheim* prope Línciam in Austria, beáti Martíni Oprządek, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum et mártyris, qui, polónus natióne, eódem témpore et modo cæléste regnum adívit.

Die 19 maii

Quartodécimo Kaléndas iúnii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
11	12	13	14	15	16	16	17	18	19	20	21

1. Romæ in cœmetério Callísti via Appia, sancti Urbáni papæ Primi, qui, post sancti Callísti martýrium, octo annos Ecclésiam Románam fidéliter rexit.

2. Ibídem, sanctórum Parthénii et Calógeri, mártyrum, qui, sub Diocletiáno imperatóre, insígne Christo testimónium reddidérunt.

3*. Atrébati in Néustria, sancti Hadúlphi, epíscopi Atrebaténsis simul et Cameracénsis.

4. Cantuáriæ in Anglia, sancti Dunstáni, epíscopi, qui, primum abbas Glastonénsis, monásticam vitam instaurávit ac propagávit, et in sede episcopáli Vigorniénsi, dein Londiniénsi, tandem Cantuariénsi, de reguléri concórdia promovénda monachórum sanctimonialiúmque laborávit.

5*. Floréntiæ in Etrúria, beátæ Humiliánæ, ex Tértio Ordine Sancti Francísci, quæ, coniunx dúrius tractáta patiéntia et mansuetúdine commendábilis, vídua effécta, in oratiónem et caritátis ópera totam se trádidit.

6. Ad Castrum Fumorénse prope Alátrium in Látio, natális sancti Petri Cælestíni, qui, cum vitam eremíticam in Aprútio ágeret, fama sanctitátis et miraculórum clarus, octogenárius Románus Póntifex eléctus est, assúmpto nómine Cælestíni Quinti, sed eódem anno múnere se abdicávit et in solitúdinem recédere máluit.

7. In castéllo prope Trecóram in Británnia Minóre Gálliæ, sancti Ivónis, presbýteri, qui iustítiam sine personárum acceptióne servávit, concórdiam fovit, causas pupillórum, viduárum ac páuperum pro Christi amóre defféndit eosdémque míseros in domum suam suscépit.

8*. Senis in Etrúria, beáti Augustíni, cognoménto Novelli, presbýteri ex Ordine Eremitárum Sancti Augustíni, veræ humilitátis cultóris et religiósæ observántiæ amatóris.

9*. Granátæ in Hispánia, beatórum mártyrum Ioánnis de Cetína, presbýteri, et Petri de Dueñas, religiósi, ex Ordine Minórum Conventuálium, qui ob Christi fídei confessióne ipsíus Maurórum regis manu occísi sunt.

10*. Suzútæ in Iapónia, beáti Ioánnis a Sancto Domínico Martínez, presbýteri ex Ordine Prædicatórum et mártyris, qui in cárcere pro Christo occúbuit.

11*. Londínii in Anglia, beáti Petri Wright, presbýteri et mártyris, qui, fidem Ecclésiæ cathólicæ proféssus, in Societátem Iesu admíssus et ad órdines sacros promótus, témpore Reipúblicæ, propter sacerdótium ad Tybúrni patíbulum ductus est.

12. Ficécli in Etrúria, sancti Theóphili de Cúria, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum, qui sacros Fratrum recéssus valde propagávit magnam pietátem in domínicam Passiónem et Vírginem Maríam éxhibens.

13. Romæ, sancti Crispíni de Vitérbio, religiósi ex Ordine Fratrum Minórum Capuccinórum, qui, dum per vicos cursitábat montános, ut stipem mendicáret, agréstes rudiménta fídei docébat.

14*. In salo ante Rupifórtium in Gállia, beáti Ioánnis Baptístæ Xavérii (Ioánnis Ludovíci) Loir, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum Capuccinórum et mártyris, qui, tempóribus gállicæ perturbatiónis, propter sacerdótium in navi servitútis prope octogenárius deténtus est et mórtuus invéntus génibus submíssis.

15*. Carthágine Neogranaténsi in Colúmbia, beátæ Maríæ Bernárdæ (Verénæ) Bütler, vírginis, quæ, helvética génere, Congregatiónem Sorórum Missionariárum Franciscanárum a María Auxiliatríce fundávit.

16*. Prope Monáchium Baváriæ in Germánia in castris detentiónis Dacháni, beáti Ioséphi Czempiel, presbýteri et mártyris, qui, polónus génere, in bello per supplícium mortíferi vapóris Christi sacrifício sociátus occúbuit.

Die 20 maii

Tertiodécimo Kaléndas iúnii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
12	13	14	15	16	17	17	18	19	20	21	22

Sancti Bernardíni Senénsis, presbýteri ex Ordine Minórum, qui verbo et exémplo per óppida et civitátes Itáliæ plebem evangelizávit et devotiónem erga sanctíssimum nomen Iesu diffúdit, indefésse prædicatiónis offícium magno cum animárum fructu usque ad extrémum diem Aquilæ in Aprútio Itáliæ prósequens.

2. Commemorátio sanctæ Lýdiæ Thyatirénsis purpuráriæ, quæ, Philíppis in Macedónia, prædicánte sancto Paulo Apóstolo, ómnium prima crédidit Evangélio.

3. Apud Ostia Tiberína, sanctæ Aureæ, mártyris.

4. Nemáusi in Gállia Narbonénsi, sancti Baudélii, mártyris.

5. Ægéis in Cilícia, sancti Thalalǽi, mártyris.

6*. Cálari in Sardínia, sancti Lucíferi, epíscopi, qui fídei nicǽnæ defénsor intrépidus a Constántio imperatóre multa perpéssus est et in exsílium relegátus, unde, ad sedem suam revérsus, óbiit conféssor Christi.

7*. Tolósæ in Gállia Narbonénsi, sancti Hilárii, epíscopi, qui super sancti Saturníni, sui decessóris, sepúlcrum parvam basílicam lígneam exstrúxit.

8. Apud Biturígas in Aquitánia, sancti Austregisílii, epíscopi, qui præsértim apud páuperes, órphanos, infírmos et cápite damnátos minístrum caritátis se prǽbuit.

9. Bríxiæ in Langobárdia, sancti Anastásii, epíscopi.

10. Pápiæ item in Langobárdia, sancti Theodóri, epíscopi, qui, bello inter Francos et Langobárdos sæviénte, exsílium passus est.

11*. Castanéti in Etrúria, beáti Guidónis de Gherardesca, eremítæ.

12*. Perúsiæ in Umbria, beátæ Colúmbæ (Angelæ), vírginis de Pæniténtia Sancti Domínici, quæ in civitáte a factiónibus divísa ad pacem promovéndam ínstitit.

13. Seuli in Coréa, sancti Protásii Chong Kuk-bo, mártyris, qui fidem christiánam, quam ántea deserúerat, íterum repétiit et inter torménta in cárcere usque ad mortem proféssus est.

14*. In vico *Botticino Sera* prope Bríxiam in Itália, beáti Archángeli Tadini, presbýteri, qui pro iúribus et dignitáte operariórum curam impéndit et Congregatiónem Sorórum Operariárum Sanctæ Domus a Názareth fundávit de iustítia sociáli præcípue sollícitam.

15*. Medioláni in Langobárdia Itáliæ, beáti Aloýsii Talamoni, presbýteri, qui, vocatiónem suam educatóris iuventútis colens, ministérium exércuit summa cum cura et efficáci participatióne difficultátum societátis témporis sui ac Congregatiónem Sorórum Misericordinárum a Sancto Gerárdo suscitávit.

Die 21 maii

Duodécimo Kaléndas iúnii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
13	14	15	16	17	18	18	19	20	21	22	23

Sanctórum Christóphori Magallanes, presbýteri, et sociórum,[1] mártyrum, qui váriis in diciónibus Méxici, in ódium

[1] Quorum nomina: presbyteri Romanus Adame, Rodericus Aguilar, Iulius Álvarez, Aloysius Batis Sáinz, Augustinus Caloca, Matthæus Correa, Atilanus Cruz, Michael de la Mora, Petrus Esqueda Ramírez, Margaritus Flores, Iosephus Isabel Flores, David Galván, Petrus Maldonado, Iesus Méndez, Iustinus Orona, Sabas Reyes, Iosephus Maria Robles, Turibius

christiáni nóminis et cathólicæ Ecclésiæ persecúti atque Christum Regem conféssi, corónam martýrii sunt consecúti.

2. In Mauretánia, sancti Timóthei, diáconi et mártyris.

3. Cæsaréæ Cappadóciæ, sancti Polyéucti, mártyris.

4. Commemorátio sanctórum mártyrum utriúsque sexus, quos Alexandríæ in Ægýpto sacris diébus Pentecóstes sub Constántio imperatóre Geórgius epíscopus ariánus sævíssime occídi vel in exsílium relegári præcépit.

5*. Dariórigi in Británnia Minóre, commemorátio sancti Patérni, epíscopi, qui a sancto Perpétuo Turonénsi in concílio provinciáli ibídem congregáto epíscopus hac die ordinátus esse tráditur.

6. Apud Nicǽam in Província, sancti Hospícii, reclúsi, miræ abstinéntiæ viri, qui advéntum Langobardórum prædíxit.

7. Eboræ in Lusitánia, sancti Máncii, mártyris.

8*. Viénnæ in Burgúndia Gálliæ, sancti Theobáldi, epíscopi, qui per quadragínta quáttuor annos sedem illam illustrávit, caritáte ac pietáte conspícuus.

9*. Aboæ in Fínnia, sancti Hemming, epíscopi, qui, pastoráli zelo incénsus, huius Ecclésiæ disciplínam synódica ordinatióne instaurávit, clericórum stúdiis favit, cultum divínum exornávit pacémque inter pópulos promóvit.

10*. In alto ante Rupifórtium ad oram Gálliæ, beáti Ioánnis Mopinot, Fratris Scholárum Christianárum et mártyris, qui tempóribus gállicæ perturbatiónis in sórdida actuária deténtus est útpote religiósus, ubi tabe affféctus óbiit.

11. Massíliæ in Província Gálliæ, sancti Cároli Eugénii de Mazenod, epíscopi, qui, ut pauperes evangelizaréntur, Missionários Oblátos Maríæ Immaculátæ suscitávit et per vigínti et quinque fere annos Ecclésiam virtútibus, ópere, sermónibus et scriptis illustrávit.

Romo, Ianuarius Sánchez Delgadillo, Tranquillinus Ubiarco et David Uribe; atque Emmanuel Morales, Salvator Lara Puente et David Roldán Lara, laici.

Die 22 maii

Undécimo Kaléndas iúnii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
14	15	16	17	18	19	19	20	21	22	23	24

Sanctæ Ritæ, religiósæ, quæ, violénto viro nupta, eius sævítias patiénter tolerávit eúmque Deo conciliávit; dein, cóniuge et fíliis orbáta, Cássiæ in Umbria monastérium Ordinis Sancti Augustíni ingréssa est, ómnibus patiéntiæ et compunctiónis sublíme præbens exémplum.

2. In Africa, sanctórum Casti et Æmílii, mártyrum, qui per ignem passiónem suam consummárunt. Hos, ut sanctus Cypriánus scribit, in prima congressióne devíctos, Dóminus victóres in secúndo prœlio réddidit, ut fortióres ígnibus fíerent, qui ígnibus ante cessíssent.

3. Cománæ in Ponto, sancti Basilísci, epíscopi et mártyris.

4. In ínsula Córsica, commemorátio sanctæ Iúliæ, vírginis et mártyris.

5*. In pago Aturénsi in Aquitánia, sanctæ Quitériæ, vírginis.

6. Engolísmæ item in Aquitánia, sancti Ausónii, qui primus epíscopus huius civitátis habétur.

7*. Lemóvici item in Aquitánia, sancti Lupi, epíscopi, qui monastérii Solemníaci fundatiónem signávit.

8*. Parmæ in Æmília, sancti Ioánnis, abbátis, qui sancti Maióli Cluniacénsis admonitiónibus multa ad monásticam observántiam promovéndam in suo cœnóbio constítuit.

9. Pistórii in Etrúria, sancti Attónis, epíscopi, qui, cum abbas esset in Ordine Vallis Umbrósæ, dein Ecclésiæ Pistoriénsi præféctus est.

10*. Florentiæ item in Etrúria, beátæ Humilitátis (Rosánnæ), quæ, cóniuge consentiénte, per duódecim annos reclúsa vixit, dein, epíscopo poscénte, monastérium ædificávit ex Ordine Vallis Umbrósæ, cui abbatíssa præfuit.

11*. Londínii in Anglia, beáti Ioánnis Forest, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum et mártyris, qui sub Henríco rege Octávo ob defensiónem cathólicæ unitátis in foro *Smithfield* una cum sacris lígneis imagínibus vivus in rogo ardens martýrium consummávit.

12*. In civitáte *Kori* in Iapónia, beatórum Petri ab Assumptióne, ex Ordine Fratrum Minórum, et Ioánnis Baptístæ Machado, presbyterórum et mártyrum, qui, cum ministérium occúlte implevíssent, in ódium fídei christiánæ decolláti sunt.

13*. Omúræ item in Iapónia, beáti Matthíæ de Aríma, mártyris, qui, catechísta, cum áliquem missionárium pródere noluísset, usque ad mortem torméntis cruciátus est.

14. In Annámia, sancti Michaélis Hồ Đình Hy, mártyris, qui, mandarínus, comes imperatóris et catechísta, eo quod christiánus esset delátus, post atróces cruciátus abscísso cápite occúbuit.

15. In urbe *An-Xá* in Tunquíno, sancti Domínici Ngôn, mártyris, qui, paterfamílias et agrícola, a milítibus petítus, ut crucem calcáret, contra procúbuit eámque adorávit et, cum ante iúdicem se christiánum intrépide proféssus esset, extémplo decollátus est.

16*. Lucæ in Etrúria Itáliæ, beátæ Maríæ Domínicæ Brun Barbantini, religiósæ, quæ Congregatiónem Sorórum Ministrántium Infírmis a Sancto Camíllo instítuit.

Die 23 maii

Décimo Kaléndas iúnii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
15	16	17	18	19	20	20	21	22	23	24	25

1. Carthágine, sanctórum Lúcii, Montáni, Iuliáni, Victoríci, Victóris et Donatiáni, mártyrum, qui pro religióne et fide, quam sancto Cypriáno docénte didícerant, sub Valeriáno imperatóre martýrium consummárunt.

2. Commemorátio sanctórum mártyrum, qui in Cappadócia in persecutióne Maximiáni imperatóris, confráctis crúribus, necáti sunt.

3. Item commemorátio sanctórum mártyrum, qui eódem témpore in Mesopotámia, pédibus sublíme appénsi, cápite verso deórsum, suffocáti fumo et lento igne consúmpti sunt.

4. Neápoli in Campánia, sancti Ephébi, epíscopi, qui plebi Dei sanctíssime præfuit et fidéliter ministrávit.

5. Apud Língones in Gállia Lugdunénsi, pássio sancti Desidérii, epíscopi, qui, ut fertur, cum plebem suam vexári cérneret a Vándalis, ad eórum regem pro ea supplicatúrus accéssit; a quo statim iugulári iussus, pro óvibus ipsi créditis libénter se óbtulit.

6. In pago Nursíno Umbriæ, commemorátio sancti Eutýchii, abbátis, qui, narránte sancto Gregório papa Magno, primum cum sancto Floréntio vitam solitáriam egit multósque ad Deum perdúcere exhortándo curávit, dein monastério vicíno sancte præfuit.

7. Item apud Núrsiam, sancti Spei, abbátis, qui per quadragínta annos cæcitátem mira patiéntia tolerávit.

8*. Apud Sublácum in Látio, commemorátio sancti Honoráti, abbátis, qui cellæ præfuit, ad quam sanctus Benedíctus ántea pertinúerat.

9*. Nicǽæ in Província, sancti Syágrii, epíscopi, qui apud túmulum sancti Póntii monastérium ædificávit.

10. Sýnnade in Phrýgia, sancti Michaélis, epíscopi, qui vir pacíficus pacem et concórdiam inter Græcos et Latínos fovit, sed in exsílium propter cultum sacrárum Imáginum relegátus procul a pátria decéssit.

11*. Apud Gémblacum in agro Lotharíngiæ Leodiénsi, deposítio sancti Guibérti, mónachi, qui, cíngulo milítiæ depósito et monásticæ vitæ disciplína assúmpta, in fundo hereditário cœnóbium exstrúxit, ipse vitam monásticam Górziæ in Lotharíngia ducens.

12. Romæ, sancti Ioánnis Baptístæ de Rossi, presbýteri, qui míseros et abiectíssimos quosque suscépit et sacra ímbuit doctrína.

13*. In óppido *Witowo* in Polónia, beatórum Ioséphi Kurzawa et Vincéntii Matuszewski, presbyterórum et mártyrum, qui, pátria vi aliénæ subiécta potestáti, a persecutóribus Ecclésiæ interfécti sunt.

Die 24 maii

Nono Kaléndas iúnii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
16	17	18	19	20	21	21	22	23	24	25	26

1. Commemorátio sancti Mánaen, qui, Heródis tetrárchæ collactáneus, in Ecclésia quæ Antiochíæ erat doctor et prophéta sub grátia Novi Testaménti éxstitit.

2. Item commemorátio beátæ Ioánnæ, uxóris Chuza, procuratóris Heródis, quæ áliis cum muliéribus Iesu et Apóstolis ministrábat de facultátibus suis atque die Resurrectiónis Dómini lápidem revolútum a monuménto invénit et discípulis nuntiávit.

3. Lystræ in Lycaónia, sancti Zoélli, mártyris.

4*. Tergéste in Hístria, sancti Sérvuli, mártyris.

5. Nannétibus in Gállia Lugdunénsi, sanctórum fratrum Donatiáni et Rogatiáni, mártyrum, quorum, ut fertur, alter baptísmum accéperat, alter catechúmenus erat; in extrémo autem certámine Donatiánus fratrem ósculans Deum orávit, ut qui sacro lavácro tingi nequíerat cruóris flúmine abstergéri mererétur.

6. Commemorátio sanctórum trigínta et octo mártyrum, qui Philippópoli in Thrácia, tempóribus Diocletiáni et Maximiáni, cápite truncáti esse dicúntur.

7. In monastério Lirinénsi in Província, sancti Vincéntii, presbýteri et mónachi, doctrína christiána et sanctitáte vitæ valde conspícui et atténte in proféctum fídei animárum eníxi.

8. In monte Admirábili in Sýria, sancti Simeónis Stylítæ iunióris, presbýteri et anachorétæ, qui super colúmnam vixit in conversatióne cum Christo, vários cómponens de re ascética tractátus magnísque charismátibus prǽditus.

9*. Placéntiæ in Æmília, beáti Philíppi, presbýteri ex Ordine Eremitárum Sancti Augustíni, qui, ut ácrius in castigatiónem carnis insísteret, férrea utebátur loríca.

10*. In Maróchio, beáti Ioánnis de Prado, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum et mártyris, qui in Africam missus est, ut christiánis in servitútem regnórum infidélium redáctis auxílium spiritále præbéret; sed apprehénsus, coram tyránno Mulay al-Walid fidem Christi fórtiter conféssus est et ipsíus iussu per ignem martýrium consummávit.

11. Seuli in Coréa, sanctórum mártyrum Augustíni Yi Kwang-hŏn, in cuius domo Sacræ Scriptúræ legebántur, Agathæ Kim A-gi, matrisfamílias, quæ in cárcere baptísmum recépit, atque septem sociórum,[2] qui omnes simul propter nomen christiánum decolláti sunt.

[2] Quorum nomina: sancti Damianus Nam Myŏng-hyŏg, catechista; Magdalena Kim Ŏ-bi, Barbara Han A-gi, Anna Pak A-gi, Agatha Yi So-sa, Lucia Pak Hŭi-sun, Petrus Kwon Tŭ-gin.

12*. In urbe Sancti Hyacínthi in Cánada, beáti Ludovíci Zephyríni Moreau, epíscopi, qui in váriis curæ pastorális opéribus, ut ardénter sentíret cum Ecclésia, semper sibi suadébat.

Die 25 maii

Octávo Kaléndas iúnii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
28	**29**	**30**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
17	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**

Sancti Bedæ Venerábilis, presbýteri et Ecclésiæ doctóris, qui, fámulus Christi ab anno ætátis octávo cunctum vitæ tempus Girvi in Northúmbria Angliæ in eódem monastério péragens, omnem meditándis et exponéndis Scriptúris óperam dedit atque inter observántiam disciplínæ reguláris et cotidiánam cantándi in ecclésia curam semper aut díscere aut docére aut scríbere dulce hábuit.

Sancti Gregórii papæ Séptimi, qui olim Hildebrándus vitam monásticam duxit et multis legatiónibus pontífices témporis sui adiúvit in Ecclésiæ reformatióne; ad Petri cáthedram evéctus, Ecclésiæ libertátem a potestáte príncipum magna auctoritáte fortíque ánimo vindicávit et sanctitátem sacerdótii strénue deféndit; quaprópter Roma discédere coáctus, Salérni in Campánia in exsílio óbiit.

Sanctæ Maríæ Magdalénæ de' Pazzi, vírginis ex Ordine Carmelitárum, quæ Floréntiæ in Etrúria abscónditam in Christo vitam oratiónis et abnegatiónis duxit pro Ecclésiæ reformatióne eníxe orans et, multis donis a Deo insigníta, soróres egrégie ad perfectiónem diréxit.

4. Atéllæ in Campánia, sancti Caniónis, epíscopi et mártyris.

5. Mediolàni in Ligúria, commemorátio sancti Dionýsii, epíscopi, qui, ab imperatóre Constántio ariáno in Arméniam pro fide cathólica relegátus, ibídem propióre mártyrum título vitam exhalávit.

6. Floréntiæ in Etrúria, sancti Zenóbii, epíscopi.

7. In cœnóbio Mentuníaco apud Trecas in Gállia, sancti Leónis, abbátis.

8. In Anglia, sancti Aldhélmi, epíscopi, qui, vir doctrína scriptísque célebris, iam abbas Malmesburiénsis, primus quoque epíscopus Sciréburniénsis inter Sáxones occidentáles ordinátus est.

9*. Pennálbæ in Astúria Hispániæ, sancti Gennádii, qui, ex abbáte epíscopus eiúsdem sedis factus, regum suásor fuit, sed, claustri desidério motus, dignitátem episcopálem depósuit, ut réliquos annos vitæ mónachus et aliquándo solitárius exígeret.

10*. Villæ Magnæ apud Floréntiam in Etrúria, commemorátio beáti Gerárdi Mecatti, qui, vestígiis sancti Francísci sédulo adhǽrens, bona sua paupéribus distríbuit et, in erémum secéssus, pro Christi amóre in peregrínos recipiéndos atque infírmis subveniéndum se impéndit.

11*. Apud Montem Sanctum in Picéno Itáliæ, tránsitus sancti Gérii, qui, quondam comes de Lunáte, solitáriam vitam egit et in peregrinatióne sancta óbiit.

12*. Favéntiæ in Flamínia, beáti Iacóbi Philíppi (Andréæ) Bertoni, presbýteri ex Ordine Servórum Maríæ, lacrimárum dono et summa humilitáte insígnis.

13. In Tunquíno, sancti mártyris Petri Đoàn Văn Vân, qui, catechísta et curátor parœ́ciæ *Bầu Nọ*, sub imperatóre Tự Đức constántiam fídei sánguine octogenárius firmávit.

14. Parísiis in Gállia, sanctæ Magdalénæ Sóphiæ Barat, vírginis, quæ Societátem a Sacro Corde Iesu fundávit et pro christiána puellárum institutióne valde adlaborávit.

15. In loco *Munyonyo* in Ugánda, sancti Dionýsii Ssebuggwawo, mártyris, qui, sédecim annos natus, cum regi Mwanga interrogánti se duos áulicos docuísse christiánæ fídei rudiménta affirmavísset, ab ipso rege láncea confóssus est.

16. In óppido *Catatlán* territórii Guadalaiarénsis in México, sanctórum Christóphori Magallanes et Augustíni Caloca, presbyterórum et mártyrum, qui in persecutióne mexicána, Christo regi strénue confísi, corónam adépti sunt.

17*. In campo detentiónis óppidi *Javas* in Moldávia, beáti Nicolái Cehelskyj, presbýteri et mártyris, qui sub regímine persecutiónis erga religiónem, passiónis suæ torménta fortitúdine fídei superávit.

Die 26 maii

Séptimo Kaléndas iúnii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
18	19	20	21	22	23	23	24	25	26	27	28

Memória sancti Philíppi Neri, presbýteri, qui in iúvenes a malo salvándos curam impéndens Romæ oratórium fundávit, in quo lectiónes spiritáles, cantus et ópera caritátis exercebántur, et amóre in próximum, evangélica simplicitáte et hílari ánimo, summo zelo et fervénti Dei servítio enítuit.

2. Item Romæ, sancti Eleuthérii, papæ, ad quem claríssimi mártyres Lugdunénses, tunc in vínculis deténti, nóbilem epístulam de pace in Ecclésia servánda scripsérunt.

3. Item Romæ in cœmetério Priscíllæ via Salária Nova, sancti Simétrii, mártyris.

4. Tudérti in Umbria, sanctæ Felicíssimæ, mártyris.

5. In território Gálliæ Autissiodorénsi, pássio sancti Prisci, mártyris, cum sóciis.

6. Cantuáriæ in Anglia, depositio sancti Augustíni, epíscopi, cuius memória cras ágitur.

7. In território Lugdunénsi in Gállia, pássio sancti Desidérii, epíscopi Viennénsis, qui, a Brunechílde regína, quam ob núptias incéstas et álias pravitátes redargúerat, primo in exsílium pulsus est, deínde, ipsíus iussu lapídibus óbrutus, martýrio coronátus est.

8*. In monastério Sancti Pápuli in Gállia, sancti Berengárii, mónachi.

9*. Véntiæ in Província Gálliæ, sancti Lambérti, epíscopi, ántea mónachi Lirinénsis, qui paupéribus próvidens fuit et paupertátis amans.

10*. Senis in Etrúria, beáti Francísci Patrizi, presbýteri ex Ordine Servórum Maríæ, qui prædicatiónis, animárum directiónis et pæniténtiæ ministérii mirábili zelo curam hábuit.

11*. Pistórii item in Etrúria, beáti Andréæ Franchi, epíscopi, qui prior ex Ordine Prædicatórum post pestem nigram vitam regulárem in convéntibus Ordinis huius regiónis instaurávit et in civitáte sua Fraternitátes pæniténtium ad pacem et misericórdiam fovéndas approbávit.

12. Quiti in Æquatória, sanctæ Maríæ Annæ a Iesu de Paredes, vírginis, quæ in Tértio Ordine Sancti Francísci vitam Christo consecrávit virésque ad páuperes indígenas vel nigrítas subveniéndos cóntulit.

13. In loco *Fuzhou* in *Fujian* Sinárum província, sancti Petri Sans i Jordá, epíscopi ex Ordine Prædicatórum et mártyris, qui, cum áliis sacerdótibus comprehénsus et per longum iter in vínculis ad tribúnal dedúctus, in loco supplícii génua flexit et, prece absolúta, libénter cervícem secúri præbuit.

14. Seuli in Coréa, sancti Ioséphi Chang Sŏng-jib, mártyris, qui, pharmacopólæ artem exércens, christiánus efféctus in vínculis deténtus est et summis cruciátibus óbiit.

15. In urbe *Đồng Hới* in Annámia, sanctórum mártyrum Ioánnis Đoàn Trinh Hoan, presbýteri, et Matthǽi Nguyễn Văn Phượng, qui, paterfamílias et catechísta, martýrii sócio hospítium præbébat et ambo simul pro fide sub imperatóre Tự Đức excruciáti sunt et dire decolláti.

16. In loco *Numyanyo* in Ugánda, sancti Andréæ Kaggwa, mártyris, qui, regis Mwanga tympanistárum præféctus eiúsque familiáris, Christo vix initiátus, Evangélii doctrína éthnicos et catechúmenos ímbuit, quaprópter crudéliter necátus est.

17. In loco *Ttaka Jiunge* item in Ugánda, sancti Pontiáni Ngondwe, mártyris, qui, satélles régius, persecutióne iam instánte, baptísmum suscépit et mox in cárcerem coniéctus, dum ad collem supplícii ducebátur, láncea a carnífice transfíxus est.

Die 27 maii

Sexto Kaléndas iúnii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
19	20	21	22	23	24	24	25	26	27	28	29

Sancti Augustíni, epíscopi Cantuariénsis in Anglia, qui una cum áliis mónachis a sancto Gregório papa Magno missus ad verbum Dei Anglórum genti prædicándum, ab Ædilbérto rege Cántiæ benévole accéptus, apostólicam primitívæ Ecclésiæ vitam ímitans, regem ipsum multósque ad fidem christiánam convértit et nonnúllas hac in terra sedes constítuit episcopáles. Die vero vigésima sexta maii óbiit.

2. Doróstori in Mœsia, sancti Iúlii, mártyris, qui, témpore persecutiónis, cum esset veteránus et eméritæ milítiæ, comprehénsus est ab officiálibus et Máximo prǽsidi oblátus; quo præsénte, cum exsecrarétur idóla et Christi nomen constantíssime confiterétur, capitáli senténtia punítus est.

3. Via Nomentána miliário décimo sexto ab urbe Roma, sancti Restitúti, mártyris.

4. Arausióne in Província Gálliæ, sancti Eutrópii, epíscopi.

5. Herbípoli in Francónia Germániæ, sancti Brunónis, epíscopi, qui ecclésiam cathedrálem restítuit, clerum reformávit et Sacras Scriptúras pópulo enarrávit.

6*. In monastério Montis Sálvii apud Arvérnam Aquitániæ, sancti Gausbérti, presbýteri et eremítæ, cuius ópera locus ille, ántea hórridus, hospítium factus est ad peregrínos suscipiéndos.

7*. In loco *Dryburne* apud Dunélmum in Anglia, beatórum Edmúndi Duke, Richárdi Hill, Ioánnis Hogg et Richárdi Holiday, presbyterórum et mártyrum, qui, a Collégio Anglórum Reménsi in pátriam regréssi, sub Elísabeth regína Prima propter solum sacerdótium cápite damnáti, patíbulo suspénsi sunt.

8. Seuli in Coréa, sanctárum mártyrum Bárbaræ Kim, víduæ, et Bárbaræ Yi, vírginis, quíndecim annos natæ, quæ simul pro Christo in cárcere deténtæ peste obiérunt.

9. In loco *Nakiwubo* in Ugánda, sancti Athanásii Bazzekuketta, mártyris, qui ex iuvénibus régiæ domus, nuper baptizátus, dum ad locum supplícii pro Christi fide accépta cum céteris ducebátur, carníifices rogávit, ut eum íllico occíderent, et, íctibus percússus, martýrium complévit.

10. In loco *Lubawo* item in Ugánda, sancti Gonzágæ Gonza, mártyris, qui e fámulis régiis, dum compédibus impedítus ad rogum ducebátur, a carnifícibus lánceis transfóssus est.

Die 28 maii

Quinto Kaléndas iúnii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
20	21	22	23	24	25	25	26	27	28	29	30

1. Corínthi in Acháia, sanctæ Helicónidis, mártyris, quæ, témpore Gordiáni imperatóris, sub Perénnio præside, deínde sub eius succes-

sóre Iustíno, multis torméntis afflícta, tandem cápitis obtruncatióne martýrium complévit.

2. Carnúti in Gállia Lugdunénsi, sancti Caráuni, mártyris.

3. Urgélli in Hispánia Tarraconénsi, sancti Iusti, epíscopi, qui allegórice Cánticum Canticórum explanávit et concíliis hispánis intérfuit.

4. Parísiis in Gállia, sancti Germáni, epíscopi, qui, primum abbas Sancti Symphoriáni Augustodunénsis, ad sedem Parisiénsem vocátus, monásticæ vitæ modum rétinens fructuósam curam animárum exércuit.

5*. In monastério Gellonénsi in Gállia Narbonénsi, sancti Guliélmi, mónachi, qui, in aula imperatóris cunctis clárior, dilectiónis afféctu vero sancto Benedícto Anianénsi adhǽsit hábitum monásticum magna cum honestáte morum índuens.

6*. Cantuáriæ in Anglia, beáti Lanfránci, epíscopi, qui, mónachus Beccénsis in Normánnia, célebrem scholam fundávit et de veritáte córporis et sánguinis Christi in sacraménto contra Berengárium disséruit; ad sedem póstea Cantuariénsem provéctus, Ecclésiæ disciplínam in Anglia reformáre stúduit.

7*. Pisis in Etrúria, sanctæ Ubaldéscæ, vírginis, quæ a sexto décimo ætátis anno usque ad mortem, per quinquagínta quinque annos, in hospítio ópera misericórdiæ constánter perfécit.

8*. Apud Castrum Novum Carfaniánæ item in Etrúria, beáti Herculáni de Plegáli, presbýteri ex Ordine Minórum, qui concionátor exímius vitæ austeritáte, diutúrna abstinéntia et miraculórum fama præfúlsit.

9*. Londínii in Anglia, beátæ Margarítæ Pole, matrisfamílias et mártyris, quæ, comitíssa Sarisberiénsis et cardinális Regináldi mater, sub Henríco rege Octávo, cuius divórtium reprobáverat, in cárcere Turris abscísso cápite in pace Christi quiévit.

10*. Floréntiæ in Etrúria, beátæ Maríæ Bartholomǽæ Bagnesi, vírginis, soróris de Pæniténtia Sancti Domínici, quæ quadragínta quinque fere annos multos et aspérrimos dolóres tolerávit.

11*. Londínii in Anglia, beatórum Thomæ Ford, Ioánnis Shert et Robérti Johnson, presbyterórum et mártyrum, qui in Elísabeth regínam Primam coniuratiónis falso insimuláti et cápite damnáti patíbulo Tybúrni simul suspénsi sunt.

12. In loco *Chợ Quán* in Cocincína, sancti Pạuli Hạnh, mártyris, qui, christiános mores oblítus, manípulum furum ducébat, sed sub imperatóre Tự Đức comprehénsus se christiánum esse proféssus est et, nulla blandítia, nec flagellatióne, nec fórcipum laceratiónibus a fide defléxus, cápitis decollatióne glorióso martýrio obviávit.

13*. Sachsenhúsæ in Germánia, beáti Ladislái Demski, mártyris, qui, polónus gente, in fide coram sectatóribus doctrinárum humánam omnem et christiánam dignitátem denegántium defendénda in campo detentiónis dire tortus óbiit.

14*. In civitáte *Działdowo* in Polónia, beáti Antónii Iuliáni Nowowiejski, epíscopi Plocénsis, qui, in eádem tempestáte ab inimícis in campo detentiónis reclúsus, fame et diris vexatiónibus consúmptus ad Dóminum migrávit.

Die 29 maii

Quarto Kaléndas iúnii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
2	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
21	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**26**	**27**	**28**	**29**	**30**	**1**

1. Antiochíæ in Sýria, sancti Hesýchii palatíni, mártyris, qui in persecutióne Diocletiáni imperatóris cum præcéptum audísset, ut quisquis idólis non sacrificáret cíngulum milítiæ depóneret, repénte cíngulum solvit; quam ob causam, ingénti saxo in déxtera eius ligáto, in flúvium Oróntem præcipitári iussus est.

2. Tréviris in Gállia Bélgica, sancti Maximíni, epíscopi, qui intrépidus fídei integritátis advérsus ariános defénsor sanctum Athanásium

Alexandrínum aliósque epíscopos éxsules fratérne suscépit et, ab hóstibus sede pulsus, in pátria Pictaviénsi óbiit.

3. In valle Anauniénsi in agro Tridentíno, sanctórum mártyrum Sisínnii, diáconi, Martýrii, lectóris, et Alexándri, ostiárii, qui, natióne cappádoces, erécta ecclésia, divínæ laudis cántica in regiónem introduxérunt et a pagánis sacrifícia lustrália litántibus interfécti sunt.

4. Ravénnæ in Flamínia, sancti Exsuperántii, epíscopi, qui huius Ecclésiæ prudénter præfuit, quo témpore Odoácer rex Itália ac civitáte potítus est.

5. Medioláni in Ligúria, sancti Senatóris, epíscopi, quem adhuc presbýterum sanctus Leo papa Magnus legátum Constantinópolim míserat.

6*. Matiscóne in Burgúndia, sancti Gerárdi, qui, primum mónachus, deínde epíscopus eléctus, tandem in silva vitam exégit solitáriam.

7*. Pisis in Etrúria, sanctæ Bonæ, vírginis, quæ sǽpius in Terram Sanctam, Romam et Compostéllam pie peregrináta est.

8*. Avenionéti prope Tolósam in Gállia, beatórum Guliélmi Arnaud decémque sociórum,[3] qui, múnere coniúncti labi catharórum obstándi, pro fide Christi et obœdiéntia Ecclésiæ Románæ dolóse comprehénsi in nocte Ascensiónis Dómini gládiis occubuérunt, «Te Deum» una voce canéntes.

9*. Pisis in Etrúria, beátæ Gherardéscæ, víduæ, quæ in cella prope monastérium Camalduiénse Sancti Savíni vitam tradúxit láudibus et conversatióne Dómini.

10*. Eboráci in Anglia, beáti Richárdi Thirkeld, presbýteri et mártyris, qui, sub Elísabeth regína Prima cápite damnátus quod sacérdos esset atque multos Ecclésiæ cathólicæ reconciliavísset, patíbuli cruciátibus tráditus est.

[3] Quorum nomina: beati Bernardus de Roquefort, Garcia d'Aure, Stephanus de Saint-Thierry, Raymundus Carbonier; Raymundus de Cortisan cognomento Escriban, canonicus; Bernardus, Petrus d'Arnaud, Fortanerius et Ademarus, clerici; Prior Avenionetensis, cuius nomen ignoratur.

11*. In loco *Roma* in Basutolándia in Africa Austráli, beáti Ioséphi Gérard, presbýteri ex Oblátis Maríæ Immaculátæ, qui primum in província Natalénsi, dein præsértim pópulo Basutórum Christum indefésse nuntiávit.

12. Romæ, sanctæ Ursulæ (Iúliæ) Ledóchowska, vírginis, quæ Institútum Sorórum Ursulinárum a Corde Iesu Agonizántis fundávit et per Polóniam, Scandináviam, Fínniam et Rússiam laboriósis itinéribus se commísit.

Die 30 maii

Tértio Kaléndas iúnii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
22	23	24	25	26	27	27	28	29	30	1	2

1. Turri Lybisónis in Sardínia, sancti Gabíni, mártyris.

2. Cæsaréæ in Cappadócia, sanctórum Basilíi et Emméliæ, qui paréntes fuérunt sanctórum episcopórum Basilíi Magni, Gregórii Nysséni et Petri Sebasténsis atque sanctæ Macrínæ vírginis. Hi vero sancti cóniuges témpore Galérii Maximiáni imperatóris extórres facti Pónticas solitúdines incoluérunt et post persecutiónem, fíliis suárum virtútum herédibus relíctis, in pace quievérunt.

3. Pápiæ in Langobárdia, sancti Anastásii, epíscopi, qui, ariána hǽresi relícta, fírmiter cathólicam fidem proféssus est.

4. Ghelæ in Brabántia Austrásiæ, sanctæ Dýmpnæ, vírginis et mártyris.

5. Furæ in Brabántia Austrásiæ, tránsitus sancti Hubérti, epíscopi Tungrénsis et Traiecténsis ad Mosam, qui, sancti Lambérti discípulus et succéssor, in Evangélium vulgándum per Brabántiam et Arduénnam omni ope se cóntulit ibíque mores pagános expugnávit.

6. Híspali in Hispánia, sancti Ferdinándi Tértii, qui, Castéllæ et Legiónis rex, prudens in administrándo regno, ártium scientiarúmque cultor atque sédulus in fide propagánda.

7. Rothómagi in Normánnia Gálliæ, sanctæ Ioánnæ d'Arc, vírginis, puéllæ Aurelianénsis nuncupátæ, quæ, cum fórtiter pro pátria dimicásset, tandem in hóstium potestátem trádita iníquo iudício condemnáta est et igne cremáta.

8. Londínii in Anglia, sancti Lucæ Kirby, presbýteri et mártyris, qui in persecutióne Elísabeth regínæ Primæ multis post torméntis Tybúrni furcæ tríplici suspénsus est. Cum eo passi sunt in eódem patíbulo beáti presbýteri et mártyres Guliélmus Filby, Lauréntius Johnson, necnon Thomas Cottam, e Societáte Iesu.

9*. Ibídem, trigínta post annis, beatórum Guliélmi Scott, ex Ordine Sancti Benedícti, et Richárdi Newport, presbyterórum et mártyrum, quorum propter sacerdótium sub Iacóbo rege Primo prior láqueo strangulátus est, alter vero adhuc spirans ferro laniátus.

10. Kampálæ in Ugánda, sancti Matthíæ Kalemba, cognoménto Mulumba seu Fortis, mártyris, qui mahometánum cultum derelínquens post baptísmum in Christo offício iúdicis se abdicávit et fidem christiánam impénse diffúdit, quaprópter sub rege Mwanga supplíciis affèctus est et omni destitútus solácio spíritum Deo réddidit.

11. Savóne in Itália, tránsitus sancti Ioséphi Marello, epíscopi Aquénsis in Subalpínis, qui Congregatiónem Oblatórum Sancti Ioseph cóndidit curæ morális et christiánæ iúvenum disciplínæ déditam.

12*. In campo detentiónis *Buchenwald* in Thuríngia Germániæ regióne, pássio beáti Othónis Neururer, presbýteri et mártyris, qui, cum iúveni cathólicæ dissuasísset, ne matrimónii formam simuláret cum nefárii regíminis Deo hominibúsque inférnsi assectatóre quodam iam matrimónio iuncto, in cárcerem coniéctus est, ubi tamen inter omnímodas ærúmnas ministérium clam prosecútus esset, donec invérso cápite pédibus suspénsus martýrium complévit.

Die 31 maii

Prídie Kaléndas iúnii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
23	24	25	26	27	28	28	29	30	1	2	3

Festum Visitatiónis beátæ Maríæ Vírginis, cum ad cognátam suam Elísabeth venit fílio in senectúte grávidam eámque salutávit. Cum duæ futúræ matres illæ lætántes occúrrerent, Redémptor advéniens præcursórem suum adhuc in útero sanctificávit et María, salutatióni Elísabeth respóndens et in Spíritu exsúltans, cántico laudis magnificávit Dóminum.

2. Romæ in cœmetério Domitíllæ via Ardeatína, sanctæ Petroníllæ, vírginis et mártyris.

3. Apud Cománam in Ponto, sancti Hérmiæ mílitis, mártyris.

4. Aquiléiæ in Venétia, sanctórum Cántii, Cantiáni et Cantianíllæ, mártyrum, qui, a persecutóre comprehénsi a civitáte vehículo secedéntes, tandem ad pœnam perdúcti sunt.

5*. Tolósæ in Gállia Narbonénsi, sancti Sílvii, epíscopi, qui túmulum sancti Saturníni basílica adornáre cepit.

6*. Fori Lívii in Æmília, beáti Iacóbi Salomoni, presbýteri, qui adoléscens, patre defúncto et matre inter moniáles Cisterciénses suscépta, bona paupéribus distríbuit et, Ordinem Prædicatórum ampléxus, ibídem per quadragínta quinque annos charismátibus insígnibus dotátus amícus paupéribus et vir pacíficus refúlsit.

7*. Cameríni in Picéno Itáliæ, beátæ Baptístæ (Camíllæ) Varano, abbatíssæ monastérii Clarissárum a patre ipsíus fundáti, quæ magnas tribulatiónes necnon mýsticas consolatiónes expérta est.

8*. Eboráci in Anglia, beatórum mártyrum Robérti Thorpe, presbýteri, et Thomæ Watkinson, qui, sub Elísabeth regína Prima cápite

damnáti, prior quod sacérdos esset, alter vero, paterfamílias provéctæ ætátis, quod auxílium sacerdótibus sæpe suppeditavísset, simul corónam martýrii in patíbulo accepérunt.

9*. Parísiis in Gállia, beáti Nicolái Barré, presbýteri, qui, theológiæ magíster ac céleber præcéptor animárum in spíritu Evangélii, ubíque Gálliæ Scholas Christiánas et Caritátis, necnon Soróres Magístras a Iesu Infánte instítuit pro fíliis pópuli gratis erudiéndis.

10*. Hérbitæ in Sicília, beáti Felícis (Iacóbi) Amoroso, religiósi, qui, per decem annos recusátus, tandem Ordinem Fratrum Minórum Capuccinórum ingréssus est, ubi humíllima múnera simplicitáte et innocéntia cordis implévit.

11*. In vico *Bellegra* in pago Románo, beáti Mariáni de Roccacasale (Domínici) Di Nicolantonio, religiósi ex Ordine Fratrum Minórum, qui, ianitóris offícium adímplens, óstium convéntus apéruit paupéribus et peregrínis, quos summa cum caritáte omnímodo sustínuit.

12. In loco *Mityana* in Ugánda, sancti Noe Mawaggali, mártyris, qui, fámulus régius, persecutióne orta, fugam cápere impávidus recúsans sponte pectus mílitum lánceis óbtulit, quibus confóssus árbori quoque suspénsus est, donec pro Christo spíritum emísit.

IUNIUS

Die 1 iunii

Kaléndis iúnii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
24	25	26	27	28	29	29	30	1	2	3	4

Memória sancti Iustíni, mártyris, qui philósophus veram sapiéntiam in Christi veritáte ágnitam íntegre secútus est atque móribus asséruit, assértam dócuit, scriptis propugnávit, morte Romæ complévit sub Marco Aurélio Antoníno imperatóre. Cum enim Apológiam pro religióne christiána imperatóri porrexísset et coram Rústico præfécto tráditus se christiánum proféssus esset, cápite damnátus est.

2. Ibídem, sanctórum Charitónis et Charíti, Evelpísti et Ierácis, Pœónis et Liberiáni, mártyrum, qui, eiúsdem Iustíni discípuli, simul cum eo gloriósam accepérunt corónam.

3. Alexandríæ in Ægýpto, sanctórum mártyrum Ammónis, Zenónis, Ptolomǽi, Ingenis, mílitum, et Theóphili senis, qui, tribunálibus adstántes, cum quidam christiánus, in supplíciis pósitus, trepidáret et iam prope ad negándum declináret, vultu, óculis ac nútibus illum conabántur erígere. Cumque hac de causa clamor totíus pópuli in eos prosilíret, prorumpéntes in médium se christiános esse testáti sunt; per quorum victóriam Christus, qui suis eam ánimi constántiam déderat, gloriosíssime triumphávit.

4. Lycópoli item in Ægýpto, sanctórum mártyrum Ischyriónis, ductóris mílitum, et aliórum quinque mílitum, qui, Arriáno præfécto iubénte, sub Décio imperatóre pro Christi fide divérso mortis génere perémpti sunt.

5. Bonóniæ in Æmília, sancti Próculi, mártyris, qui pro christiána veritáte trabálibus clavis transfíxus est.

6. Apud Montem Falcum in Umbria, sancti Fortunáti, presbýteri, qui, ut fertur, assíduo labóre paupéribus pauper et ipse subvénit et vitam suam pro frátribus profúdit.

7. In ínsula Lirinénsi in Província, sancti Caprásii, solitárii, qui cum sancto Honoráto illuc secéssit et vitæ monásticæ inítium dedit.

8*. Arvérnæ in Aquitánia, sancti Flori, a quo nomen accépit monastérium super eius túmulum elevátum, necnon cívitas atque sedis episcopális.

9*. In Británnia Minóre, sancti Ronáni, epíscopi, qui ex Hibérnia transfretávit et per silvas vitam duxit eremíticam.

10*. In agro Licestriénsi in Anglia, sancti Wistáni, mártyris, qui, e régia Merciórum prosápia, cum incestuóso matris regéntis matrimónio obstitísset, tyránni gládio occísus est.

11. Tréviris in Rhenánia Lotharíngiæ, sancti Simeónis, qui, patre græco Syracúsis natus, cum eremíticam vitam apud Béthlehem et in monte Sina duxísset et longe peregrinátus esset, reclúsus demum in turri Nigræ Portæ civitátis óbiit.

12. In monastério Onniénsi in território Burgénsi in Castélla Hispániæ regióne, sancti Enecónis, abbátis, viri pacífici, quem mórtuum ipsi Iudǽi et Mauri deflevérunt.

13*. Albæ Pompéiæ in Subalpínis, beáti Theobáldi, qui, amóre paupertátis motus, totam remísit pecúniam víduæ cuídam et, báiulus efféctus humilitáte, ónera aliórum sústulit.

14*. Urbíni in Picéno Itáliæ, beáti Ioánnis Pelingotto, e Tértio Ordine Sancti Francísci, qui, mercátor, álios magis quam se locupletábat et reclúsus cellam tantum deserébat, ut páuperes et ægrótos adiuváret.

15*. Londínii in Anglia, beáti Ioánnis Storey, mártyris, qui, iurisperítus, Románo Pontífici fidelíssimus, post cárceres et exsílium propter cathólicam fidem cápite damnátus, Tybúrni per suspéndii cruciátus ad gáudia ætérna transívit.

16*. Omúræ in Iapónia, beatórum mártyrum Alphónsi Navarrete, ex Ordine Prædicatórum, Ferdinándi a Sancto Ioseph de Ayala, ex Ordine Eremitárum Sancti Augustíni, presbyterórum, et Leónis Tanaka, religiósi e Societáte Iesu, qui in ódium fídei christiánæ ex edícto suprémi ducis Hidetada simul decolláti sunt.

17*. In navi servitútis ad áncoram ante portum Rupifórtii in Gállia deligáta, beáti Ioánnis Baptístæ Vernoy de Montjournal, presbýteri et mártyris, qui, canónicus Molinénsis, tempóribus gállicæ perturbatiónis propter sacerdótium ad víncula navália damnátus, tábido morbo conféctus óbiit.

18. In urbe *Hưng Yên* in Tunquíno, sancti Ioséphi Túc, mártyris, qui, iúvenis agrícola, cum crucem calcáre recusásset, plúries in custódia cónditus et cruciátus est, dein sub imperatóre Tự Đức cápite truncátus.

19*. Placéntiæ in Itália, beáti Ioánnis Baptístæ Scalabrini, epíscopi, qui Ecclésiæ huius multímodis óperam navávit, sedulitáte conspícuus erga sacerdótes, agrícolas et operários, sed máxime curam adhíbuit pro migrántibus in Américæ civitátes, pro quibus Pias Societátes a Sacro Corde cóndidit.

20. Messánæ in Sicília Itáliæ, sancti Hannníbalis Maríæ Di Francia, presbýteri, qui Congregatiónes fundávit Rogationistárum a Corde Iesu et Filiárum a Divíno Zelo, ad rogándum Dóminum, ut Ecclésiam suam sanctis sacerdótibus uberáret, et magnam curam in órphanos consúmens manus Dei misericórdes exténdit ad ínopes.

Die 2 iunii

Quarto Nonas iúnii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
25	26	27	28	29	1	30	1	2	3	4	5

Sanctórum mártyrum Marcellíni, presbýteri, et Petri, exorcístæ, qui, ut sanctus Dámasus papa refert, persecutióne Diocletiáni imperatóris sæviénte, cápite damnáti ad locum supplícii in médiis séntibus ducti sunt et, ut córpora ómnibus occúlta manérent, suis ipsis mánibus sibi sepúlcrum fódere iussi sunt, sed pia fémina Lucílla Romæ via Labicána in cœmetério ad Duas Lauros sancta eórum membra compósuit.

2. Lugdúni in Gállia, sanctórum mártyrum Pothíni, epíscopi, et Blandínæ cum quadragínta et sex sóciis,[1] quorum fórtia et iteráta certámina, témpore Marci Aurélii imperatóris, Ecclésiæ Lugdunénsis epístula ad Ecclésias Asiæ et Phrýgiæ scripta recénset. In his Pothínus epíscopus nonagenárius, in cárcerem proféctus, paulo post spíritum réddidit; álii páriter in cárcere occubuérunt, álii vero ante innúmera mília hóminum ad spectáculum congregatórum in médio arénæ statúti: qui cives románi repérti essent, cápite plectebántur, céteri vero béstiis tradebántur. Novíssime Blandína, in diuturnióra et acerbióra certámina data, gládio dénique iguláta, quos ad palmam hortabátur, céteros secúta est.

3. Fórmiis in Campánia, sancti Erásmi, epíscopi et mártyris.

4. Romæ apud sanctum Petrum, sancti Eugénii papæ Primi, qui sancto Martíno mártyri succéssit.

[1] Quorum nomina: sancti Zacharias presbyter, Vetius Epagatus, Macarius, Asclibiades, Silvius, Primus, Ulpius, Vitalis, Comminus, October, Philomenus, Geminus, Iulia, Albina, Grata, Æmilia, Potamia, Pompeia, Rodana, Biblis, Quartia, Materna, Helpis, Sanctus diaconus, Maturus neophytus, Attalus pergamenus, Alexander phrygius, Ponticus, Istus, Aristeus, Cornelius, Zosimus, Titus, Iulius, Zoticus, Apollonius, Geminianus, Iulia altera, Ausona, Æmilia altera, Iamnica, Pompeia altera, Domna, Iusta, Trophima, Antonia.

5. Apud Bósphorum in Propóntide, tránsitus sancti Nicéphori, epíscopi Constantinopolitáni, qui, paternárum traditiónum propugnátor acérrimus, pro cultu sacrárum Imáginum Leóni Arméno imperatóri iconoclástæ constánter se oppósuit; a quo sede pulsus et in monastério diu relegátus, æquo ánimo ad Dóminum migrávit.

6*. Aquis Statiéllis in Subalpínis, sancti Guidónis, epíscopi.

7. Trani in Apúlia, sancti Nicolái, qui, peregrínus, e Græcia ortus regiónem percurrébat crucem manu gerens et sine intermissióne orans: « Kýrie eléison ».

8*. Sandomírii ad Vístulam flumen in Polónia, beatórum mártyrum Sadóchi, presbýteri, et sociórum ex Ordine Prædicatórum, qui, ut fertur, a Tártaris necáti sunt, dum antíphonam canébant « Salve Regína », ipsam Matrem Vitæ in extrémis salutántes.

9. In urbe *Âu Thi* in Tunquíno, sancti Domínici Ninh, mártyris, qui, iúvenis agrícola, cum crucem Salvatóris obtérere noluísset, cervícibus abscíssis sub Tự Đức imperatóre passus est.

Die 3 iunii

Tértio Nonas iúnii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
7	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
26	**27**	**28**	**29**	**1**	**2**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**

Memória sanctórum Cároli Lwanga et duódecim sociórum,[2] qui inter quattuórdecim et trigínta annos nati, vel ex régia puerórum nobílium cohórte vel ipsíus regis Mwanga custódiæ addícti, neóphyti et fídei cathólicæ strénue adhæréntes, cum impudícis desidériis regis indulgére noluíssent, in colle *Namugongo* in Ugánda partim gládio necáti, partim igne cremáti sunt.

[2] Quorum nomina: sancti Mbaya Tuzinde, Bruno Seronuma, Iacobus Buzabaliao, Kizito, Ambrosius Kibuka, Mgagga, Gyavira, Achilles Kiwanuka, Adolphus Ludigo Mkasa, Mukasa Kiriwanvu, Anatolius Kiriggwajjo, Lucas Banabakintu.

2. Carthágine, sancti Cæcílii, presbýteri, qui sanctum Cypriánum ad Christi fidem perdúxit.

3*. Carcassóne in Gállia Narbonénsi, sancti Hilárii, qui primus huius civitátis epíscopus habétur, quo témpore Gothi ariánam hǽresim in hac regióne diffundébant.

4. Turónis in Gállia Lugdunénsi, sanctæ Clotíldis regínæ, cuius précibus coniunx eius Clodovéus, rex Francórum, Christi fidem suscépit; ipsa post eius mortem ad basílicam Sancti Martíni sese pie recépit, ut iam non putarétur regína, sed própria Dei ancílla.

5. Magdúni ad Lígerim in território Aurelianénsi item Gálliæ, sancti Lifárdi, presbýteri, qui ibídem solitáriam duxit vitam.

6. Anágniæ in Campánia, sanctæ Olívæ, vírginis.

7*. Glendaláci in Hibérnia, sancti Coemgéni, abbátis, qui monastérium fundávit, in quo multórum monachórum pater et dux fuísse tráditur.

8*. Arvérnæ in Aquitánia, sancti Genésii, epíscopi Claromontáni, qui Magnilóci in ecclésia monastérii ab ipso cum hospítio cónditi depósitus est.

9. Córdubæ in Vandalícia Hispániæ regióne, sancti Isaac, mártyris, qui, mónachus, sub Maurórum potestáte, non humáno sed divíno impúlsu commótus, e Tabanénsi cœnóbio in forum descéndens iúdicem ádiit, ut cum eo de vera religióne decertáret, unde cápite damnátus est.

10. Lucæ in Etrúria, sancti Davíni, qui, arménus génere, vénditis ómnibus bonis, peregrínus pro Christo fuísse et, cum loca sancta et límina Apostolórum visitásset, morbo corréptus obiísse fertur.

11*. In vico *Altkirch* in pago Basileénsi Helvetiórum, sancti Morándi, mónachi, qui, in Rhenánia ortus, iam présbyter ad Compostéllam perréxit et illinc rédiens Cluníaci mónachus factus est et monastérium cóndidit, ubi cursum laboriósæ vitæ complévit.

12*. Hispélli in Umbria, beáti Andréæ Caccioli, qui, primus présbyter inter Fratres Minóres adnumerátus, hábitum Ordinis e sancti Francísci mánibus suscépit eíque moriénti ádstitit.

13*. In cœnóbio Sanctæ Maríæ de Cadóssa in Lucánia, sancti Coni, mónachi, qui monástica conversatióne et innocéntia vitæ, consummátus in brevi, ad virtútum cúlmina, Deo protegénte, pervénit.

14*. Eborácì in Anglia, beáti Francísci Ingleby, presbýteri et mártyris, qui, alúmnus Collégii Anglórum Reménsis, sub Elísabeth regína Prima propter sacerdótium in pátria exércitum ad patíbuli supplícia ductus est.

15. Xerítii in Vandalícia Hispániæ regióne, sancti Ioánnis Grande, religiósi ex Ordine Sancti Ioánnis a Deo, qui, caritáte erga captívos, derelíctos et reiéctos ab ómnibus insígnis, in pestiléntia vexátis curándis ipse inféctus óbiit.

16*. In salo apud Rupifórtium in Gállia, beáti Cároli Renáti Collas du Bignon, presbýteri e Societáte a Sancto Sulpítio et mártyris, qui, rector Seminárii Minóris Bituricénsis, gállica perturbatióne sæviénte, propter sacerdótium in navem servitútis inclúsus et plagis verminósis inféctus occúbuit.

17. In urbe *Âu Thi* in Tunquíno, sancti mártyris Petri Đông, qui, paterfamílias, cruciátus immánes subíre máluit quam crucem proculcáre et, cum in fácie sua loco verbórum «falsa relígio» illa «vera relígio» incidénda curásset, decollátus est sub imperatóre Tự Đức.

18*. In vico *Bellegra* in pago Románo, beáti Dídaci (Ioséphi) Oddi, religiósi ex Ordine Fratrum Minórum, oratióne et simplicitáte vitæ exímii.

19*. Romæ, beáti Ioánnis papæ Vigésimi Tértii, qui vita et opéribus, singulári humanitáte imbútus, summo pastoráli zelo abundántiam christiánæ caritátis in omnes effúndere stúduit ac fratérnam populórum uniónem excólere et, de pastoráli Ecclésiæ Christi efficacitáte in univérso orbe terrárum præcípue sollícitus, Concílium Œcuménicum Vaticánum Secúndum convocávit.

Die 4 iunii

Prídie Nonas iúnii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
27	28	29	1	2	3	2	3	4	5	6	7

1. Sabáriæ in Pannónia, pássio sancti Quiríni, epíscopi Sisciacénsis in Illýrico et mártyris, qui sub Galério imperatóre pro Christi fide, molári ad collum religáto, in flumen præcipitátus est.

2. Constantinópoli, sancti Metróphanis, epíscopi Byzantíni, qui Novam Romam Dómino consecrávit.

3. Milévi in Numídia, commemorátio sancti Optáti, epíscopi, qui universalitátem Ecclésiæ et necessáriam íntimam christifidélium unitátem scriptis suis de donatistárum insánia enarrávit.

4*. In Cornúbia, sancti Petróci Cambriénsis, abbátis.

5*. Serviliáni in Picéno Itáliæ, sancti Gualtérii, abbátis monastérii huius loci.

6*. In ínsula Sardínia, sanctórum Nicolái et Trani, eremitárum.

7*. Sáccere in Sardínia, beáti Pacífici Ramati, presbýteri ex Ordine Minórum, qui pro christianórum defensióne prædicans ad Dóminum migrávit.

8. Agnóne in Aprútio, sancti Francísci Caracciolo, presbýteri, qui Congregatiónem Clericórum Regulárium Minórum fundávit mira in Deum et próximum caritáte succénsus.

9*. Lýciæ in Apúlia, beáti Philíppi Smaldone, presbýteri, qui fervénti stúdio ad surdórum ac cæcórum indigéntium curam eorúmque humánam et christiánam institutiónem se dedit et Congregatiónem Sorórum Salesianárum a Sacris Córdibus fundávit.

10*. Prope Monáchium Baváriæ in Germánia, beatórum Antónii Zawistowski, presbýteri, et Stanislái Starowieyski, mártyrum, qui, bello furénte, intra castra detentiónis Dachávi atróces cruciátus pro Christo perpéssi de terréna vita decessérunt.

Die 5 iunii

Nonis iúnii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
28	29	1	2	3	4	3	4	5	6	7	8

Memória sancti Bonifátii, epíscopi et mártyris. Cum mónachus esset, nómine Winfrídus, ex Anglia Romam advéctus a sancto Gregório papa Secúndo epíscopus ordinátus est et, nómine Bonifátio sumpto, in Germániam missus, ut Christi fidem illis géntibus nuntiáret, ingéntes turmas christiánæ religióni lucrátus est et Moguntínam rexit sedem; novíssime Docci apud Frísios, a furéntibus gentílibus gládio perémptus, martýrium consummávit.

2. In Ægýpto, sanctórum Marciáni, Nicándri, Apollónii et sociórum, mártyrum, qui, ut fertur, propter fídei christiánæ confessiónem, post magnos cruciátus, muro conclúsi et soli ardénti expósiti æstu, siti et fame extermináti sunt.

3. Tyri in Phœnícia, sancti Dorothéi, epíscopi, qui, cum adhuc présbyter esset, sub Diocletiáno imperatóre multa passus est et, usque ad Iuliáni témpora supérstes, sub eo, annum agens séptimum supra centésimum, venerándam senectútem in Thrácia martýrio honestavísse fertur.

4. Arvérnæ in Aquitánia, sancti Illídii, epíscopi, qui, ab imperatóre Tréviros vocátus, ut fíliam a spíritu immúndo liberáret, cum redíret, ad Dóminum migrávit.

5*. Comi in Ligúria, sancti Eutýchii, epíscopi, oratióne et solitúdinis cum Deo amóre insígnis.

6. Docci apud Frísios, sanctórum Eobáni, epíscopi, Adelárii et novem sociórum,[3] mártyrum, qui cum sancto Bonifátio eódem eius glorióso agóne coronáti sunt.

7. Córdubæ in Vandalícia Hispániæ regióne, beáti Sáncii, mártyris, qui adoléscens, ex Albigénsi óppido comprehénsus et in aula régia instrúctus, in persecutióne Maurórum martýrium pro Christi fide pati non dubitávit.

8*. Prope Assércum in Vestínis, sancti Franci, eremítæ, qui, cellam artam sub rúpibus in spelúnca constrúxit, ibíque ásperam et ténuem duxit vitam.

9*. Ciáni prope Milétum in Calábria, sancti Petri Spanò, eremítæ, paupertáte et compunctióne clári.

10. Hanóii in Tunquíno, sancti Lucæ Vũ Bá Loan, presbýteri et mártyris, sub imperatóre Minh Mạng pro Christo decolláti.

11. In urbe *Tang Gia* item in Tunquíno, sanctórum Domínici Toại et Domínici Huyên, mártyrum, qui, patresfamílias et piscatóres, sub imperatóre Tự Đức, etsi in diútina custódia váriis torméntis excruciáti, omni ánimo tamen sócios cárceris cohortáti sunt, ut fidem servárent, et tandem flammis martýrium consummárunt.

Die 6 iunii

Octávo Idus iúnii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
29	1	2	3	4	5	4	5	6	7	8	9

Sancti Norbérti, epíscopi, qui, móribus austérus atque totus unióni cum Deo et Evangélii prædicatióni déditus, prope Laudúnum in Gállia Canonicórum Regulárium Ordinem Præ-

[3] Quorum nomina: sancti Vintrungus et Gualterius, presbyteri; Amundus, Sevibaldus et Bosa, diaconi; Vaccarus, Gundecarus, Ellurus et Atevulfus, monachi.

monstraténsem instítuit et, Magdebúrgi in Saxónia pastor exímius efféctus, vitam christiánam reformávit et fidem diffúndere ad vicínas gentes stúduit.

2. Romæ via Aurélia miliário secúndo, sanctórum Artémii et Paulínæ, mártyrum.

3. Scetis in Ægýpto, sancti Bessariónis, anachorétæ, qui pro Dei amóre mendícus et peregrínus éxstitit.

4*. Gratianópoli in Burgúndia, sancti Cerátii, epíscopi, qui sancto Leóni papæ Magno pro lítteris ad Flaviánum scriptis grátias persólvit et gregem suum ab hǽresi incólumem servávit.

5. Medioláni in Ligúria, sancti Eustórgii Secúndi, epíscopi, qui, pietáte, iustítia et pastóris virtútibus clarus, insígne baptistérium ædificávit.

6*. In Hibérnia, sancti Iarláthi, epíscopi.

7. In monte Iura, sancti Cláudii, qui epíscopus et abbas monastérii Condatiscénsis créditur fuísse.

8. In agro Bononiénsi in Æmília, tránsitus sancti Alexándri, epíscopi Fæsuláni, qui, rédiens e civitáte Pápia, ubi Ecclésiæ suæ bona apud Langobardórum regem ab usurpatóribus vindicáverat, ab his in flúvium deiéctus est et aquis præfocátus.

9. Constantinópoli, sancti Hilariónis, presbýteri et hegúmeni monastérii Dalmátii nuncupáti, qui ob sacrárum Imáginum cultum cárcerem, flagellatiónes et exsílium invícte passus est.

10*. In ínsulis Orcádibus ad Scótiam respiciéntibus, sancti Colmáni, epíscopi.

11*. In monastério Cavénsi in Campánia, beáti Falcónis, abbátis.

12*. Arvérnæ in Aquitánia, sancti Gilbérti, abbátis ex Ordine Præmonstraténsi, qui, primum eremíta, dein Novemfontánis monastérium et nosocomíum exstrúxit.

13*. Utini in Venétia, beáti Bertrándi, epíscopi Aquileiénsis et mártyris, qui cleri institutióni sédulo provídit, páuperes témpore famis suo sumptu nutrívit, iura Ecclésiæ suæ strénue defféndit et nonagenárius sicariórum íctibus vulnerátus óbiit.

14*. Ortónæ in Aprútio, beáti Lauréntii de Villamágna de Másculis, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum, verbi Dei prædicatióne illústris.

15*. Londínii in Anglia, beáti Guliélmi Greenwood, mártyris, e Cartúsia huius civitátis, qui ob tenácem fidelitátem Ecclésiæ servátam sub Henríco rege Octávo cárceris squalóre, fame et morbo conféctus martýrium complévit.

16. Apud civitátem Sancti Annemúndi in pago Gálliæ Lugdunénsi, sancti Marcellíni Champagnat, presbýteri e Societáte Maríæ, qui Institútum Parvulórum Fratrum Maríæ pro púeris christiáne instituéndis fundávit.

17. In urbe *Lương Mỹ* in Tunquíno, sanctórum mártyrum Petri Dũng et Petri Thuần, piscatórum, atque Vincéntii Đương, agrícolæ, qui, cum crucem obtérere perseveránter renuíssent, ad ignem damnáti sunt, sub imperatóre Tự Đức.

18*. Mexicópoli, tránsitus beáti Raphaélis Guízar Valencia, epíscopi Veræ Crucis in México, qui témpore persecutiónis exsul vel clandestínus munus episcopále strénue exércuit.

19*. Sachsenhúsæ in Germánia, beáti Innocéntii Guz, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum Conventuálium et mártyris, qui, polónus génere, pátria more militári a sectatóribus opiniónum hóminum et religiónis adversárum invása, a vigílibus castrórum detentiónis ob Christi fidem trucidátus est.

Die 7 iunii

Séptimo Idibus iúnii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
11	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
1	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**

1*. In Hibérnia, sancti Colmáni, epíscopi et abbátis Dromorénsis monastérii ab ipso cónditi, qui in agro Dunénsi mire pro Christo laborávit.

2. Córdubæ in Vandalícia Hispániæ regióne, sanctórum mártyrum Petri, presbýteri, Wallabónsi, diáconi, Sabiniáni, Wistremúndi, Habéntii et Ieremíæ, monachórum, qui pro Christo in persecutióne Maurórum iuguláti sunt.

3. Novi Monastérii in Northúmbria Angliæ, sancti Robérti, abbátis, ex Ordine Cisterciénsi, qui paupertátis ac oratiónis studiósus cum duódecim mónachis hoc cœnóbium fundávit, ex quo brevi témpore tria profudérunt monachórum exámina.

4*. Antvérpiæ in Brabántia, beátæ Annæ a Sancto Bartholomǽo, vírginis ex Ordine Carmelitárum Discalceatárum, quæ, discípula et scriba sanctæ Terésiæ a Iesu atque mýsticis donis prǽdita, in Gállia Ordinem diffúdit et assídue renovávit.

5. Placéntiæ in Æmília, tránsitus sancti Antónii Províæ Gianelli, epíscopi Bobiénsis, qui Congregatiónem Filiárum Maríæ Sanctíssimæ ab Horto fundávit et in indigéntibus animarúmque salúti consuléndo atque in cleri sanctitáte promovénda navitáte et ínclito prælúxit exémplo.

6*. Parísiis in Gállia, beátæ Maríæ Terésiæ de Soubiran La Louvière, vírginis, quæ ad maiórem Dei glóriam Societátem Maríæ Auxiliatrícis fundávit, e qua pulsa, in summa humilitáte réliquam vitam egit.

Die 8 iunii

Sexto Idus iúnii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
2	3	4	5	6	7	6	7	8	9	10	11

1. Aquis Séxtiis in Província Gálliæ, sancti Maximíni, cui fídei christiánæ exórdia in hac civitáte ascribúntur.

2. Rothómagi item in Gállia, sancti Gildárdi, epíscopi.

3. Suessióne item in Gállia, sancti Medárdi, epíscopi Veromanduórum, qui ex horum civitáte evérsa cáthedram suam Noviónum óppidum tránstulit, unde omnem curam egit de pópulo a pagánis superstitiónibus ad Christi doctrínam converténdo.

4*. Fani in Picéno Itáliæ, sancti Fortunáti, epíscopi, in rediméndis captívis assídui.

5. Metis in Austrásia, sancti Clodúlphi, epíscopi, sancti Arnúlphi fílii et regis consiliárii.

6. Eborácí in Anglia, sancti Guliélmi Fitzherbert, epíscopi, qui, vir amábilis ac mansuétus, a sede iniúste depósitus, inter Vintoniénses mónachos se recépit et, in sedem restitútus, inimícis ignóvit et pacem inter cives conciliávit.

7*. Londínii item in Anglia, beáti Ioánnis Davy, diáconi e Cartúsia huius civitátis et mártyris, qui, sub Henríco rege Octávo propter fidelitátem Ecclésiæ et Románo Pontífici servátam dire in cárcere excruciátus, ibídem fame conféctus óbiit.

8*. Ambiátibe in Madagascária, beáti Iacóbi Berthieu, presbýteri e Societáte Iesu et mártyris, qui pace bellóque pro Evangélio impénse molítus est et, ter e missiónibus pulsus, tandem in ódium fídei cálcibus petítus et plúries ad apostásiam frustra vocátus interémptus est.

9*. Portu Calénsi in Lusitánia, beátæ Maríæ a Divíno Corde Iesu Droste zu Vischering, vírginis, e Congregatióne Sorórum a Caritáte Boni Pastóris, quæ devotiónem erga Sacratíssimum Cor Iesu mire promóvit.

10*. In vico *Kuzhikkattussery* in Kérala Indiæ dicióne, beátæ Maríæ Terésiæ Chiramel Mankidiyan, vírginis, quæ, eremítica conversatióne et pæniténtiæ austeritáte exímia, in paupérrimis et derelictíssimis ómnium Christum quæsívit et Congregatiónem Sorórum a Sacráta Família fundávit.

11*. Cálari in Sardínia, beáti Nicolái de Gesturi (Ioánnis) Medda, religiósi ex Ordine Fratrum Minórum Capuccinórum, qui, semper in auxílium egenórum parátus, multos in caritátem erga páuperes iúgiter virtútis et benignitátis exémplo incitávit.

Die 9 iunii

Quinto Idus iúnii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
13	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**1**	**2**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
3	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**

Sancti Ephræm, diáconi et Ecclésiæ doctóris, qui primum Nísibi in pátria sua munus prædicándi et sacram doctrínam tradéndi exércuit, deínde, cum Persæ Nísiben invasíssent, Edéssæ in Osrhoéne, quo cum discípulis confúgerat, fundaménta pósuit scholæ theológicæ, verbis ac scriptis ministérium suum adímplens atque austeritáte vitæ et doctrína ádeo conspícuus, ut ob exquisítos hymnos compósitos cíthara Spíritus Sancti mererétur appellári.

2. Via Nomentána ad Arcas miliário décimo quinto ab urbe Roma, sanctórum Primi et Feliciáni, mártyrum.

3. Nicǽæ in Bithýnia, sancti Diomédis, mártyris.

4. Verneméti in pago Agennénsi Aquitániæ, sancti Vincéntii, mártyris, qui, dum íncolæ in honórem solis festum agébant, pro Christi nómine agónem consummásse dícitur.

5. Syracúsis in Sicília, sancti Maximiáni, epíscopi, cuius sanctus Gregórius papa Magnus sæpius méminit.

6. In Hiénsi Scótiæ ínsula, sancti Colúmbæ seu Colum Cille, presbýteri et abbátis, qui, in Hibérnia natus et præcéptis monásticis instrúctus, ibídem tandémque in Hia monastéria cóndidit conversatiónis disciplína et litterárum cultu insígnia, donec senéctute conféctus, suprémo diéi præstólans, ante altáre in Dómino quiévit.

7. Andriæ in Apúlia, sancti Richárdi, epíscopi, angli natióne et virtúte célebris, qui sanctórum Erásmi et Pontiáni relíquias devóte suscépit.

8*. Londínii in Anglia, beáti Robérti Salt, mártyris, mónachi e Cartúsia huius civitátis, qui, ob fidelitátem erga Ecclésiam contra Henrícum regem Octávum fírmiter servátam, in cárcere Neopórtus deténtus fame occúbuit.

9*. Reritíbæ in Brasília, beáti Ioséphi Anchieta, presbýteri e Societáte Iesu, qui, in ínsulis Canariénsibus natus, per fere totum vitæ cursum in Brasília missionálibus opéribus impénse ac fructuóse se trádidit.

10*. Ad oram marítimam ante Rupifórtium in Gállia, beáti Ioséphi Imbert, presbýteri et mártyris, qui, iam e Societáte Iesu, témpore gállicæ perturbatiónis, a Pio papa Sexto vicárius apostólicus Molinénsis factus, in ódium Ecclésiæ in navem servitútis coniéctus est, ubi mortáli contagióne inféctus óbiit.

11*. Romæ, beátæ Annæ Maríæ Taigi, matrisfamílias, quæ, a violénto cóniuge oppréssa, eiúsdem curæ ac septem liberórum educatióni inténta permánsit, nulla umquam prætermíssa spirituáli ac materiáli sollicitúdine páuperum et ægrotórum.

Die 10 iunii

Quarto Idus iúnii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
4	5	6	7	8	9	8	9	10	11	12	13

1. Autissiodóri in Gállia Lugdunénsi, sancti Censúrii, epíscopi.

2*. Parísiis in Néustria, sancti Landeríci, epíscopi, qui paupéribus sublevándis témpore famis sacram suppelléctilem alienásse et iuxta ecclésiam cathedrálem nosocomíum ædificásse tráditur.

3*. Roffæ in Anglia, sancti Ithamári, epíscopi, qui, primus e gente Cantuariórum ad órdinem episcopálem vocátus, vitæ dignitáte et eruditióne emícuit.

4*. Dobróviæ in Polónia, natális sancti Bogumíli, epíscopi Gnesnénsis, qui, sede abdicáta, ibídem vitam eremíticam duxit, austeritátibus consúmptus.

5*. Bonóniæ in Æmília, beátæ Diánæ de Andaló, vírginis, quæ, ómnibus impediméntis famíliæ remótis, in mánibus ipsíus sancti Domínici propósitum vitæ claustrális vovit et monastérium Sanctæ Agnétis ádiit ab ipsa fundátum.

6*. Tarvísii in Venétia, beáti Henríci de Bauzáno, qui lignárius et illitterátus ómnia paupéribus erogábat et, licet víribus deficiéntibus, stipem tamen precáriam emendicábat, quam cum mendícis partiebátur.

7*. Budæ in Hungária, tránsitus beáti Ioánnis Domínici, epíscopi Ragusíni, qui, post pestem nigram, in convéntibus Prædicatórum in Itália observántiam regulárem instaurávit et in Bohémiam et Hungáriam missus, ut Ioánnis Hus prædicatióni obstáret, ibídem óbiit.

8*. Londínii in Anglia, beatórum mártyrum Thomæ Green, presbýteri, et Gualtérii Pierson, mónachi e Cartúsia huius civitátis, qui, Henríco rege Octávo supréma iura in rebus ecclesiásticis sibi affec-

tánte, cum ei obstitíssent, in squálido cárcere circumclúsi, fame et morbo corrépti, gloriósi tamen obiérunt.

9*. Augústæ Taurinórum in Itália, beáti Marci Antónii Durando, presbýteri e Congregatióne Missiónum, qui Congregatiónem Sorórum Iesu Nazaréni fundávit pro ægrótis iuvenibúsque derelíctis assidéndo.

10*. In civitáte *Moerzeke-lez-Termonde* prope Gandávum in Bélgio, beáti Eduárdi Poppe, presbýteri, qui in angústiis témporis sui scriptis ac prædicatióne christiánam institutiónem et devotiónem erga Eucharístiam per Flándriam propagávit.

Die 11 iunii

Tértio Idus iúnii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
5	6	7	8	9	10	9	10	11	12	13	14

Memória sancti Bárnabæ, Apóstoli, qui vir bonus et plenus Spíritu Sancto et fide, inter primos fidéles Hierosólymæ annumerátus, Antiochíæ Evangélium prædicávit et Saulum Tarsénsem vix convérsum ad fratrum númerum introdúxit atque in primo illíus itínere ad Asiam evangelizándam comitátus est; Concílio Hierosolymitáno porro intérfuit et in ínsulam Cyprum, pátriam suam, revérsus Evangélium diffúdit.

2. Neápoli in Campánia, sancti Máximi, epíscopi, qui ob fidem nicǽnam a Constántio imperatóre in exsílium pulsus est ibíque ærúmnis consúmptus fídei conféssor occúbuit.

3. Bremæ in Saxónia, sancti Rembérti, epíscopi Hamburgénsis ac simul Breménsis, qui, sancti Ansgárii fidélis discípulus et succéssor, ministérium suum ad fines Dániæ et Suéciæ dilatávit et, témpore Normannórum irruptiónum, de christiánis captívis rediméndis curávit.

4*. Mogúntiæ in Francónia Germániæ, beáti Bardónis, epíscopi, qui, primum abbas Heresfeldénsis, ad órdinem episcopálem evéctus Ecclésiam indeféssa pastoráli sollicitúdine egrégie curávit.

5*. In monastério Cámeræ prope Bruxéllas in Brabántia, sanctæ Aleÿdis, vírginis ex Ordine Cisterciénsi, quæ, vigínti duos annos nata, lepra affécta, vitam reclúsam gérere coácta est atque, últimis vitæ annis óculis étiam capta, ne membrum quidem ei sanum permánserat, præter linguam ad Dei laudes canéndas.

6. Tarvísii in Venétia, sancti Parísii, presbýteri ex Ordine Camaldulénsi, qui septuagínta septem annos moniáles salutáribus consíliis iuvit in spiritálibus et octávo anno ultra centenárium óbiit.

7*. Apud Gnesnam in Polónia, beátæ Ioléntæ, abbatíssæ, quæ, post viri Boleslái Pii ducis óbitum, terrénis ópibus abdicátis, monásticam vitam cum fília in Ordine Sanctæ Claræ proféssa est.

8*. Salútiis in Subalpínis, beáti Stéphani Bandelli, presbýteri ex Ordine Prædicatórum, egrégii prædicatióne et in confessiónibus audiéndis assídui.

9. Salmánticæ in Hispánia, sancti Ioánnis a Sancto Facúndo González de Castrillo, presbýteri ex Ordine Eremitárum Sancti Augustíni, qui concórdiam inter cives cruéntis factiónibus exagitátos privátis collóquiis ac vitæ sanctitáte restítuit.

10. Dertósæ in Hispánia, sanctæ Rosæ Francíscæ Maríæ a Dolóribus (Maríæ Rosæ) Molas Vallvé, vírginis, quæ piárum mulíerum sodalícium in Congregatiónem Sorórum Dóminæ Nostræ a Consolatióne vertit afflictórum servítio addíctam.

11. Romæ, sanctæ Paulæ Frassinetti, vírginis, quæ, multis victis initiórum discrimínibus, Congregatiónem Sorórum a Sancta Dorothéa fundávit ad puéllas christiáne erudiéndas et forti ánimo summáque cum conveniéntia suavitátis ac ímpetus óperi suo insístens.

12*. Ragúsæ in Sicília, beátæ Maríæ Schininá, vírginis, quæ húmilis et simplex vívere elégit ad curándos infírmos, derelíctos et páuperes atque Soróres a Sacro Corde Iesu instítuit, ut omni géneri misériæ auxílium præstárent.

13*. In vico *Kara-Kenpru* prope Amídam in Túrcia, beáti Ignátii Maloyan, epíscopi Mardinénsis Armenórum et mártyris in genocídio christianórum illíus regiónis a persecutóribus fídei patráto, qui, cum aliénam religiónem amplécti renuísset, consecráto pane pro spiritáli refectióne concaptivórum, innúmeris cum christifidélibus plumbis transfóssus, effúso sánguine ad perpétuæ pacis fructum pervénit.

Die 12 iunii

Prídie Idus iúnii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
16	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
6	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**

1. Lórii via Aurélia miliário duodécimo ab Urbe, sancti Basílidis, mártyris.

2. In Ægýpto, sancti Onúphrii, anachorétæ, qui in vasta erémo sexagínta annos vitam religióse perégit.

3. Romæ apud sanctum Petrum, sancti Leónis papæ Tértii, qui Cárolo Magno, Francórum regi, corónam románi Impérii cóntulit et rectæ fídei seu divínæ dignitáti Fílii Dei defendéndæ summópere dedit óperam.

4*. Ultraiécti in Géldria Lotharíngiæ, sancti Odúlphi, presbýteri, qui Frísios evangelizávit.

5*. In Suécia, sancti Eskílli, epíscopi et mártyris, qui, génere anglus, a sancto Sigfrído magístro suo epíscopus ordinátus, in Sudermánnia província multis labóribus pro Christo apud pagános impénse se trádidit, a quibus vero lapidátus est.

6*. Cortónæ in Etrúria, beáti Guidónis, presbýteri, qui, discípulus sancti Francísci, vitam duxit in ieiúniis, paupertáte et humilitáte.

7*. Prope Ocram in Aprútio, beáti Plácidi, abbátis, qui primum eremíta in spelúnca, dein in monastério Sancti Spíritus discípulos congregávit.

8*. Tiférni Tiberíni in Umbria, beátæ Flóridæ (Lucrétiæ Hélenæ) Cevoli, vírginis ex Ordine Clarissárum, quæ, etsi córpore plagis afffécta, munéribus ipsi commíssis indústria et álacris functa est.

9. Verónæ in Venétia, sancti Gásparis Bertóni, presbýteri, qui Congregatiónem a Sacris Stigmátibus Dómini nostri Iesu Christi instítuit, cuius sodáles missionárii in obséquium episcopórum fíerent.

10*. Capránicæ in agro Viterbiénsi prope Romam, beáti Lauréntii Maríæ a Sancto Francísco Xavério Salvi, presbýteri e Congregatióne Passiónis, qui erga Iesum infántem devotiónem dístulit.

11*. Rivibámbæ in Æquatória, beátæ Mercédis Maríæ a Iesu Molina, vírginis, quæ religiósam communitátem cóndidit, cuius munus esset puéllas órphanas pauperésque recípere et institúere mulierésque lapsas vítiis erípere et in nova grátiæ vita confirmáre.

12*. Ragúsæ in Sicília Itáliæ, beátæ Maríæ Cándidæ ab Eucharístia Barba, vírginis ex Ordine Carmelitárum Discalceatárum, quæ summam vitæ consecrátæ et régulae observántiam exhíbuit et novis monastériis exstruéndis summópere consúluit.

Die 13 iunii

Idibus iúnii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
7	8	9	10	11	12	11	12	13	14	15	16

Memória sancti Antónii, presbýteri et doctóris Ecclésiæ, qui, lusitánus pátria, iam canónicus reguláris, Ordinem Minórum nuper fundátum íniit, ut ad propagándam fidem inter Africæ pópulos incúmberet, sed in Itália et Gállia prædicatiónis

múnere magno cum fructu fungens, multos ad veram attráxit doctrínam; sermónes vero scripsit doctrína et suavitáte perfúsos et de sancti Francísci mandáto fratres theológiam dócuit, donec Patávii ad Dóminum migrávit.

2. Via Ardeatína miliário séptimo ab urbe Roma, sanctæ Felículæ, mártyris.

3. Alexandríæ in Ægýpto, beáti Achíllei, epíscopi, qui eruditióne, fide, conversatióne ac móribus fuit insígnis.

4. Leucósiæ in Cypro, sancti Triphýllii, epíscopi, qui fidem orthodóxam nicǽnam strénue defféndit, disertíssimus ætátis suæ orátor et Cántici Canticórum mirus explanátor, ut refert sanctus Hierónymus.

5. In Aprútio, sancti Cethéi seu Peregríni, epíscopi Amiterníni, qui, Langobárdis regiónem pervadéntibus, de urbis proditióne falso accusátus, morti addíctus in flumen demérsus est.

6. Alexandríæ in Ægýpto, sancti Eulógii, epíscopi, doctrína célebris, cui sanctus Gregórius papa Magnus plúrimas epístulas misit, de eo scribens: « Longe a me non est, qui mecum unum est ».

7*. Apud Lemóvicum in Aquitánia, sancti Psalmódii, eremítæ.

8*. In fínibus Lugdunénsibus in Gállia, sancti Ragnebérti, mártyris, qui, illústri génere ortus et nobílibus virtútibus ornátus, tam odiósus fuit Ebroíno magístro palátii, ut relegatióne tandémque nece afficerétur.

9*. In valle Arbústo in móntibus Pyrenǽis, sancti Aventíni, eremítæ et mártyris, qui a Mauris interféctus esse tráditur.

10. Córdubæ in Vandalícia Hispániæ regióne, sancti Fandílæ, presbýteri et mónachi, qui in Maurórum persecutióne, Mohamédo Primo regnánte, cápite obtruncátus est pro Christi fide.

11*. In monastério Claravallénsi in Burgúndia, beáti Gerárdi, mónachi, sancti Bernárdi fratris, qui, litterárum expers, magnam tamen in spiritálibus sagacitátem ac discrímen hábuit.

12. Apud Huéum in Annámia, sanctórum Augustíni Phan Viết Huy et Nicolái Bùi Viết Thể, mártyrum, qui, cum metu percúlsi crucem calcavíssent, pœnam peccáti sui luéndi cúpidi statim ab imperatóre Minh Mạng petiérunt, ut dénuo véluti christiáni iudicaréntur, quaprópter vivi in navi secti ad cæléstia gáudia pervenérunt.

13*. In óppido *Naumowicze* apud Grodnam in Polónia, beátæ Maríæ Annæ Biernacka, matrisfamílias et mártyris, quæ in regímine occupatiónis in bello sponte pro prægnanti nuru milítibus se óbtulit et plumbis conféstim transfóssa gloriósam palmam martýrii excépit.

Die 14 iunii

Décimo octávo Kaléndas iúlii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
18	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
8	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**

1. Samaríæ seu Sebáste in Palæstína, commemorátio sancti Elisǽi, qui, discípulus Elíæ, prophéta fuit in Israel témpore regis Ioram usque ad dies Ioas; etsi orácula non relíquit, tamen, mirácula pro ádvenis patrándo, salútem nuntiávit ómnibus homínibus adfutúram.

2. Aquiléiæ in Venétia, sancti Proti, mártyris.

3. Apud Suessiónem in Gállia Bélgica, sanctórum Valérii et Rufíni, mártyrum.

4*. Neápoli in Campánia, sancti Fortunáti, epíscopi.

5. Viénnæ in Burgúndia, sancti Æthérii, epíscopi.

6. Constantinópoli, sancti Methódii, epíscopi, qui, dum mónachus erat, pro defensióne sacrárum Imáginum Romam se cóntulit apud Paschálem papam Primum et, ad episcopátum evéctus, orthodóxam fidem triumphántem sollémniter celebrávit.

7. Córdubæ in Vandalícia Hispániæ regióne, sanctórum mártyrum Anastásii, presbýteri, Felícis, mónachi, et Dignæ, vírginis, qui eódem die páriter cecidérunt. Anastásius, ante cónsules Mauros christiánam fidem profέssus, gládio conféstim occísus est; cum eo et Felix, gétulus natióne, qui per Astúrias fidem cathólicam et monásticam conversatiónem dúxerat; Digna vero adulescéntula, quæ in eórum cæde iúdicem veheménter reprehénderat, íllico decolláta est.

Die 15 iunii

Décimo séptimo Kaléndas iúlii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
19	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
9	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**

1. Commemorátio sancti Amos, prophétæ, quem armentárium Thécuæ et vellicántem sycomóros Dóminus ad fílios Israel misit, ut iustítiam eius et sanctitátem vindicáret advérsus prævaricatiónes eórum.

2. Doróstori in Mœsia, sancti Hesýchii, qui, miles, cum beáto Iúlio comprehénsus, post eum, sub Máximo præside, martýrio coronátus est.

3. In Lucánia, sancti Viti, mártyris.

4. Arvérnæ in Aquitánia, sancti Abrahæ, mónachi, qui, ad Euphrátis flúvii litus ortus, ad visitándos eremítas in Ægýptum se cóntulit, sed, a pagánis deprehénsus, quinque annos in vínculis tentus est; deínde in Gálliam apud Arvérnos advénit, ubi in monastérium Sancti Cýrici secéssit et plenus diérum óbiit.

5. Crispínii in Hannónia, sancti Landelíni, abbátis, qui a sancto Autbérto epíscopo a latrocíniis ad virtútum exercítia convérsus Laubiénse cœnóbium fundávit posteáque Crispínium pétiit, ubi e vita discéssit.

6*. Ságii in Néustria, sancti Lothárii, epíscopi, qui, múnere depósito, solitáriam mortem oppetiísse fertur.

7. Córdubæ in Vandalícia Hispániæ regióne, sanctæ Beníldis, mártyris, quæ, ætáte iam provécta, in Maurórum persecutióne occúbuit.

8. In monte Iove in Vallésia, sancti Bernárdi de Menthóne, presbýteri, qui, canónicus et archidiáconus Augústæ Prætóriæ, per multos annos inter summa Alpium iuga habitávit ibíque celebérrimum cœnóbium exstrúxit et viatóribus hospítia in duóbus móntibus constítuit, quæ adhuc nómine eius celebrántur.

9*. Racebúrgi in Holsátia Germániæ, sancti Isfrídi, epíscopi, qui Canonicórum Præmonstraténsium mores servans Vendárum evangelizatióni óperam dedit.

10*. Londínii in Anglia, beáti Thomæ Scryven, mártyris, mónachi e Cartúsia huius civitátis, qui sub Henríco rege Octávo fidem Ecclésiæ servávit, quaprópter fame conféctus in cárcere corónam martýrii accépit.

11*. Eboráci item in Anglia, beatórum mártyrum Petri Snow, presbýteri, et Radúlphi Grimston, qui sub Elísabeth regína Prima cápite damnáti, alter quod sacérdos esset, alter quod eum a captóribus subrípere conátus esset, patíbuli supplícium passi sunt.

12. Pibráci in pago Tolosáno Gálliæ, sanctæ Germánæ, vírginis, quæ, ignótis orta paréntibus et iam inde a puerítia servílem vitam infirmitatésque perpéssa, omne genus ærumnárum forti ánimo et hílari vultu tolerávit, donec vicésimo secúndo ætátis anno pie quiévit.

13*. Bérgomi in Itália, beáti Aloýsii Maríæ Palazzolo, presbýteri, qui Congregatiónes Sorórum Pauperculárum atque Fratrum a Sancta Família instítuit.

14. In pago *Qianshengzhuang* apud urbem *Liushuitao* in província *Hebei* Sinárum, sanctæ Bárbaræ Cui Lianzhi, mártyris, quæ, cum fílius eius iam interféctus esset, salúte noctu fuga petíta, a christianórum hóstibus apprehénsa et sævíssime excruciáta occúbuit.

Die 16 iunii

Sextodécimo Kaléndas iúlii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
10	11	12	13	14	15	14	15	16	17	18	19

1. In Asiæ pártibus, commemorátio sanctórum Quírici et Iulíttæ, mártyrum.

2. Vesontióne in Gállia Lugdunénsi, sanctórum Ferréoli et Ferrútii, mártyrum.

3. Nannétibus item in Lugdunénsi, sancti Similiáni, epíscopi, quem sanctus Gregórius Turonénsis magnum confessórem laudat.

4. Amathúnte in Cypro, sancti Tychónis, epíscopi, témpore Theodósii iunióris imperatóris.

5. Mogúntiæ in Gállia Bélgica, sanctórum Aurei, epíscopi, Iustínæ soróris eius, ac sociórum mártyrum, qui, dum Eucharístiam celebrábant, ab Hunnis éthnicis trucidáti esse ferúntur.

6. Lugdúni in Gállia, deposítio sancti Aureliáni, epíscopi Arelaténsis, qui, a Vigílio papa vicárius in Gállia nominátus, duo monastéria, álterum viris, álterum féminis in civitáte sua eréxit, régulam eis tradens própriam.

7*. Carráriæ in Etrúria, tránsitus sancti Cechárdi, epíscopi Lunénsis ac Sarzanénsis, qui, prope mármorum lapicidínas iníque a marmoráriis quibúsdam occísus, martyr reputátus est.

8. Misnæ in Saxónia, sancti Bennónis, epíscopi, qui, cum Ecclésiæ unitátem et Románo Pontífici fidelitátem serváre voluísset, a sede eiéctus exsílium perpéssus est.

9. In monastério moniálium Cisterciénsium Aquíriæ in Brabántia, sanctæ Lutgárdis, vírginis, devotióne erga sacrum Cor Dómini insígnis.

10*. Londínii in Anglia, beáti Thomæ Reding, mártyris, mónachi e Cartúsia huius civitátis, qui, Henríco Octávo rege, unitáti Ecclésiæ fírmiter adhǽsit, quaprópter in squalóre cárceris vínculis immóbilis constríctus, fame et morbo conféctus óbiit.

11*. Ad áncoram in salo ante portum Rupifórtii in Gállia, beáti Antónii Constántis Auriel, presbýteri et mártyris, qui, vicárius parœciális Cadurcénsis, tempóribus gállicæ perturbatiónis propter sacerdótium in squálida navi inclúsus, mox morbo corréptus in concaptívis adiuvándis spíritum réddidit.

12. In urbe *Lăng Cốc* in Tunquíno, sanctórum mártyrum Domínici Nguyên, médici, Domínici Nhi, Domínici Mạo, Vincéntii et Andréæ Tường, agricolárum, qui ínsimul ob christiánam fidem apprehénsi et in cárcere multis torméntis excruciáti, tandem decolláti sunt, sub imperatóre Tự Đức.

13*. In pago *Ingenbohl* prope Swiciam in Helvétia, beátæ Maríæ Terésiæ (Annæ Maríæ Catharínæ) Scherer, vírginis, quæ prima Soróres a Caritáte Sanctæ Crucis gubernávit.

Die 17 iunii

Quintodécimo Kaléndas iúlii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
11	12	13	14	15	16	15	16	17	18	19	20

1. Romæ via Salária Vétere ad Septem Palúmbas, sanctórum Blasti et Diógenis, mártyrum.

2. Apollóniæ in Macedónia, sanctórum Isáuri, Innocéntii, Felícis, Hérmiæ, Peregríni et Basilíi, mártyrum.

3. Doróstori in Mœsia, sanctórum mártyrum Nicándri et Marciáni, qui, mílites, donatívum respuéntes et sacrificáre diis fírmiter recusántes, cápite damnáti sunt a Máximo prǽside in persecutióne Diocletiáni imperatóris.

4. Vesontióne in Gállia Lugdunénsi, sancti Antídii, epíscopi et mártyris, qui capitálem senténtiam sub Croco Vandalórum rege tráditur suscepísse.

5. In Bithýnia, sancti Hypátii, hegúmeni monastérii Rufinianórum, qui parca vita arctísque ieiúniis discípulos perféctam dócuit monásticæ conversatióni obœdiéntiam, sæculáres vero timórem Dei.

6*. In Británnia Minóre, sancti Hervǽi, eremítæ, qui, ut fertur, claritáte solis iam a nativitáte orbátus, iucúnde tamen paradísi gáudia decantábat.

7. Aureliáni in Gállia, sancti Avíti, abbátis.

8. Pisis in Etrúria, sancti Rainérii, páuperis et peregríni pro Christo.

9*. Lorvánii in Lusitánia, sanctæ Terésiæ, quæ, Legionénsis regína et mater trium liberórum, post cóniugis mortem, in monastério ab ipsa cóndito sub disciplína Cisterciénsi vitam regulárem egit.

10*. Venétiis, beáti Petri Gambacorta, fundatóris Ordinis Eremitárum Sancti Hierónymi, cuius primi religiósi latrónes fuérunt ab ipso convérsi.

11*. Neápoli in Campánia, beáti Pauli Burali, ex Ordine Clericórum Regulárium Theatinórum, epíscopi primum Placéntiæ, dein Neápoli, qui ad Ecclésiæ disciplínam instaurándam et gregem ipsi commíssum in fide confirmándum se dedit.

12*. Ad Gálliæ litus in navi ad áncoram ante Rupifórtium, beáti Philíppi Papon, presbýteri Augustodunénsis et mártyris, qui, párochus, témpore gállicæ perturbatiónis propter sacerdótium ad labem captivitátis detrúsus, cum concaptívum moribúndum absolvísset, ipse occúbuit.

13. In loco *Qua Linh* in Tunquíno, sancti mártyris Petri Đa, qui, faber lignárius et sacrísta, multis et diris torméntis tortus, firmus tamen in professióne fídei permánsit, dénique in flammas iniéctus occúbuit sub imperatóre Tự Đức.

Die 18 iunii

Quartodécimo Kaléndas iúlii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
12	13	14	15	16	17	16	17	18	19	20	21

1. Romæ in cœmetério Balbínæ via Ardeatína, sanctórum Marci et Marcelliáni, mártyrum in persecutióne Diocletiáni imperatóris, quos éadem pássio fecit germános.

2. Trípoli in Phœnícia, sancti Leóntii mílitis, qui, acérba torménta in cárcere perpéssus, ad corónam martýrii pervénit.

3. In Africa, sanctórum Cyríaci et Paulæ, mártyrum.

4. Burdígalæ in Aquitánia, sancti Amándi, epíscopi, qui sanctum Paulínum Nolánum doctrína veritátis instítuit ac baptizávit, ab ipso sæpe laudátus.

5. In monte Chrónio apud Thermas Selinúntias in Sicília occidentáli, sancti Calógeri, eremítæ.

6. Schonáviæ in Rhenánia Germániæ, sanctæ Elísabeth, vírginis, monásticæ vitæ observántia célebris.

7*. Mántuæ in Langobárdia, beátæ Hosánnæ Andreasi, vírginis, quæ, hábitu Sorórum de Pæniténtia Sancti Domínici indúto, divinórum contemplatiónem cum sæculáribus occupatiónibus et cura bonórum óperum mira sapiéntia coniúnxit.

8. Patávii in Venétia, sancti Gregórii Barbarigo, epíscopi, qui seminárium clericórum instítuit, catechésim púeros in eórum idiómate dócuit, sýnodum et collóquia cum clero hábuit, scholas plúrimas apéruit, liberális in omnes, in se autem sevérus.

Die 19 iunii

Tertiodécimo Kaléndas iúlii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
13	14	15	16	17	18	17	18	19	20	21	22

Sancti Romuáldi, anachorétæ et monachórum Camaldulénsium patris, qui, a Ravénna oriúndus, vitam et disciplínam eremíticam áppetens, plures annos Itáliam peragrávit, párvula monastéria ædíficans et vitam evangélicam inter mónachos ubíque indefésso ópere prómovens, donec in monastério Vallis Castri in Picéno Itáliæ labóres felíciter perfécit.

2. Medioláni in Ligúria, commemorátio sanctórum Gervásii et Protásii, mártyrum, quorum córpora sanctus Ambrósius réperit et in basílicam novam ab ipso ædificátam sollémni pompa hac die tránstulit.

3*. In monte Vósego in Burgúndia Austrásiæ, sancti Deódati, epíscopi Nivernénsis, qui monastérium in loco póstea ipsíus nómine appelláto condidísse tráditur.

4*. In Fiscámno monastério Néustriæ, sanctæ Childomárcæ, abbatíssæ, quæ sanctum Leodegárium ab Ebroíno mutilátum benígne excépit et curávit.

5. Cæsaraugústæ in Hispánia, sancti Lambérti, mártyris.

6*. Cálatæ Hierónis in Sicília, translátio beáti Gerlándi, qui, eques Ordinis Sancti Ioánnis Hierosolymitáni, víduis et púeris paréntibus orbátis benéfico ánimo se dedit.

7. Floréntiæ in Etrúria, sanctæ Iuliánæ Falconieri, vírginis, quæ soróres Ordinis Servórum Maríæ, propter religiónis hábitum Mantellátas nuncupátas, instítuit.

8*. Pisáuri in Picéno Itáliæ, beátæ Michaelínæ, víduæ, quæ ómnia bona sua paupéribus largíta est et, Tértii Ordinis Sancti Francísci hábitu indúto, panem mendícans vitam duxit húmilem et disciplína castigátam.

9*. Londínii in Anglia, beatórum mártyrum Sebastiáni Newdigate, Humphrédi Middlemore et Guliélmi Exmew, presbyterórum e Cartúsia eiúsdem civitátis, qui, sub Henríco rege Octávo in cárcere cónditi quod fidéles Christi Ecclésiæ fírmiter perseveravíssent, septem et decem dies colúmnis armíllis férreis vincti stantes, deínde Tybúrni suspéndii supplício martýrium consummavérunt.

10*. Ibídem, beáti Thomæ Woodhouse, presbýteri e Societáte Iesu et mártyris, qui sub María regína cathólica sacérdos ordinátus, dein in persecutióne Elísabeth regínæ Primæ duódecim ámplius annos propter fidem deténtus, ad concaptívos cum Ecclésia cathólica reconciliándos strénuam dedit óperam, donec Tybúrni in patíbulo martýrio coronátus est.

11. In vico *Wuyi* apud civitátem Sciensciénénsem in Sinárum *Hebei* província, sanctórum Remígii Isoré et Modésti Andlauer, presbyterórum e Societáte Iesu et mártyrum, qui in persecutióne ab ásseclis factiónis «Yihetuan» gesta, dum ante altáre orábant, occísi sunt.

Die 20 iunii

Duodécimo Kaléndas iúlii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
24	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
14	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**

1. Commemorátio sancti Methódii, epíscopi Olympénsis et mártyris, qui nítidi et compósiti sermónis libros confécit et ad extrémum persecutiónis Diocletiáni imperatóris martýrio coronátus est.

2*. In pago Laudunénsi Néustriæ, sancti Gobáni, presbýteri, qui in Hibérnia natus et in Anglia sancti Fusci discípulus efféctus, ob

Christi amórem in Gálliam proféctus est et in silvis eremíticam duxit vitam.

3*. In monastério Sancti Iacóbi Fodiénsi in Apúlia, sancti Ioánnis de Matéola, abbátis, qui, austeritáte et prædicatióne apud pópulum conspícuus, in regióne Gargánica Congregatiónem Pulsanénsem sub observántia Régulæ sancti Benedícti instítuit.

4*. In monastério Medingeáno in Bavária, beátæ Margarítæ Ebner, vírginis ex Ordine Prædicatórum, quæ multas afflictiónes pro Christo perpétiens vitam sibi salutárem duxit, ómnibus spectábilem ac Deo gratam, atque de re mýstica plura scripsit.

5*. Eblánæ in Hibérnia, pássio beáti Dermítii O'Hurley, epíscopi et mártyris, qui, iurisperítus láicus ex voluntáte Gregórii papæ Décimi Tértii epíscopus Cassiliénsis factus, sub Elísabeth regína Prima plures menses interrogátus et tortus calúmnias constánter réspuit et ante patíbulum in loco *Hoggen Green* eréctum se propter fidem cathólicam et episcopále munus moritúrum declarávit.

6*. Ibídem commemorátio beátæ Margarítæ Ball, mártyris, quæ, vídua effécta, cum domi accepísset plures sacerdótes inquisítos, ipso fílio indicánte, comprehéndi iussa est et post vária génera molestiárum in cárcere die non trádito septuagenária óbiit.

7*. Nagasákii in Iapónia, beatórum mártyrum Francísci Pacheco, presbýteri, et sociórum octo,[4] e Societáte Iesu, qui in ódium fídei ad ignem damnáti sunt.

8*. Londínii in Anglia, beatórum mártyrum Thomæ Whitbread et sociórum Guliélmi Harcourt, Ioánnis Fenwich, Ioánnis Gavan et Antónii Turner, presbyterórum e Societáte Iesu, qui, coniuratiónis in mortem Cároli regis Secúndi calumnióse accusáti, pro regno cælórum Tybúrni martýrium complevérunt.

[4] Quorum nomina: beati Balthasar de Torres et Ioannes Baptista Zola, presbyteri; Petrus Rinsei, Vincentius Kaun, Ioannes Kisaku, Paulus Kinsuke, Michael Tozo et Gasparus Sadamatsu, religiosi.

Die 21 iunii

Undécimo Kaléndas iúlii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
25	**26**	**27**	**28**	**29**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
15	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**

Memória sancti Aloýsii Gonzaga, religiósi, qui, príncipum stirpe natus et innocéntia vitæ claríssimus, avíto principátu in fratrem transmísso, Societáti Iesu Romæ se adiúnxit, at, víribus fractus in morbo pestilénti contaminátis assidéndo, adhuc aduléscens mortem oppétiit.

2*. Gæli in Británnia Minóre, sancti Mevénni, abbátis, qui, ex Cámbria ortus, in silvam Armóricæ interióris recéssit ac monastérium cóndidit.

3. In pago Ebroicénsi Néustriæ, sancti Leutfrídi, abbátis, qui monastérium Sanctæ Crucis cóndidit, cui annos círciter quadragínta et octo præfuit.

4*. Biturígis in Aquitánia, sancti Radúlphi, epíscopi, qui, de vita sacerdotáli sollícitus, cum presbýteris Ecclésiæ ipsi commíssæ capítula e sanctórum Patrum et cánonum senténtiis ad usum pastorálem collígere curávit.

5*. Oscæ in Aragónia, sancti Raymúndi, qui, ex canónico reguläri epíscopus Roténsis et Barbastrénsis efféctus, numquam inimícos nóminis christiáni manu militári debelläre vóluit, quaprópter tres annos a sede sua expúlsus est.

6*. Urbevéti in Túscia, beáti Thomæ, religiósi ex Ordine Servórum Maríæ.

7. Londínii in Anglia, sancti Ioánnis Rigby, mártyris, qui sub Elísabeth regína Prima Londínii deprehénsus et cápite damnátus, eo quod Ecclésiæ se cathólicæ reconciliavísset, Southvárci láqueo suspénsus est et adhuc vivens exenterátus.

8*. In navi ad áncoram deligáta in alto apud Rupifórtium in Gállia, beáti Iacóbi Morelle Dupas, presbýteri et mártyris, qui, ad víncula damnátus quod ministérium parœciále in pago Pictaviénsi témpore gállicæ perturbatiónis exercuísset, sevérus in se, in céteros vero dulcis, inédia consúmptus óbiit.

9. In pago *Zapotlanejo* in México, sancti Ioséphi Isabel Flores, presbýteri et mártyris in témpore magnæ persecutiónis.

Die 22 iunii

Décimo Kaléndas iúlii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
16	17	18	19	20	21	20	21	22	23	24	25

Sancti Paulíni, epíscopi, qui, baptísmo Burdígalæ recépto et consulátu relícto, ex nobilíssimo et opulentíssimo factus est pro Christo pauper et húmilis et, Nolam in Campánia apud sancti Felícis presbýteri sepúlcrum migrátus, ut eius exémplum vitæ ex propínquo sequerétur, ascéticam exégit conversatiónem cum uxóre et sóciis; epíscopus vero efféctus, eruditióne et sanctitáte clarus, peregrínos adiúvit et míseros studióse sublevávit.

Sanctórum Ioánnis Fisher, epíscopi, et Thomæ More, mártyrum, qui, cum Henríco regi Octávo in controvérsia de eius matrimónio repudiándo et de Románi Pontíficis primátu restitíssent, in Turrem Londínii in Anglia trusi sunt. Ioánnes Fisher, epíscopus Rofffénsis, vir eruditióne et dignitáte vitæ claríssimus, hac die iussu ipsíus regis ante cárcerem decollátus est; Thomas More vero, paterfamílias vita integérrimus et præses cœtus moderatórum natiónis, propter fidelitátem erga Ecclésiam cathólicam servátam sexta die iúlii cum venerábili antístite martýrio coniúnctus est.

3. Romæ, commemorátio sancti Flávii Cleméntis, mártyris, qui a Domitiáno imperatóre, quocum consulátum gésserat, nómine deórum negatóris, revéra ob Christi fidem interémptus est.

4. Verulámii in Británnia, sancti Albáni, mártyris, qui, ut narrátur, nondum baptizátus, pro clérico hóspite, quem domi suscéperat et a quo christiánæ fídei præcéptis imbútus erat, seípsum commutáta veste trádidit; quam ob rem, post vérbera et acérba torménta cápite truncátus est.

5. Legióne in Británnia Minóre, sanctórum Iúlii et Aarónis, mártyrum, qui post sanctum Albánum in persecutióne Diocletiáni imperatóris passi sunt; quo témpore ibídem plúrimi, divérsis cruciátibus torti et sævíssime laceráti, ad supérnæ civitátis gáudia, consummáto agóne, pervenérunt.

6. Dolíche in Sýria, sancti Eusébii, Samosaténi epíscopi, qui, témpore Constántii imperatóris ariáni, sub hábitu militári incógnitus Ecclésias Dei visitábat, ut in fide cathólica illas confirmáret; deínde, sub imperatóre Valénte, in Thráciam relegátus est, sed, réddita Ecclésiæ pace, témpore impérii Theodósii ab exsílio revocátus, tandem, cum íterum Ecclésias visitáret, confrácto cápite ex tégula ab ariána mulíere désuper in eum immíssa, martyr occúbuit.

7. Commemorátio sancti Nicétæ, epíscopi Remesiánæ in Dácia, quem cármine sanctus Paulínus Nolánus laudat, quod bárbaros oves factos Evangélium edocuísset atque in pacis caulas duxísset et quondam imperíti ac latrónes Christum corde románo resonáre didicíssent.

8*. Romæ in Lateráno, beáti Innocéntii papæ Quinti, qui, ex Ordine Prædicatórum, sacram theológiam Parísiis dócuit et, sedem episcopálem Lugdunénsem invíto adéptus, una cum sancto Bonaventúra Concílium Œcuménicum pro unióne inter Latínos et Græcos seiúnctos moderátus est; dein, ad Petri cáthedram evéctus, pérbrevi témpore munus Pontíficis explévit, Ecclésiæ Románæ pótius osténsus quam datus.

Die 23 iunii

Nono Kaléndas iúlii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
27	**28**	**29**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
17	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**

1. Commemorátio plurimórum sanctórum mártyrum Nicomedíæ, qui, témpore Diocletiáni imperatóris in móntibus et spelúncis laténtes, pro Christi nómine martýrium æquo ánimo tulérunt.

2. In monastério Eliénsi in Anglia orientáli, sanctæ Ediltrúdis, abbatíssæ, quæ, fília regis et ipsa regína Northúmbriæ, bis núptiis posthábitis, a sancto antístite Wilfrído sanctimoniálium velum accépit in monastério ab ipsa cóndito, cui exémplis et mónitis vírginum perplúrium mater præfuit.

3*. Dariórigi in Británnia Minóre, sancti Bílii, epíscopi et mártyris, qui a Normánnis civitátem vastántibus interféctus esse tráditur.

4*. Pápiæ in Langobárdia, beáti Lanfránci, epíscopi, qui, vir pacíficus, pro pace et concórdia in civitáte fovéndis multa passus est.

5*. Onháyæ in Hannónia, sancti Walhéri, presbýteri, qui, dum Mosam traiciébat, a nepóte suo presbýtero, cuius mores redarguébat, remígii tonsa mactátus esse tráditur.

6*. Oignáci item in Hannónia, beátæ Maríæ, quæ, mýsticis donis prǽdita, sponso consentiénte, in cella vixit reclúsa et institútum « beghinárum » creávit atque ordinávit.

7*. In erémo Vallismanénsi in Picéno Itáliæ, beáti Petri Iacóbi de Pisáuro, presbýteri ex Ordine Eremitárum Sancti Augustíni.

8. Londínii in Anglia, sancti Thomæ Garnet, presbýteri e Societáte Iesu et mártyris, qui in Collégio Anglórum Vallisoletáno ordinátus et in Angliam revérsus, bis in cárcerem trusus, sub Iacóbo rege Primo Tybúrni patíbulum passus est.

9. Augústæ Taurinórum in Itália, sancti Ioséphi Cafasso, presbýteri, qui levítis pietáte et sciéntia augéndis atque míseris in carcéribus deténtis vel étiam cápite damnátis Deo conciliándis se trádidit.

10*. Alátrii in Látio Itáliæ, beátæ Maríæ Raphaélæ (Sanctínæ) Cimatti, vírginis, e Soróribus a Misericórdia pro infírmis, quæ vitam egit occúltam et húmilem, urbána caritáte constantíque cura óperam suam in ægrótos præsértim et páuperes cónferens.

Die 24 iunii

Octávo Kaléndas iúlii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
18	19	20	21	22	23	22	23	24	25	26	27

Sollémnitas Nativitátis sancti Ioánnis Baptístæ, Præcursóris Dómini, qui iam in útero matris, Spíritu Sancto replétæ, exsultávit gáudio ad humánæ salútis advéntum cuiúsque ipsa natívitas Dóminum Christum prophetávit; et tanta grátia refúlsit in eo, ut ipse Dóminus de illo díceret néminem maiórem inter natos mulíerum Ioánne Baptísta.

2. Romæ ad Septem Palúmbas via Salária Vétere, sanctórum Ioánnis et Festi, mártyrum.

3. Augustodúni in Gállia Lugdunénsi, sancti Simplícii, qui nóbilis et devótæ stirpis, honestíssimæ cóniugis societáte castíssime vivens, ad episcopátum eléctus est.

4. In vico Cristólio territórii Parisiénsis, pássio sanctórum Agoárdi et Agilbérti aliorúmque multórum, mártyrum.

5. Mechlíniæ in Brabántia, sancti Rumóldi, qui eremíta et martyr cólitur.

6. Láubii in Austrásia, sancti Theodúlfi, epíscopi et abbátis.

7*. Nannétibus in Británnia Minóre, sancti Gohárdi, epíscopi et mártyris, qui Missárum sollémnia cum pópulo célebrans in ecclésia cathedráli, dum « Sursum corda » canébat, impiórum Normannórum sagíttis confíxus cum plúrimis fidélibus occúbuit.

8*. Vestervígi in Dánia, sancti Theodgári, presbýteri, qui missionárius in hac regióne primam constrúxit ecclésiam lígneam.

9. In *Sichuan* Sinárum província, sancti Iosséphi Yuan Zaide, presbýteri et mártyris, in ódium fídei christiánæ strangulàti.

10*. Guadalaxáræ in México, beátæ Maríæ a Guadalúpe (Anastásiæ) García Zavala, vírginis, quæ Congregatiónis Ancillárum Sanctæ Margarítæ Maríæ et Páuperum fundátioni náviter intérfuit et sédula inter páuperes ægrotósque perégit ópera caritátis.

Die 25 iunii

Séptimo Kaléndas iúlii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
19	20	21	22	23	24	23	24	25	26	27	28

1. Augústæ Taurinórum in Ligúria, sancti Máximi, primi illíus sedis epíscopi, qui gentílium turbas patérno elóquio ad Christi fidem vocávit et cæléstí doctrína ad prǽmium salútis diréxit.

2. Commemorátio sancti Prósperi Aquitáni, qui, in philosóphia et lítteris instrúctus, cum cóniuge vitam íntegram et modéstam degit et, Massíliæ mónachus efféctus, advérsus Pelagiános sancti Augustíni doctrínam de Dei grátia deque dono perseverántiæ strénue defendit atque Romæ sancti Leónis papæ Magni scriptóris múnere functus est.

3. Régii Lépidi in Æmília, sancti Prósperi, epíscopi.

4*. Mauriánæ in Sabáudia, sanctæ Tígridis, vírginis, quæ sancti Ioánnis Præcursóris cultum ibídem omni stúdio promóvit.

5*. Rossmárkæi in Scótia, sancti Molóchi seu Luáni, epíscopi.

6*. Iacæ in Hispánia Tarraconénsi, sanctæ Eurósiæ, vírginis et mártyris.

7. Egmúndæ in Frísia, sancti Adalbérti, diáconi et abbátis, qui sanctum Willibrórdum in evangélica sedulitáte adiúvit.

8*. In Británnia Minóre, sancti Salomónis, mártyris, qui, quámdiu rex gubernávit, episcopáles instítuit sedes, monastéria amplificávit atque æquitátem servávit; regno vero dimísso, ab adversáriis in ecclésia obcæcátus et occísus est.

9. Guléti apud Nuscum in Campánia, sancti Guliélmi, abbátis, qui, e civitáte Vercellénsi peregrínus et pauper pro Christi amóre factus, a sancto Ioánne Materanénsi admónitus monastérium Montis Vírginis cóndidit sociósque sibi ascívit, quos alta sua spiritáli doctrína erudívit, et plúrima ascetéria tam monachórum quam sanctimoniálium in meridiánis Itáliæ regiónibus fundávit.

10*. In Cartúsia Repositórii in Sabáudia, beáti Ioánnis, cognoménto Hispáni, mónachi, qui pro moniálibus Ordinis Cartusiáni institutiónes conscrípsit.

11*. Maríæ Verdæ in Borússia polónica, beátæ Dorothéæ Montaviénsis, quæ, vídua, in cella iuxta ecclésiam cathedrálem reclúsa, assíduæ oratióni et pæniténtiæ perpétuo se dedit.

12*. Valle Guidónis in Gállia, beátæ Maríæ Lhuillier, vírginis et mártyris, quæ, inter Hospitalárias a Misericórdia excépta, témpore gállicæ perturbatiónis votis religiósis Ecclésiæ strénue fidélis, cápitis obtruncatióne occúbuit.

13. In urbe *Nam Định* in Tunquíno, sanctórum Domínici Henares, epíscopi ex Ordine Prædicatórum, et Francísci Đỗ Minh Chiểu, mártyrum, quorum prior quadragínta novem annos fidem christiánam

propagávit, alter vero, catechísta, cum eo sédulo operátus est; utérque sub imperatóre Minh Mạng pro Christo simul cápite obtruncáti sunt.

Die 26 iunii

Sexto Kaléndas iúlii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
1	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
20	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**

1. Romæ, commemorátio sanctórum Ioánnis et Pauli, quorum nómini basílica dicáta est in monte Cǽlio ad clivum Scáuri, in título Pammáchii senatóris.

2. Tridénti in Venétia, sancti Vigílii, epíscopi, qui, a sancto Ambrósio Mediolanénsi institutiónis ínsignibus cum instructióne pastoráli accéptis, opus evangelizatiónis in agro suo firmáre ac relíquias idololatríæ pénitus exstirpáre conátus est et pro Christi nómine, a feris homínibus percússus, martýrium implevísse tráditur.

3*. Nolæ in Campánia, sancti Deódati, epíscopi, qui sancto Paulíno succéssit.

4. In pago Pictaviénsi in Aquitánia, sancti Maxéntii, abbátis, virtútibus insígnis.

5. Thessaloníсæ in Macedónia, sancti Dávidis, eremítæ, qui extra muros civitátis in céllula reclúsus fere annos octogínta transégit.

6. Apud Valentiánam in Austrásia, sanctórum Sálvii, epíscopi, et discípuli eius, qui ex Arvérno território in hanc regiónem pervenérunt et sub Winegárdo dómino loci martýrium tulérunt.

7. Córdubæ in Vandalícia Hispániæ regióne, sancti Pelágii, mártyris, qui, trédecim annos natus, ob Christi fidem et castitátem servátas contra molles blandítias Maurórum regis ‘Abd ar-Rahman Tértii,

eiúsdem iussu, forcípibus férreis membrátim cæsus martýrium suum glorióse consummávit.

8. Eugúbii in Umbria, sancti Radúlphi, epíscopi, qui verbo prædicatiónis ínstitit et quidquid doméstícis surrípere váluit expénsis pródigus in páuperes dispérsit.

9. Bellícii in Sabáudia, sancti Anthélmi, epíscopi, qui mónachus Maióris Cartúsiæ ædem magna nivis cópia dírutam restítuit; prior efféctus capítulum generále convocávit et, in sedem episcopálem levátus, in corrigéndis clericórum et optimátum móribus indeféssο stúdio et intrepida firmitáte enítuit.

10*. In actuária ante portum Rupifórtii áncoris deligáta in Gállia, beáti Raymúndi Petiniaud de Jourgnac, presbýteri et mártyris, qui, archidiáconus Lemovicénsis, témpore gállicæ perturbatiónis propter sacerdótium in inhumánis adiúnctis deténtus est et ulcéribus pediculísque conféctus martýrium consummávit.

11*. Cameráci in Gállia, beatárum Magdalénæ Fontaine, Francíscæ Lanel, Terésiæ Fantou et Ioánnæ Gérard, vírginum et mártyrum, quæ, Fíliæ a Caritáte, in ódium Ecclésiæ témpore gállicæ perturbatiónis cápite damnátæ, per ludíbrium coronátæ Rosário ad supplícium ductæ sunt.

12*. Tarvísii in Itália, beáti Andréæ Hyacínthi Longhin, epíscopi, qui in tempestátibus belli necessitátibus profugórum captivorúmque strénue subvénit et in angústiis témporis sui singulári sollicitúdine iura deféndit operariórum, agricolárum omniúmque ínopum societátis.

13. In pago *Qianshengzhuang* apud urbem *Liushuitao* in Sinárum *Hebei* província, sancti Ioséphi Ma Taishun, mártyris, qui, médicus et catechísta, quamvis in persecutióne a fautóribus sectæ «Yihetuan» patráta ex eius família céteri a fide defecíssent, sánguine suo Christum testári máluit.

14. In pago *Jalisco* territórii Guadalaiarénsis in México, sancti Ioséphi Maríæ Robles, presbýteri et mártyris, qui, persecutióne erga Ecclésiam témpore perturbatiónis mexicánæ sæviénte, árbori suspénsus occúbuit.

15*. In silva *Birok* prope civitátem *Stradch* in pago Leopolitáno Ucraínæ, beatórum Nicolái Konrad, presbýteri, et Vladimíri Pryjma,

qui, témpore regíminis Deo infénsi, per impávidam mortem spem resurrectiónis Christi proclamavérunt.

16*. In vico *Sykhiv* item in pago Leopolitáno, beáti Andréæ Iščak, presbýteri et mártyris, qui in eádem tempestáte ob Christi fidem plumbis interféctus est.

17. Romæ, sancti Ioséphi Maríæ Escrivá de Balaguer, presbýteri, qui Opus Dei et Societátem sacerdotálem Sanctæ Crucis fundávit.

Die 27 iunii

Quinto Kaléndas iúlii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
21	22	23	24	25	26	25	26	27	28	29	1

Sancti Cyrílli, epíscopi et Ecclésiæ doctóris, qui, ad sedem Alexandrínam in Ægýpto eléctus, singulári pro cathólicæ fídei integritáte stúdio in Concílio Ephesíno dógmata de una in Christo eadémque persóna ac divína Vírginis Maríæ maternitáte disséruit.

2. Carthágine, sanctæ Guddénes, mártyris, quæ Rufíni procónsulis iussu quater divérsis tempóribus ecúleo et ungulárum laceratióne cruciáta, cárceris étiam squalóre diu afflícta, novíssime gládio cæsa est.

3. Córdubæ in Hispánia Bǽtica, sancti Zóili, mártyris.

4. Constantinópoli, sancti Samsónis, presbýteri, páuperum receptóris, qui valetudinárium fertur excitásse hortátu Iustiniáni imperatóris, quem a morbo sanáverat.

5. In castro Cainóno in pago Gálliæ Turonénsi, sancti Ioánnis, presbýteri, qui, brito génere, ob amórem divínum ab aspéctibus se hóminum cóhibens, párvulam oratórii céllulam habébat ante vici ecclésiam.

6*. Medioláni in Langobárdia, sancti Ariáldi, diáconi et mártyris, qui insánis clericórum móribus simoniacórum et depravatórum fórtiter óbstitit et ob zelum erga domum Dei a duóbus cléricis atrócibus cruciátibus interféctus est.

7*. Cornéti prope Bobínum in Apúlia, beáti Benvenúti de Eugúbio, religiósi ex Ordine Minórum, qui per húmile ægrotórum servítium ad vitam Christi páuperis se conformávit.

8. In urbe *Nam Định* in Tunquíno, sancti Thomæ Toán, mártyris, qui, catechísta et missiónis *Trung Linh* curátor, pro Christo sub imperatóre Minh Mạng nova et sævíssima supplícia in cárcere passus est, ubi fame et siti conféctus óbiit.

9*. In pago Friburgénsi in Helvétia, beátæ Margarítæ Bays, vírginis, quæ, artem vestíficæ in família exércens, ad multíplicem próximi utilitátem totam se dedit numquam oratiónem néglegens.

10*. Molínis in Gállia, beátæ Ludovícæ Terésiæ Montaignac de Chauvance, vírginis, quæ Piam Uniónem Oblatárum Sacri Cordis Iesu fundávit.

Die 28 iunii

Quarto Kaléndas iúlii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
22	23	24	25	26	27	26	27	28	29	1	2

Memória sancti Irenǽi, epíscopi, qui, ut scribit sanctus Hierónymus, ab infánte sancti Polycárpi Smyrnénsis discípulus fuit et apostolicórum témporum memóriam fidéliter custodívit; Lugdunénsis iam présbyter, sancto Pothíno epíscopo succéssit itémque glorióso martýrio coronátus esse fertur. De apostólica traditióne multa disséruit, sed et advérsus hǽreses præcláros édidit libros ad fidem cathólicam defendéndam.

2. Alexandríæ in Ægýpto, sub Septímio Sevéro imperatóre, sanctórum mártyrum Plutárchi, Seréni, Heraclídis catechúmeni, Herónis neóphyti alteriúsque Seréni, Heráidis catechúmenæ, Potamiœnæ et Marcéllæ, matris eius, qui omnes illústres Orígenis discípuli, álii per gládium, álii per ignem Christum conféssi sunt; inter quos præcípue enítuit Potamiœna virgo, quæ primum innúmeros agónes pro virginitáte conséruit, ad últimum inaudíta torménta pro fide passa est et una cum matre igne consúmpta.

3. Romæ, sancti Pauli papæ Primi, qui, mitis et valde misericors, nocte cellas páuperum infirmórum siléntio circumiébat, illis minístrans alimónia; orthodóxæ fídei defénsor, Constantíno et Leóni Augústis scripsit, ut in prístinum veneratiónis statum sacræ Imágines restitueréntur; sanctorúmque sédulus cultor de dírutis cœmetériis mártyrum córpora cum hymnis et cánticis intra Urbem per títulos et monastéria constítuit studuítque honoráre.

4. Córdubæ in Vandalícia Hispániæ regióne, sancti Argimíri, mártyris, qui, mónachus, in Maurórum persecutióne, Mohamédo Secúndo regnánte, cum iam ætáte provéctus a iúdice Christum negáre iussus esset, sed perseveránter in confessióne fídei remanéret, ecúleo vivens impósitus enséque transfóssus est.

5*. Hasúngæ in Hássia, sancti Heimerádi, presbýteri et eremítæ, qui, e claustro eiéctus et multis despéctui ludibrióque hábitus, tamen longe latéque pro Christo peregrinátus est.

6. Londínii in Anglia, sancti Ioánnis Southworth, presbýteri et mártyris, qui, cum sacerdótium in Anglia profiterétur, plúries cárcerem et exsílium passus est; demum sub regímine Olivérii Cromwell cápite damnátus, parátum Tybúrni láqueum conspíciens exclamávit se patíbulum ut Christi crucem habére.

7. Lúere in Langobárdia, sanctæ Vincéntiæ Gerosa, vírginis, quæ Institútum Sorórum a Caritáte una cum sancta Bartholomǽa Capitánio fundávit.

8. In vico *Wanglajia* apud *Dongguangxian* in *Hebei* Sinárum província, sanctárum mártyrum Lúciæ Wang Cheng, Maríæ Fan Kun, Maríæ Qi Yu et Maríæ Zheng Xu, quæ, puéllæ in orphanotrophío

educátæ, in persecutióne sectatórum «Yihetuan», iunctis inter se mánibus, lætæ quasi ad núptias progrederéntur ferro periérunt.

9. In loco *Jieshuiwang* apud urbem *Shenxian* in eádem província, sanctæ Maríæ Du Zhaozhi, mártyris, quæ mater sacerdótis e fuga revérsa, Christi fidem pródere nolens, hóstium secúri æquo ánimo cervícem subiécit.

10*. In civitáte *Drohobych* in Ucraína, beatórum Severiáni Baranyk et Ióachim Senkivskyj, presbyterórum ex Ordine sancti Iósaphat et mártyrum, qui in persecutióne erga fidem per martýrium Christi victóriæ partícipes facti sunt.

Die 29 iunii

Tértio Kaléndas iúlii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
23	24	25	26	27	28	27	28	29	1	2	3

Sollémnitas sanctórum Apostolórum Petri et Pauli. Simon, fílius Iona et Andréæ frater, primus inter discípulos Iesum confésssus est Christum, Fílium Dei vivi, a quo Petrus vocátus est. Paulus vero, Apóstolus géntium, Iudǽis et Græcis Christum crucifíxum prædicávit. Ambo in fide et dilectióne Iesu Christi Evangélium in urbe Roma nuntiavérunt et sub Neróne imperatóre mártyres occubuérunt: prior, ut fert tradítio, cruci verso cápite affíxus et in Vaticáno iuxta viam Triumphálem sepúltus, alter gládio animadvérsus et via Ostiénsi confóssus; quorum triúmphum hac die totus Orbis pari honóre et veneratióne célebrat.

2. Génuæ in Ligúria, sancti Syri, qui epíscopus cólitur.

3. Nárniæ in Umbria, sancti Cássii, epíscopi, qui, ut refert sanctus Gregórius papa Magnus, cotídie Deo hóstias placatiónis offerébat to-

tus in lácrimis díffluens et, quæ habébat, cuncta ut stipem largiebátur; demum, natalício Apostolórum die, quo síngulis annis Romam veníre consuéverat, cum Missárum sollémnia in sua civitáte celebrásset et corpus Dómini ómnibus ministravísset, migrávit ad Dóminum.

4*. Gurci in Carínthia, sanctæ Hemmæ, quæ, comitíssa, quadragínta annos in viduitáte vixit et magnas opes paupéribus atque Ecclésiæ largíta est.

5*. In freto ponti ínsulam Maióricam prospiciénte, beáti Raymúndi Lulli, religiósi e Tértio Ordine Sancti Francísci et mártyris, qui, vir exímiæ sciéntiæ et illuminátæ doctrínæ, ad propagándum Christi Evangélium fratérnum cum Saracénis instaurávit collóquium.

6. In pago *Xiaolüyi* apud *Shenxian* in *Hebei* Sinárum província, sanctórum mártyrum Pauli Wu Juan eiúsque fílii Ioánnis Baptístæ Wu Mantang et nepótis Pauli Wu Wanshu, qui in persecutióne sectatórum «Yihetuan», cum christiános se conféssi essent, simul martýrio coronári meruérunt.

7. In pago *Dujiadun* item apud *Shenxian*, sanctárum Maríæ Du Tianshi eiúsque fíliæ Magdalénæ Du Fengju, mártyrum, quæ in eádem persecutióne, ex arundinéto, quo se abdíderant, sublátæ, ob christiánum nomen occubuérunt, áltera adhuc spirans in sepúlcrum coniécta.

Die 30 iunii

Prídie Kaléndas iúlii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
5	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
24	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**28**	**29**	**1**	**2**	**3**	**4**

Sanctórum protomártyrum Sanctæ Románæ Ecclésiæ, qui de Urbis incéndio accusáti divérsis supplíciis a Neróne imperatóre sævíssime intérfici iussi sunt; álii enim ferárum tergis contécti laniátibus canum expósiti sunt, álii crúcibus affíxi alií-

que incéndio tráditi, ut, ubi defecísset dies, noctúrna lúmina deservírent. Erant hi omnes Apostolórum discípuli et primítiæ mártyrum, quas Romána Ecclésia transmísit Dómino.

2. Alexandríæ in Ægýpto, sancti Basílidis, qui, sub Septímio Sevéro imperatóre, cum sanctam Potamiœnam vírginem, quam ad supplícium ducébat, ab impudicórum hóminum petulántia tutátus esset, religiósi offícii mercédem recépit; nam ipse, eius précibus ad Christum convérsus et brevi agóne certans, martyr gloriósus efféctus est.

3. Lemóvici in Aquitánia, sancti Martiális, epíscopi.

4*. Cenómani in Néustria, sancti Bertichrámni, epíscopi, pastóris pacífici et paupéribus monachísque inténti.

5*. Salisbúrgi in Bavária, sanctæ Erentrúdis, primæ abbatíssæ monastérii Nonneburgénsis et sancti Rupérti nepótis, cuius prædicatiónem oratióne et labóre adiúvit.

6. Salanícæ in território Vicentíno, sancti Theobáldi, presbýteri et eremítæ, qui, ex Campániæ gállicæ comítibus, cum amíco Gualtério honóribus et divítiis peregrinatiónes pro Christo paupertátem et solitúdinem prætulit.

7. Nitrávæ ad Vagum flumen apud montes Carpátes, tránsitus sancti Ladislái, qui, rex Hungáriæ, in domínio suo leges christiánas a sancto Stéphano edíctas restítuit, mores emendávit, ipse virtútum exémpla præbens, atque in Croátia, Hungárico regno coniúncta, de christiána fide propagánda strénue laborávit et Zagábriæ sedem episcopálem cóndidit. Dum vero Bohémis bellum inferébat, óbiit et corpus eius póstea Varadíni in Transilvánia depósitum est.

8. Bambérgæ in Francónia, sancti Othónis, epíscopi, qui Pomerános summo zelo evangelizávit.

9*. Osnabrúgi in Saxónia, sancti Adólphi, epíscopi, qui Cisterciénses consuetúdines in monastério Altencampénsi suscépit.

10*. Londínii in Anglia, beáti Philíppi Powell, presbýteri ex Ordine Sancti Benedícti et mártyris, qui, génere cambriénsis, sub Cárolo rege

Primo in navi captus quod sacérdos esset et Angliam péteret, Tybúrni ad patíbuli cruciátus ductus est.

11*. Neápoli in Campánia, beáti Ianuárii Maríæ Sarnelli, presbýteri e Congregatióne Sanctíssimi Redemptóris, qui ad omne genus miseró- rum adiuvándum actuóse incúbuit.

12. In urbe *Hải Dương* in Tunquíno, sancti Vincéntii Đỗ Yến, pre- sbýteri ex Ordine Prædicatórum et mártyris, qui sub imperatóre Minh Mạng in ódium christiánæ fídei decollatióne périit.

13. In pago *Chendun* apud *Jiaohe* provínciæ *Hebei* in Sinis, sanctó- rum Raymúndi Li Quanzhen et Petri Li Quanhui, mártyrum, qui, fratres, in persecutióne a fautóribus sectæ «Yihetuan» confécta præ- clárum testimónium Christo dedérunt: alter enim ad ethnicórum tem- plum perdúctus commentícia númina excólere rénuit et verberátus occúbuit, alter vero haud minóre crudelitáte interféctus est.

14*. Leópoli in Ucraína, commemorátio beáti Zenónis Kovalyk, pre- sbýteri e Congregatióne Sanctíssimi Redemptóris et mártyris, qui, témpore regíminis in Deum hostílis, ignóto die huius mensis glorió- sam palmam adipísci méruit.

15*. Vinnipégæ in Manitóba Canadénsi província, beáti Basilíi Ve- lyčkovskyj, epíscopi Ecclésiæ græcocathólicæ Ucraínæ et mártyris, qui, ob munus clandestíne exércitum inter christifidéles cathólicos Ritus byzantíni multa a persecutóribus fídei in pátria crudéliter per- péssus, Christi sacrifício sociátus, exsul occúbuit.

IULIUS

Die 1 iulii

Kaléndis iúlii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
25	26	27	28	29	30	29	1	2	3	4	5

1. Commemorátio sancti Aaron, de tribu Levi, qui a Móyse fratre óleo sacro unctus est sacérdos Véteris Testaménti et in monte Hor depósitus.

2. Viénnæ in Gállia Lugdunénsi, sancti Martíni, epíscopi.

3. In monastério Bebronnénsi in pago Gálliæ Lugdunénsi, sancti Domitiáni, abbátis, qui primus illic eremíticam vitam exércuit et, cum plúrimos illuc in Dei servítium congregásset, tandem cælo inténtus in senectúte bona e sǽculo migrávit.

4. In território Néustriæ Reménsi, sancti Theodoríci, presbýteri, discípuli sancti Remígii epíscopi.

5. Engolísmæ in Aquitánia, sancti Epárchii, presbýteri, qui annos trigínta et novem in reclusióne explévit, soli oratióni déditus, discípulos suos docens: « Fides famem non timet ».

6*. In Británnia Minóre, sancti Golvéni, epíscopi, qui post vitam solitáriam sancto Paulo Leonénsi successísse fertur.

7*. In monastério Annínsulæ in pago Gálliæ Cenomanénsi, sancti Cariléfi, abbátis.

8*. Londínii in Anglia, beatórum Geórgii Beesley et Montfórdi Scott, presbyterórum et mártyrum, qui, sub Elísabeth regína Prima

propter sacerdótium cápite damnáti, per acérba torménta ad palmam martýrii pervenérunt.

9*. Ibídem, beáti Thomæ Maxfield, presbýteri et mártyris, qui, sub Iacóbo rege Primo, cápite damnátus quod sacérdos in Angliam venísset, supplícium súbiit in Tybúrni patíbulo flóribus serto, ex insígni adstántium fidélium erga eum pietáte.

10. Ibídem, sancti Olivérii Plunkett, epíscopi Armacháni et mártyris, qui, sub Cárolo rege Secúndo proditiónis falso insimulátus et cápite damnátus, in conspéctu adstántis multitúdinis ante patíbulum, inimícis ignóscens, fírmiter cathólicam fidem ad últimum proféssus est.

11*. In salo ante Rupifórtium ad oram Gálliæ, beatórum Ioánnis Baptístæ Duverneuil, ex Ordine Carmelitárum Discalceatórum, et Petri Arédii Labrouhe de Laborderie, canónici Arvérni, presbyterórum et mártyrum, qui, gállica perturbatióne sæviénte, simul propter sacerdótium in navi servitútis deténti, morbo conLécti periérunt.

12*. Vallléttæ in ínsula Meliténsi, beáti Ignátii Falzon, qui, cléricus, in oratiónem et christiánæ doctrínæ institutiónem incúbuit, magnam præstans curam pro milítibus nautísque assidéndo, ut ad fidem cathólicam pervenírent, ántequam in bellum proficisceréntur.

13. In vico *Zhuhedian* apud *Jieshui* in Hunanénsi Sinárum província, sancti Zhang Huailu, mártyris, qui in persecutióne sectatórum «Yihetuan» adhuc catechúmenus sponte se christiánum proféssus est et, signo crucis munítus, próprio sánguine in Christo méruit baptizári.

14. In vico *Rancho de las Cruces* pagi Guadalaiarénsis in México, sanctórum Iustíni Orona et Atiláni Cruz, presbyterórum et mártyrum, qui in persecutióne mexicána ob Christi regnum simul enecáti sunt.

15*. Prope Monáchium Baváriæ in Germánia, beáti Ioánnis Nepomucéni Chrzan, presbýteri et mártyris, qui, polónus natióne, témpore belli, intra castra detentiónis Dacháni in fide defendénda coram persecutóribus passiónem complévit.

Die 2 iulii

Sexto Nonas iúlii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
26	27	28	29	30	1	1	2	3	4	5	6

1. Romæ in cœmetério Dámasi via Aurélia miliário secúndo, sanctórum Procéssi et Martiniáni, mártyrum.

2. Commemorátio sanctórum mártyrum Liberáti, abbátis, Bonifátii, diáconi, Servi et Rústici, subdiaconórum, Rogáti et Séptimi, monachórum, et Máximi púeri, qui Carthágine in persecutióne vandálica sub Hunneríco rege ariáno, pro confessióne cathólicæ fídei et únici baptísmatis defensióne diris supplíciis exagitáti, demum super ligna, quibus concremáti erant, clavis confíxi, remórum véctibus percússi et comminútis cérebris enecáti, speciósum cursum certáminis sui, coronánte Dómino, perfecérunt.

3. Turónis in Néustria, sanctæ Monegúndis, Deo sacrátæ, quæ, pátria parentibúsque desértis, soli oratióni vacávit.

4. Vintóniæ in Anglia, sancti Swithíni, epíscopi, austeritáte et dilectióne páuperum præclári, qui multas cóndidit ecclésias, quas semper pédibus ambulándo visitávit.

5*. Sétiæ in Látio, sancti Lídani, abbátis et monastérii loci fundatóris, qui ópera monachórum ex paludósa infestatióne circumiécta liberáre stúduit.

6*. Villæ Nóvæ prope Aveniónem in Gállia, tránsitus beáti Petri de Luxembúrgo, epíscopi Meténsis, pæniténtiis ac oratióni semper inténti.

7*. Fabriáni in Picéno Itáliæ, commemorátio beatórum Ioánnis et Petri Becchetti, presbyterórum ex Ordine Eremitárum Sancti Augustíni, quos éadem conversátio vitæ magis quam sánguinis víncula coniúnxit.

8. Lýciæ in Apúlia, sancti Bernardíni Realino, presbýteri e Societáte Iesu, qui, caritáte et benignitáte clarus, mundánis honóribus posthábitis, captivórum infirmorúmque curæ pastorál i atque verbi ac pæniténtiæ ministério se dedit.

9*. Leódii in Bélgio, beátæ Eugéniæ Joubert, vírginis e Congregatióne Sacræ Famíliæ a Sacro Corde, quæ in tradéndam puérulis christiánam doctrínam incúbuit et, phthisi corrépta, Christum patiéntem amánter secúta est.

Die 3 iulii

Quinto Nonas iúlii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
27	28	29	30	1	2	2	3	4	5	6	7

Festum sancti Thomæ, Apóstoli, qui céteris discípulis nuntiántibus Iesum surrexísse non crédidit, sed, cum Iesus ipse ei præbuit latus perforátum, exclamávit: «Dóminus meus et Deus meus». De qua fide índicos evangelizásse pópulos tráditur.

2. Laodicéæ in Sýria, commemorátio sancti Anatólii, epíscopi, qui non solum religiósis viris, sed et philósophis admiránda scripta relíquit.

3. Bízyæ in Thrácia, sancti Memnónis centuriónis, mártyris, qui, tempóribus Diocletiáni et Maximiáni a sancto Sevéro ad fidem convérsus, cum eo atrócibus torméntis excruciátus, primus victor ábiit in cælum.

4. In Mœsia, commemorátio sanctórum Marci et Mociáni, mártyrum, qui, cum idólis immoláre denegárent et Christum immo veheméntius confiteréntur, pro Christo cápite cæsi sunt.

5. Altíni in Venétia, sancti Heliodóri, epíscopi, qui, sancti Valeriáni Aquileiénsis magistério institútus, sodális fuit sanctórum Chromátii et Hierónymi primúsque sedem episcopálem huius civitátis ténuit.

6*. Constantinópoli, sancti Anatólii, epíscopi, qui orthodóxam fidem in duas Christi natúras in tomo sancti Leónis papæ ad Flaviánum expréssam proféssus est et in Concílio Chalcedonénsi profiténdam curávit.

7. Romæ apud sanctum Petrum, sancti Leónis papæ Secúndi, græca latináque linguis erudíti, paupertáti ac paupéribus amíci, qui tértium Concílium Constantinopolitánum suscépit.

8*. Tolósæ ad Garúmnam Gálliæ, sancti Raymúndi Gayrard, qui, scholárum magíster, uxóre orbátus caritátis opéribus studióse incúbuit ac hospítium fundávit, dein inter canónicos basílicæ Sancti Saturníni ascítus est.

9. In urbe *Hưng Yên* in Tunquíno, sancti Ioséphi Nguyễn Đình Uyển, mártyris, qui, catechísta, sub imperatóre Minh Mạng in ódium fídei christiánæ in cárcere óbiit.

10. In urbe *Vĩnh Long* in Cocincína, sancti Philíppi Phan Văn Minh, presbýteri et mártyris, qui sub imperatóre Tự Đức pro Christo decollatiónem cápitis perpéssus est.

11*. In óppido *Fuencarral* prope Matrítum in Hispánia, beátæ Maríæ Annæ Mogas Fontcuberta, vírginis, quæ pro puéllis instituéndis et paupéribus ægrotísque assidéndo Congregatiónem Sorórum a Matre Divíni Pastóris fundávit.

12. In palúde apud vicum *Dongyangtai* prope *Shenxian* in *Hebei* Sinárum província, sanctórum Petri Zhao Mingzhen et Ioánnis Baptístæ Zhao Mingxi, mártyrum, qui, fratres, in persecutióne ab ásseclis sectæ «Yihetuan» excitáta, salútis suæ immémores, dum mulíeres puerósque christiános fugiéntes tuebántur, ab inimícis necáti sunt.

Die 4 iulii

Quarto Nonas iúlii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
9	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
28	**29**	**30**	**1**	**2**	**3**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**

Sanctæ Elísabeth, quæ, Lusitanórum regína, in regum discórdiis componéndis et in caritáte erga páuperes admirábilis, cóniuge Dionýsio rege defúncto, vitam religiósam ampléxa est inter moniáles Tértii Ordinis Sanctæ Claræ in cœnóbio Stremóntii in Lusitánia ab ipsa cóndito, ubi ad Deum migrávit, dum fílium et génerum reconciliáre conabátur.

2. In Africa, sancti Iucundiáni, mártyris.

3. In vico Vistíno pagi Bituricénsis in Aquitánia, sancti Lauriáni, mártyris.

4*. Cadúrci in Aquitánia, sancti Floréntii, epíscopi, quem sanctus Paulínus Nolánus laudat húmilem corde, fortem in grátia dulcémque in verbo.

5*. Apud Língones item in Aquitánia, sancti Valentíni, presbýteri et eremítæ.

6*. Blangíaci in pago Gálliæ Atrebaténsi, sanctæ Berthæ, abbatíssæ, quæ, in monastérium ab ipsa cónditum cum fíliis Gertrúda et Deotíla ingréssa, post áliquot annos in cellam se reclúsit.

7. Eréssi in Lesbo ínsula, tránsitus sancti Andréæ Creténsis, epíscopi Gortyniénsis, qui oratiónibus, hymnis et cánticis laudes Deo singulári arte cécinit et Vírginem Dei Genetrícem immaculátam et in cælum assúmptam exaltávit.

8. Augústæ Vindelicórum in Bavária, sancti Udalríci, epíscopi, mira abstinéntia, largitáte et vigilántia illústris, qui post quinquagínta annos in episcopátu nonagenárius óbiit.

9*. In monastério Altæ Cumbæ ad lacum Burgétum in Sabáudia, depositio beáti Bonifátii, epíscopi, qui, e stirpe régia, primum ábditus inter Cartusiános, dein ad sedem Bellicénsem, tandem Cantuariénsem evéctus, in gregis sui curam semper incúbuit.

10*. Floréntiæ in Etrúria, beáti Ioánnis de Vespiniáno.

11*. Dorcéstriæ in Anglia, beatórum mártyrum Ioánnis, cognoménto Cornélii, presbýteri in Societátem Iesu paulo ante admíssi, Thomæ Bosgrave, Ioánnis Carey et Patrícii Salmon, laicórum, qui ipsi sacerdóti subvenérunt; omnes simul sub Elísabeth regína Prima martýrio Christum clarificavérunt.

12*. Eboráci item in Anglia, beatórum mártyrum Guliélmi Andleby, presbýteri, Henríci Abbot, Thomæ Warcop et Eduárdi Fulthorp, laicórum, qui, in eádem persecutióne propter fidelitátem erga Ecclésiam cápite damnáti, simul per patíbuli supplícia ad ætérna prǽmia migravérunt.

13. Apud Hurónes in território Canadénsi, sancti Antónii Daniel, presbýteri e Societáte Iesu et mártyris, qui, Missa perfécta, ad fores oratórii assístens in tutéla neophytárum ab inimícis éthnicis irrumpéntibus, sagíttis perfúsus et tandem igne combústus est. Cuius memória cum sóciis ágitur die undevicésima octóbris.

14*. Mauríaci ad montem Celtórum in Gállia, beátæ Catharínæ Jarrige, vírginis, quæ, sodális Tértii Ordinis Sancti Domínici, paupéribus ægrotísque adiuvándis præclára, témpore gállicæ perturbatiónis, omni ope sacerdótes a seditiósis vestigatóribus defféndit et in cárcere inclúsos visitávit.

15. In urbe Hemceuvénsi in Hunanénsi Sinárum província, sancti Cæsídii Giacomantonio, presbýteri ex Ordine Minórum et mártyris, qui in persecutióne a fautóribus factiónis «Yihetuan» patráta, dum Sanctíssimum Sacraméntum a satéllitum turba protégere conabátur, lapídibus óbrutus et línteo petróleo imbúto involútus igne occúbuit.

16*. Augústæ Taurinórum in Itália, beáti Petri Geórgii Frassati, qui, iúvenis in consociatiónibus laicórum catholicórum mílitans, in societátem excitándam et caritátem erga páuperes ægrotósque exercéndam totum ánimum alácriter impéndit, donec parálysi fulmínea corréptus occúbuit.

17*. In campo exítii *Oświęcim* seu *Auschwitz* prope Cracóviam in Polónia, beáti Ioséphi Kowalski, mártyris, qui, témpore belli, cárceri propter Christum datus est, ubi cruciátibus afféctus martýrium consummávit.

Die 5 iulii

Tértio Nonas iúlii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
10	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
29	**30**	**1**	**2**	**3**	**4**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**

Sancti Antónii Maríæ Zaccaria, presbýteri, qui ad reformándos fidélium mores Congregatiónem Clericórum Regulárium Sancti Pauli seu Barnabitárum instítuit et Cremónæ in Langobárdia ad Salvatórem migrávit.

2. Rhégii Iúlii in Calábria, sancti Stéphani de Nicǽa, epíscopi et mártyris.

3. Cyréne in Líbya, sanctæ Cypríllæ, mártyris, quæ, ut narrátur, in persecutióne Diocletiáni imperatóris ardéntes carbónes cum thure super manum pósitos diu ténuit, ne prunas excutiéndo thus obtulísse viderétur; deínde, sævíssime laniáta, próprio decoráta sánguine migrávit ad Sponsum.

4. Commemorátio sancti Athanásii Hierosolymitáni, diáconi ecclésiæ Sanctæ Resurrectiónis et mártyris, qui a Theodósio mónacho hærético trucidátus est, eo quod eius impietátem exprobrásset et sanctam Sýnodum Chalcedonénsem contra adversários defendísset.

5. Item commemorátio sancti Dométii, cognoménto Médici, eremítæ in monte *Quros* in Arménia.

6*. In monte Mirábili in Sýria, sanctæ Marthæ, matris sancti Simeónis Stylítæ iunióris.

7*. In monastério Sanctæ Maríæ de Terréto prope Rhégium Iúlii in Calábria, sancti Thomæ, abbátis.

8*. In monte Atho, sancti Athanásii, hegúmeni, húmilis et pacífici, qui in Magna Laura cœnobíticam vivéndi ratiónem instítuit.

9*. Vexfórdiæ in Hibérnia, beatórum Matthǽi Lambert, Robérti Meyler, Eduárdi Cheevers et Patrícii Cavanagh, mártyrum, qui, primus pistor, álii vero náutici, propter fidelitátem Ecclésiæ Románæ servátam et auxílium cathólicis commodátum sub Elísabeth regína Prima suspénsi et exenteráti sunt.

10*. Oxónii in Anglia, beatórum mártyrum Geórgii Nichols, Richárdi Yaxley, presbyterórum, Thomæ Belson, ad sacerdótium destináti, et Humphrédi Pritchard, qui sub eádem regína cápite damnáti, álii quod sacerdótes in Angliam ingréssi essent, álii vero quod illos adiuvíssent, patíbuli subiérunt supplícia.

11. Prope vicum *Huangeryin* apud *Ningjinxian* Sinárum *Hebei* provínciæ, sanctárum Terésiæ Chen Jinxie et Rosæ Chen Aixie, vírginum et mártyrum, quæ, soróres, in persecutióne a sectatóribus «Yihetuan» gesta, ut virginitátis decus fidémque christiánam servárent, corruptélæ barbarǽque persecutórum immanitáti fórtiter obníxæ sunt et lanceárum íctibus transfóssæ.

Die 6 iulii

Prídie Nonas iúlii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
30	1	2	3	4	5	5	6	7	8	9	10

Sanctæ Maríæ Goretti, vírginis et mártyris, quæ puerítiam transégit ásperam, matrem ádiuvans in domésticis negótiis et oratióne assídua, et duodécimo ætátis anno, castitátem contra aggressórem deféndens prope Neptúnum in Látio Itáliæ pugiónis íctibus confóssa enecáta est.

2*. Nicomedíæ in Bithýnia, sanctæ Cyríacæ, vírginis et mártyris sub Diocletiáno, quæ Tropǽæ in Calábria summa veneratióne cólitur.

3. Fǽsulis in Etrúria, sancti Rómuli, diáconi, qui primus civitátis martyr celebrátur.

4*. In Ægýpto, sancti Sísoes, cognoménto Magni, eremítæ, exercítio vitæ monásticæ ádmodum insígnis.

5*. In Scótia, commemorátio sancti Palládii, epíscopi, qui, ex urbe Roma in Hibérniam missus, dum sanctus Germánus Autissiodorénsis apud Británnos errórem Pelágii impugnábat, ibídem óbiit.

6*. In território Armacháno in Hibérnia, sanctæ Monénnæ, abbatíssæ monastérii *Killeevy* ab ipsa fundáti.

7. Ad ripam Rheni flúminis, sancti Goáris, presbýteri, ex Aquitánia oriúndi, qui, epíscopo Trevirénsi favénte, hospítium et oratórium exstrúxit, ut peregrínos suscíperet eorúmque animárum salúti consúleret.

8*. In pago Condatiscénsi ad Iuram in Burgúndia, sancti Iusti, mónachi.

9. Londínii in Anglia, pássio sancti Thomæ More, qui die vigésima secúnda iúnii una cum sancto Ioánne Fisher commemorátur.

10*. Ibídem, beáti Thomæ Alfield, presbýteri et mártyris, qui primum extórtus fidem cathólicam abiurávit, sed in exsílium pulsus, pǽnitens in pátriam revértit et sub Elísabeth regína Prima, quod quamdam Apológiam pro cathólicis distribuísset, Tybúrni patíbuli supplícium perpéssus est.

11*. Ad áncoram in alto ante Rupifórtium ad oram Gálliæ, beáti Augustíni Ioséphi (Elíæ) Desgardin, mónachi ex Ordine Cisterciénsi et mártyris, qui, témpore gállicæ perturbatiónis, in ódium religiónis de monastério Septem Fóntium sublátus est et, in squálidam navem coniéctus, morbo corréptus in concaptívis ægrótis sustinéndis óbiit.

12*. Arausióne item in Gállia, beátæ Susánnæ Agathæ (Maríæ Rosæ) de Loye, vírginis ex Ordine Sancti Benedícti et mártyris, quæ, gállica perturbatióne sæviénte, prima ex turma trigínta duárum religiosárum

e váriis Ordínibus et convéntibus in eódem cárcere congregatárum, in vita religiósa perseverávit et, in ódium nóminis christiáni diébus sequéntibus cum áliis damnáta, ad patíbulum impávida accéssit.

13. In loco *Shuangzhong* apud *Jixian* in *Hebei* Sinárum província, sancti Petri Wang Zuolong, mártyris, qui in persecutióne sectatórum «Yihetuan», cum in idólium ductus Christi fidem abiuráre renuísset, palo suspénsus est.

14*. Romæ, beátæ Maríæ Terésiæ Ledóchowska, vírginis, quæ Afris servitúte oppréssis totam se trádidit et Sodalítium Sancti Petri Claver fundávit.

15*. Bonaerópoli in Argentína, beátæ Nazáriæ a Sancta Terésia March Mesa, vírginis, quæ, in Hispánia nata et in Méxicum cum família immigráta, zelo missionário animáta totam se cóntulit ad evangelizándos páuperes in váriis Américæ latínæ natiónibus et Institútum Missionariárum Cruciatárum Ecclésiæ fundávit.

Die 7 iulii

Nonis iúlii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
12	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**30**

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
1	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**

1. Commemorátio sancti Pantǽni Alexandríni, viri apostólici et omni sapiéntia adornáti, cuius stúdium et amor erga verbum Dei tantus fuísse tráditur, ut fide et devotióne succénsus ad Christi Evangélium géntibus prædicándum proficiscerétur, quæ in longínquis Oriéntis secéssibus recondúntur, ac demum, Alexandríam revérsus, ibi, sub Antoníno Caracálla imperatóre, in pace quiévit.

2. Eboríaci in pago Meldénsi Aquitániæ, sanctæ Ædilbúrgæ, abbatíssæ monastérii Farénsis, quæ, regis Anglórum orientálium fília, sevéra córporis abstinéntia perpetuáque virginitáte glóriam Deo réddidit.

3. Vintóniæ in Anglia, sancti Heddæ, epíscopi Sáxonum occidentálium, viri sapiéntia clari, qui e Dorcéstria in hanc civitátem sancti Biríni corpus tránstulit et sedem suam stabilívit.

4. Dryópoli in Francónia, sancti Willibáldi, epíscopi, qui, mónachus factus, per loca sancta multásque regiónes ad vitam monásticam instaurándam diu peregrinátus est, tandem sancto Bonifátio, a quo primus huius civitátis epíscopus ordinátus est, in ópere Germániæ evangelizándæ subvénit et multas convértit ad Christum gentes.

5*. Tamláchti in Hibérnia, sancti Mæl Ruain, epíscopi et abbátis, qui sacræ litúrgiæ celebratiónem, cultum sanctórum et monásticam disciplínam impénse instaurávit.

6. Urgélli in Cataláunia Hispániæ, sancti Odónis, epíscopi, qui, adhuc láicus pópuli acclamatióne eléctus et confirmátus, humilióres deféndit et ómnibus benígnum se præbuit.

7*. Perúsiæ in Umbria, tránsitus beáti Benedícti papæ Undécimi, ex Ordine Prædicatórum, qui, benígnus et mitis, iurgiórum vindex et pacis amátor, brevi pontificátus sui spátio, Ecclésiæ pacem, disciplínæ instauratiónem, religiónis increméntum promóvit.

8*. Fossáni in Subalpínis, beáti Oddíni Barotti, presbýteri, qui, párochus páuper et vita austérus, dum contágio sæviébat, die ac nocte totas vires consúmpsit in ægrótos et moribúndos.

9*. Vintóniæ in Anglia, beatórum mártyrum Rogérii Dickinson, presbýteri, et Radúlphi Milner, agrícolæ et patrisfamílias páuperis et litterárum expértis, sed fide firmi, qui sub Elísabeth regína Prima simul capti sunt et patíbuli supplíciis necáti; cum illis beátus Lauréntius Humphrey commemorátur, qui, cum cathólicam fidem iúvenis ampléxus esset, incérto die ibídem suspéndio occúbuit.

10*. In freto maris ante Rupifórtium in Gállia, beáti Ioánnis Ioséphi Juge de Saint-Martin, presbýteri et mártyris, qui, canónicus Lemovicénsis, témpore gállicæ perturbatiónis propter sacerdótium in navi servitútis inhumáne deténtus est, ubi morbo consúmptus ad Dóminum migrávit.

11*. Arausióne item in Gállia, beátæ Iphigeníæ a Sancto Matthǽo (Francíscæ Maríæ Suzánnæ) de Gaillard de la Valdène, vírginis ex Ordine Sancti Benedícti et mártyris témpore gállicæ perturbatiónis.

12. Prope urbem Hemceuvénsem in Hunanénsi província Sinárum, sanctórum Antoníni Fantosati, epíscopi, et Ioséphi Maríæ Gambaro, presbýteri ex Ordine Minórum, qui, in persecutióne ab ásseclis «Yihetuan», cum ad ripam appulíssent ad fidélibus auxílium præstándum, lapidáti occubuérunt.

13. Apud urbem Ueihœivénsem in *Hebei* província item in Sinis, sancti Marci Ji Tianxiang, mártyris, qui, trigínta annos ab Eucharístiæ convívio prohíbitus quod ópii usu abstinére nolúerat, pium tamen vitæ éxitum imploráre non déstitit et, in iudícium vocátus constantíque ánimo fidem Christi proféssus, convívium ætérnum adéptus est.

14. In vico *Hujiacun* apud *Shenxian* item in *Hebei*, sanctæ Maríæ Guo Lizhi, mártyris, quæ in eádem persecutióne, quasi áltera mater Macchabæórum, septem ex família sua, quos in locum supplícii comitabátur, ad ánimi constántiam confirmávit petens, ut ipsa póstea cæderétur; dénique, quos ad cælum præmíserat, eos subsecúta est.

15*. In vico *Rakunai* in Nova Británnia Melanésiæ ínsula, beáti Petri To Rot, mártyris, qui, paterfamílias et catechísta, áltero totíus mundi bello sæviénte, comprehénsus quod in offício suo perseverásset, letális venéni iniectióne martýrium consummávit.

16*. Legióne in Nicarágua, beátæ Maríæ Romero Meneses, vírginis ex Institúto Filiárum Maríæ Auxiliatrícis, quæ in diciónibus Oræ Dívitis pro institutióne puellárum, præsértim páuperum et derelictárum, benígne nisa est et pietátem erga Eucharístiam et Beátam Vírginem Maríam valde diffúdit.

Die 8 iulii

Octávo Idus iúlii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
2	3	4	5	6	7	7	8	9	10	11	12

1. Commemorátio sanctórum Aquilæ et Priscæ seu Priscíllæ, cóniugum, qui, sancti Pauli Apóstoli adiutóres, in domo sua Ecclésiam hospítio accipiébant et pro eo cervíces suas supposuérunt.

2. Heracléæ in Thrácia, sanctæ Glycériæ, mártyris.

3. Cæsaréæ in Palæstína, sancti Procópii, mártyris, qui sub Diocletiáno imperatóre ab urbe Scythópoli ductus Cæsaréam, illic, ad primam responsiónum suárum confidéntiam, a iúdice Fabiáno cápite cæsus est.

4. Tauroménii in Sicília, sancti Pancrátii, epíscopi et mártyris, qui huic Ecclésiæ primus créditur præfuísse.

5. Tulli in Gállia Bélgica, sancti Auspícii, epíscopi.

6*. In Rhenánia, sancti Disibódi, eremítæ, qui, congregátis quibúsdam sóciis, monastérium cóndidit prope ripam Navæ flúminis.

7*. Belísiæ in Brabántia, sanctæ Landrádæ, abbatíssæ.

8. Herbípoli in Austrásia, sancti Kiliáni, epíscopi et mártyris, qui, ex Hibérnia oriúndus, ad prædicándum Evangélium illuc pervénit et ob mores christiános diligénter custodítos trucidatióne martýrium consummávit.

9. Constantinópoli, pássio sanctórum monachórum Abrahamitárum, qui, ob cultum sacrárum Imáginum, sub Theóphilo imperatóre martýrium consummárunt.

10*. Spinæ Lambérti in Æmília, tránsitus sancti Hadriáni papæ Tértii, qui omni ope Ecclésiam Constantinopolitánam conciliáre Románæ

Ecclésiæ stúduit et, cum ad Gálliam iter fáceret, gravi morbo corréptus, sanctíssime óbiit.

11*. Tíburi in Látio, tránsitus beáti Eugénii papæ Tértii, qui, sancti Bernárdi diléctus discípulus, abbas præfuit monastério Sanctórum Vincéntii et Anastásii ad Aquas Sálvias et, ad sedem Románam eléctus, eníxe óperam dedit, ut christiánum pópulum Urbis ab infidélium insídiis defénderet atque ecclesiásticam disciplínam in mélius restitúeret.

12*. Shimabáræ in Iapónia, beáti Máncii Araki, mártyris, qui, cum domi beátum Francíscum Pacheco presbýterum recepísset, in cárcerem coniéctus est, ubi phthisi consúmptus óbiit.

13. In urbe Iomnienína in *Hebei* Sinárum província, sancti Ioánnis Wu Wenyin, mártyris, qui, catechísta, in persecutióne a fautóribus sectæ «Yihetuan» excitáta, cum a doctrína christiána ad éthnicos deffcere noluísset, cápite damnátus est.

Die 9 iulii

Séptimo Idus iúlii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
14	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**30**	**1**	**2**

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
3	4	5	6	7	8	8	9	10	11	12	13

Sanctórum Augustíni Zhao Rong, presbýteri, Petri Sans i Jordá, epíscopi, et sociórum,[1] mártyrum, qui váriis in ætá-

[1] Quorum nomina: sancti episcopi Aloysius Versiglia, Antoninus Fantosati, Franciscus Fogolla, Gabriel Taurinus Dufresse et Gregorius Grassi; presbyteri Cæsidius Giacomantonio, Elias Facchini, Ioannes de Triora (Franciscus Maria) Lantrua, Iosephus Maria Gambaro, Theodoricus Balat, ex Ordine Fratrum Minorum; Franciscus Díaz del Rincón, Franciscus Fernández de Capillas, Franciscus Serrano, Ioachim Royo, Ioannes Alcober, ex Ordine Prædicatorum; Leo Ignatius Mangin, Modestus Andlauer, Paulus Denn, Remigius Isoré, e Societate Iesu; Albericus Crescitelli, e Pontificio Instituto pro Missionibus exteris; Augustus Chapdelaine et Ioannes Petrus Néel, e Societate Parisiensi Missionum ad exteras gentes; Callistus Caravario, e Societate Salesiana; Franciscus Régis Clet, e Congregatione Missionis; Paulus Liu Hanzuo et Thaddæus Liu Ruiting; necnon Maria a Pace (Maria Anna) Giuliani, Maria a Sancta Natalia (Ioanna Maria) Kerguin, Maria a Sancto Iusto (Anna Francisca) Moreau, Maria Adolphina (Anna

tibus et locis Sinárum Evangélium Christi verbo et ópere strénue testáti sunt et ob prædicatiónem seu confessiónem fídei víctimæ persecutiónum gloriósis dápibus recreáti sunt.

2*. Régii Lépidi in Æmília, beátæ Ioánnæ Scopelli, vírginis ex Ordine Carmelitárum, quæ monastérium cóndidit ex donis concívium et panem soróribus in refectório oratióne suppeditáre váluit.

3*. Londínii in Anglia, beáti Hadriáni Fortescue, mártyris, qui, paterfamílias et eques, sub Henríco rege Octávoproditiónis calumnióse accusátus et bis in cárcere deténtus, demum obtruncáto cápite martýrium complévit.

4. Briélæ ad Mosam apud Bátavos, pássio sanctórum mártyrum Nicolái Pieck, presbýteri, et sociórum decem ex Ordine Fratrum Minórum et octo e clero diœcesáno vel reguläri,[2] qui, ob tuéndam doctrínam de præséntia Christi in Eucharístia et Ecclésiæ Románæ auctoritátem a

Catharina) Dierk, Maria Amandina (Paulina) Jeuris, Maria Clara (Clelia) Nanetti, Maria Ermellina a Iesu (Irma) Grivot, virgines ex Instituto Franciscalium Missionariarum Mariæ; Iosephus Zhang Wenlan et Paulus Chen Changpin, seminarii alumni; Ioannes Wang Rui, Ioannes Zhang Huan, Ioannes Zhang Jingguang, Patricius Dong Bodi, Philippus Zhang Zhihe, Andreas Bauer, Franciscus Zhang Rong, Matthias Feng De, Petrus Wu Anpeng, Petrus Zhang Banniu, Simon Chen Ximan, Thomas Shen Jihe, religiosi; Hieronymus Lu Tingmei, Ioachim He Kaizhi, Ioannes Chen Xianheng, Ioannes Zhang Tianshen, Iosephus Zhang Dapeng, Laurentius Wang Bing, Lucia Yi Zhenmei, Martinus Wu Xuesheng, Petrus Liu Wenyuan, Petrus Wu Guosheng, catechistæ; atque Agatha Lin Zhao, Agnes Cao Kuiying, Andreas Wang Tianqing, Anna An Jiaozhi, Anna An Xinzhi, Anna Wang, Barbara Cui Lianzhi, Elisabeth Qin Bianzhi, Iacobus Yan Guodong, Iacobus Zhao Quanxin, Ioannes Baptista Lou Tingyin, Ioannes Baptista Wu Mantang, Ioannes Baptista Zhao Mingxi, Ioannes Baptista Zhou Wurui, Ioannes Wang Guixin, Ioannes Wu Wenyin, Iosephus Ma Taishun, Iosephus Wang Guiji, Iosephus Wang Yumei, Iosephus Yuan Gengyin, Iosephus Yuan Zaide, Lang Yangzhi, Laurentius Bai Xiaoman, Lucia Wang Cheng, Lucia Wang Wangzhi, Magdalena Du Fengju, Marcus Ji Tianxiang, Maria An Guozhi, Maria An Lihua, Maria Du Tianshi, Maria Du Zhaozhi, Maria Fan Kun, Maria Fu Guilin, Maria Guo Lizhi, Maria Qi Yu, Maria Wang Lizhi, Maria Zhao Guozhi, Maria Zhao, Maria Zheng Xu, Maria Zhou Wuzhi, Martha Wang Louzhi, Paulus Ke Tingzhu, Paulus Lang Fu, Paulus Liu Jinde, Paulus Wu Juan, Paulus Wu Wanshu, Petrus Li Quanhui, Petrus Liu Ziyu, Petrus Wang Erman, Petrus Wang Zuolong, Petrus Zhao Mingzhen, Petrus Zhou Rixin, Raymundus Li Quanzhen, Rosa Chen Aixie, Rosa Fan Hui, Rosa Zhao, Simon Qin Chunfu, Teresia Chen Jinxie, Teresia Zhang Hezhi, Xi Guizi et Zhang Huailu, laici.

[2] Quorum nómina: sancti Hieronymus de Weert, Theodoricus van der Eem, Nicasius de Heeze, Willehadus de Dania, Godefridus de Melveren Coart, Antonius de Hoornaert, Antonius de Werta et Franciscus de Rauga, presbyteri ex Ordine Fratrum Minorum, necnon Petrus d'Assche van der Slagmolen et Cornelius de Dorestado, religiosi ex eodem Ordine; Ioannes Lenaerts, canonicus regularis Sancti Augustini; Ioannes Coloniensis, presbyter ex Ordine Prædicatorum; Hadrianus de Hilvarenbeek, Iacobus Lacops, presbyteri ex Ordine Præmonstratensium; Leonardus Vechel, Nicolaus Poppel, Godefridus van Duynen, Andreas Wouters, presbyteri.

calviniánis vária ludíbria et torménta perpéssi, tandem láqueo suspénsi agónem consummárunt.

5. Tiférni Tiberíni in Umbria, sanctæ Verónicæ Giuliani, abbatíssæ ex Ordine Clarissárum Capuccinárum, quæ, charismátibus spiritálibus prǽdita, córpore et ánimo cum passióne Christi communicávit, quaprópter in custódiam data est quinquagínta dies, mirándum patiéntiæ et obœdiéntiæ spécimen prǽbens.

6*. Arausióne in Província Gálliæ, beatárum Meláníæ et Maríæ Annæ Magdalénæ de Guilhermier atque Maríæ Annæ Margarítæ ab Angelis de Rocher, vírginum ex Ordine Sanctæ Ursulæ et mártyrum témpore gállicæ perturbatiónis.

7. In civitáte Cœiiaménsi in *Guizhou* Sinárum província, sancti Ióachim He Kaizhi, mártyris, catechístæ pro Christi fide strangulati.

8. In civitáte Tæiuenénsi in província *Shanxi* item in Sinis, pássio sanctórum Gregórii Grassi et Francísci Fogolla, episcopórum ex Ordine Fratrum Minórum, et vigínti quáttuor sociórum,[3] mártyrum, qui in persecutióne sectatórum «Yihetuan» in ódium nóminis christiáni necáti sunt.

9. Paulópoli in Brasília, sanctæ Paulínæ a Corde Iesu Agonizánte (Amábilis) Visintainer, vírginis, quæ, puélla ex Itália migráta, Congregatiónem Parvárum Sorórum Immaculátæ Conceptiónis in servítium ægrotórum et páuperum fundávit, cui, multas post ærúmnas, in máxima humilitáte et assídua oratióne servívit.

10*. Dacháni prope Monáchium Baváriæ in Germánia, beáti Fidélis Chijnacki, religiósi ex Ordine Fratrum Minórum Capuccinórum et

[3] Quorum nomina: sancti Elias Facchini, Theodoricus Balat, presbyteri, et Andreas Bauer, religiosus, ex Ordine Fratrum Minorum; Maria Ermellina a Iesu (Irma) Grivot, Maria a Pace (Maria Anna) Giuliani, Maria Clara (Clelia) Nanetti, Maria a Sancta Natalia (Ioanna Maria) Kerguin, Maria a Sancto Iusto (Anna Francisca) Moreau, Maria Adolphina (Anna Catharina) Dierk, Maria Amandina (Paulina) Jeuris, religiosæ ex Instituto Franciscalium Missionariarum Mariæ; et adhuc Ioannes Zhang Huan, Patricius Dong Bodi, Philippus Zhang Zhihe, Ioannes Zhang Jingguang, Ioannes Wang Rui, Thomas Shen Jihe, Simon Chen Ximan, Petrus Wu Anpeng, Franciscus Zhang Rong, Matthias Feng De, Iacobus Yan Guodong, Petrus Zhang Banniu, Iacobus Zhao Quanxin, Petrus Wang Erman.

mártyris, qui, e Polónia sub nefándo regímine coácta in castra detentiónis propter Christi confessiónem addúctus, torméntis excruciátus glóriam ætérnam adéptus est.

Die 10 iulii

Sexto Idus iúlii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
4	5	6	7	8	9	9	10	11	12	13	14

1. Romæ, sanctórum mártyrum Felícis et Philíppi in cœmetério Priscíllæ, Vitális, Martiális et Alexándri in Iordanórum, Siláni in Máximi, et Ianuárii in Prætextáti; quorum coniúncta memória gaudet Ecclésia Romána, quæ una die tot glorificátur triúmphis, quia cum multíplici exémplo multiplicáta intercessióne munítur.

2. Via Cornélia miliário nono ab urbe Roma, sanctárum Rufínæ et Secúndæ, mártyrum.

3. In Sabínis, sanctárum Anatóliæ et Victóriæ, mártyrum.

4. In Africa, sanctórum Ianuárii et Maríni, mártyrum.

5. Icónii in Lycaónia, sancti Apollónii Sardénsis, mártyris, qui per crucem martýrium consummavísse fertur.

6. Nicópoli in Arménia, sanctórum Leóntii, Maurítii, Daniélis, Antónii, Anicéti, Sisínni et aliórum, mártyrum, qui sub Licínio imperatóre et Lýsia præside multímodis excruciáti sunt.

7. In Pisídia, sanctórum Biánoris et Silváni, mártyrum.

8*. Nannétibus in Británnia Minóre, sancti Paschárii, epíscopi, qui sanctum Hermelándum e Fontanéllæ convéntu postulátum cum duó-

decim sóciis suscépit et in Antro ínsula collocávit, ut monastérium fundáret.

9. Tamísiæ in Flándria, sanctæ Amalbérgæ, cui sanctus Willibrórdus sacrárum vírginum velámen impósuit.

10*. Perúsiæ in Umbria, sancti Petri Vincioli, presbýteri et abbátis, qui antíquam ecclésiam Sancti Petri fatiscéntem dénuo ædificávit eíque monastérium coniúnxit, quo, inter crebras oppositiónes, sed máxima cum patiéntia, consuetúdines Cluniacénses introdúxit.

11. Ottóniæ in Dánia, sancti Canúti, mártyris, qui, rex zelo succénsus, in regno suo cultum divínum amplificávit, statum clericórum promóvit et, Ecclésiis Lundénsi et Ottoniénsi fundátis, demum a cívibus quibúsdam seditiósis interféctus est.

12*. Arausióne in Província Gálliæ, beatárum Maríæ Gertrúdis a Sancta Sóphia de Ripert d'Alauzin et Agnétis a Iesu (Sýlviæ) de Romillon, vírginum ex Ordine Sanctæ Ursulæ et mártyrum in tempestátibus gállicæ perturbatiónis.

13. In urbe *Đồng Hới* in Annámia, sanctórum Antónii Nguyễn Hữu (Nam) Quỳnh et Petri Nguyễn Khắc Tự, mártyrum, qui, catechístæ, ob Christi fidem sub imperatóre Minh Mạng stranguláti sunt.

14*. Damásci in Sýria, pássio beatórum mártyrum Emmanuélis Ruiz, presbýteri, et sociórum,[4] septem ex Ordine Fratrum Minórum et trium germanórum fidélium ex Ecclésia Maronitárum, qui, hóstibus frauduléntor a proditóre tráditi, váriis propter fidem vexáti suplíciis gloriósa morte martýrium complevérunt.

[4] Quorum nomina: beati Carmelus Volta, Petrus Soler, Nicolaus Alberca, Engelbertus Kolland, Ascanius Nicanor, presbyteri, atque Franciscus Pinazo et Ioannes Iacobus Fernández, religiosi, ex Ordine Fratrum Minorum; Franciscus, Mootius et Raphael Massabki, germani.

Die 11 iulii

Quinto Idus iúlii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
5	6	7	8	9	10	10	11	12	13	14	15

Memória sancti Benedícti, abbátis, qui, Núrsiæ in Umbria natus et Romæ educátus, vitam eremíticam inchoávit in regióne Sublacénsi, multos discípulos circa se cóngregans, deínde Casínum se cóntulit, ubi célebre cóndidit monastérium et Régulam compósuit, quæ per omnes regiónes sic pervásit, ut ipse appellári mererétur patriárcha monachórum in Occidénte. Obiísse tráditur die vigésima prima mártii.

2. Romæ, commemorátio sancti Pii papæ Primi, qui, germánus Hermæ illíus, auctóris óperis cui títulus «Pastor», quíndecim annos et ipse pastor bonus Ecclésiam custodívit.

3. Icónii in Lycaónia, sancti Marciáni, mártyris, qui sub Perénnio prǽside per multa torménta ad palmam pervénit.

4. Cæsaréæ in Mauretánia, sanctæ Marciánæ, vírginis, quæ ad béstias damnáta martýrium consummávit.

5*. Burdígalæ in Aquitánia, sancti Leóntii, epíscopi, qui plebis et urbis honor, necnon templórum cultor, sacri baptísmatis aulæ instaurátor atque tácitus largítor egenórum enítuit.

6*. Ad Varæ æstuárium in Scótia, sancti Drostáni, abbátis, qui váriis monastériis prǽfuit, demum eremíticam vitam exégit.

7*. Desertínæ in Rǽtia Superióre, sanctórum Plácidi, mártyris, et Sigisbérti, abbátis, quorum alter, sócius sancti Columbáni, monastérium Sancti Martíni ibídem cóndidit, in quo prior vitam monásticam martýrio coronávit.

8*. In monastério Mediáno in monte Vósego, sancti Hidúlphi, qui chorepíscopus Tréviris in solitúdinem recéssit et, discípulis affluéntibus, cœnóbium fundávit et rexit.

9. Córdubæ in Vandalícia Hispániæ regióne, sancti Abúndii, presbýteri, qui in Maurórum persecutióne, cum a iúdice interrogátus intrépida responsióne ratiónem fídei pánderet, céleri indignatióne mota, perémptus est, cánibus et béstiis devorándus expósitus.

10. Kióviæ in Rússia, sanctæ Olgæ, sancti Vladimíri áviæ, quæ prima Rurikidórum baptísmum simul cum nómine Hélena recépit et cuncto pópulo Rússiæ viam ad Christum parávit.

11*. In monastério Grandis Silvæ in pago Tolosáno Gálliæ, beáti Bertrándi, abbátis, qui, regulárem disciplínam stabilíre cúpiens, monastérium suum in Ordinem Cisterciénsem aggregávit.

12*. Vibúrgi in Dánia, sancti Ketílli, presbýteri et canónici reguláris, qui in schola capítuli summópere díligens fuit et conversatiónis exémplar.

13*. Lincólniæ in Anglia, commemorátio beatórum Thomæ Benstead et Thomæ Sprott, presbyterórum et mártyrum, sub Elísabeth regína Prima propter sacerdótium incérto huius mensis die morti traditórum.

14*. Arausióne in Província Gálliæ, beatárum Rosalíæ Clotíldis a Sancta Pelágia Bès, Maríæ Elísabeth a Sancto Theoctísto Pélissier, Maríæ Claræ a Sancto Martíno Blanc et Maríæ Margarítæ a Sancta Sóphia de Barbegie d'Albarède, vírginum et mártyrum pro Christo in gállica perturbatióne.

15. In vico *Liugongyin* prope *Anping* in província *Hebei* Sinárum, sanctárum Annæ An Xinzhi, Maríæ An Guozhi, Annæ An Jiaozhi et Maríæ An Lihua, vírginum et mártyrum, quæ, cum nullo modo addúci potuíssent, ut ad impietátem transfúgerent, in persecutióne sectatórum «Yihetuan» decollátæ sunt.

Die 12 iulii

Quarto Idus iúlii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
6	7	8	9	10	11	11	12	13	14	15	16

2. Aquiléiæ in Venétia, sanctórum Fortunáti et Hermágoræ, mártyrum.

3. Medioláni in Ligúria, sanctórum Náboris et Felícis, mártyrum, qui, mílites ex Mauretánia orti, Laude Pompéia in persecutióne passi esse tradúntur et Medioláni sepúlti.

4. Fani in Picéno Itáliæ, sancti Paterniáni, epíscopi.

5. Lugdúni in Gállia, sancti Viventíoli, epíscopi, qui e schola monastérii Sancti Eugéndi ad episcopátum promótus, Concílio Epaonénsi cléricos et láicos ut adéssent indúxit, quo mélius pontíficum statúta pópulus agnóscere posset.

6. Passiniáni in Etrúria, sancti Ioánnis Gualbérti, abbátis, qui miles florentínus interfectóri fratris ob Christi amórem pepércit, dein hábitum monásticum recépit, sed, arctiórem vitam ducéndi studiósus, in Valle Umbrósa novæ famíliæ monásticæ fundaménta iecit.

7*. In monastério Cavénsi in Campánia, sancti Leónis abbátis Primi, qui paupéribus próprio mánuum labóre provídit eósque protéxit apud príncipes.

8*. Apud Londínium in Anglia, beáti Dávidis Gunston, mártyris, qui, eques Ordinis Sancti Ioánnis Hierosolymitáni, Henríci regis Octávi régimen in spiritálibus negávit, quaprópter Southvárci patíbulo suspénsus est.

9. Ibídem, sancti Ioánnis Jones, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum et mártyris, qui, génere cambriénsis, in Gállia religiósus effée-

tus, sub Elísabeth regína Prima cápite damnátus est, quod sacérdos in Angliam ingréssus esset, et láqueo usque ad mortem suspénsus martýrium consummávit.

10*. Nagasákii in Iapónia, beatórum Matthías Araki et septem sociórum,[5] mártyrum, qui pro Christo martýrium subiérunt.

11*. Arausióne in Província Gálliæ, beatárum Rosæ a Sancto Xavério (Magdalénæ Terésiæ) Tallien, Marthæ a Bono Angelo (Maríæ) Cluse, Maríæ a Sancto Henríco (Margarítæ Eleonóræ) de Justamond et Ioánnæ Maríæ a Sancto Bernárdo de Romillon, vírginum et mártyrum, quæ, gállica perturbatióne furénte, palmam consecútæ sunt.

12. In urbe *Nam Định* in Tunquíno, sancti Cleméntis Ignátii Delgado Cebrián, epíscopi et mártyris, qui, quinquagínta annis in Evangélii prædicatióne peráctis, iussu imperatóris Minh Mạng pro Christi fide comprehénsus, multa passus est et in cárcere óbiit.

13. In província *Ninh Bình* item in Tunquíno, sanctæ Agnétis Lê Thị Thành (Đê), mártyris, quæ, materfamílias, etsi sævis torméntis sub imperatóre Thiệu Trị vexáta, quod sacerdótem in domo sua celavísset, fidem abiuráre réspuit et in cárcere occúbuit.

14. In província *Nghệ An* in Annámia, sancti Petri Khanh, presbýteri et mártyris, qui, in telónio christiánus ágnitus, sex menses in custódia tentus et frustra ad abiurándum illéctus, tandem iussu imperatóris Thiệu Trị decollátus est.

[5] Quorum nomina: beati Petrus Arakiyori Chobioye et Susanna, coniuges; Ioannes Tanaka et Catharina, coniuges; Ioannes Nagai Naisen et Monica, coniuges, et filius eorum Ludovicus, puer.

Die 13 iulii

Tértio Idus iúlii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
7	8	9	10	11	12	12	13	14	15	16	17

Sancti Henríci, qui, Romanórum imperátor, cum uxóre sua sancta Cunegúnde ad vitam Ecclésiæ reformándam ac fidem Christi in univérsa Európa propagándam óperam dedit et, zelo missionário motus, plures episcopáles sedes instítuit et monastéria fundávit. Gronæ prope Gottíngam in Francónia hac die e vita discéssit.

2. Commemorátio sancti Esdræ, sacerdótis et scribæ, qui, témpore Artaxérxis regis Persárum, Babylóne in Iudǽam rédiens pópulum dispérsum congregávit et omni stúdio enísus est, ut legem Dómini investigáret, impléret et docéret in Israel.

3. Commemorátio sancti Silæ, qui, ab Apóstolis ad Ecclésias géntium una cum sanctis Paulo et Bárnaba destinátus, prædicatiónis offícium, grátia Dei plenus, instánter consummávit.

4. Alexandríæ in Ægýpto, sancti Serapiónis, mártyris, qui sub Septímio Sevéro imperatóre et Aquila prǽside per ignem ad corónam martýrii pervénit.

5. In ínsula Chio, sanctæ Myrópis, mártyris.

6. Philomélii in Phrýgia, sanctórum mártyrum Alexándri et trigínta mílitum, qui sub Magno, Antiochíæ Pisídiæ præfécto, passi esse ferúntur.

7. Albiæ in Aquitánia, tránsitus sancti Eugénii, epíscopi Carthaginénsis, qui, fide et virtútibus gloriósus, in exsílium expúlsus est in persecutióne vandálica.

8. In Británnia Minóre, sancti Turiávi, monastérii Dolénsis abbátis et epíscopi.

9*. Génuæ in Ligúria, beáti Iacóbi de Vorágine, epíscopi, ex Ordine Prædicatórum, qui pro vita christiána in pópulo promovénda multa exémpla virtútum in scriptis suis propósuit.

10*. Norvíci in Anglia, beáti Thomæ Tunstal, presbýteri ex Ordine Sancti Benedícti et mártyris, qui, sub Iacóbo rege Primo cápite damnátus quod sacérdos in Angliam ingréssus esset, patíbulo suspénsus est.

11*. Ante Rupifórtium ad oram Gálliæ in sórdido navígio in salo constitúto, beatórum Ludovíci Armándi Ioséphi Adam, ex Ordine Fratrum Minórum Conventuálium, et Bartholomǽi Jarrige de la Morélie de Biars, presbyterórum et mártyrum, qui, persecutióne contra Ecclésiam sæviénte, propter sacerdótium ad víncula naválía damnáti, contagióne affécti et concaptivórum caritátis víctimæ occubuérunt.

12*. Arausióne in Província Gálliæ, beatárum Magdalénæ a Matre Dei (Elísabeth) Verchière et quinque sociárum,[6] vírginum et mártyrum in eádem perturbatióne.

13. In urbe *Châu Đốc* in Cocincína, sancti Emmanuélis Lê Văn Phụng, mártyris, qui, paterfamílias, quamvis in cárcere deténtus, fílios et familiáres exhortári non déstitit ad caritátem erga inimícos et demum, iussu imperatóris Tự Đức, abscísso cápite enecátus est.

14. Búdriæ in Flamínia, sanctæ Cléliæ Barbieri, vírginis, quæ in spiritále bonum puellárum sese impéndit et Congregatiónem Minimárum a Vírgine Perdolénti fundávit ad míseras in primis ac egénas humáne et christiáne instituéndas.

15*. Galeátiæ prope Bonóniam in Itália, beáti Ferdinándi Maríæ Baccilieri, presbýteri, qui, pópulum commíssum omnímodo excóluit et ad famílias páuperes adiuvándas et puéllas præsértim instituéndas Congregatiónem Servárum Maríæ fundávit.

16. In pago *Langziqiao* apud *Hengshui* in Sinárum *Hebei* província, sancti Pauli Liu Jinde, mártyris, qui, vir provéctæ ætátis, in persecutióne a fautóribus factiónis «Yihetuan» patráta solus christiánus in

[6] Quarum nomina: beatæ Teresiæ Henricæ ab Annuntiatione Faurie, Annæ Andreæ a Sancto Alexio Minutte, Mariæ Annæ a Sancto Francisco Lambert, Mariæ Annæ a Sancta Francisca Depeyre et Mariæ Anastasiæ a Sancto Gervasio de Roquard.

pago permánsit et rosárium precúmque librum manu tenens insectatóribus óbviam pródiit eósque christiáno more salutávit, quaprópter ab eis íllico interféctus est.

17. In urbe *Nangong* item in *Hebei*, sancti Ioséphi Wang Guiji, mártyris, qui in eádem persecutióne, renuntiáta facultáte levi mendácio vitam servándi, gloriósam pro Christo mortem máluit.

18*. In civitáte *Angostura* in Colúmbia, beáti Mariáni a Iesu Euse Hoyos, presbýteri, qui, simplicitáte et integritáte vitæ conspícuus, se totum oratióni, stúdiis et christiánæ institutióni puerórum trádidit.

19*. Ioannípoli Portus Dívitis, beáti Cároli Emmanuélis Rodríguez Santiago, qui sacræ litúrgiæ instauratióni et fídei inter iúvenes concitatióni óperam indefésse dedit.

Die 14 iulii

Prídie Idus iúlii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
8	9	10	11	12	13	13	14	15	16	17	18

Sancti Camílli de Lellis, presbýteri, qui, prope Theánum in Aprútio natus, iam inde ab adulescéntia rem militárem secútus et ad sǽculi vítia pronus, tandem convérsus in inserviéndo infírmis in nosocomío insanabílium sicut ipsi Christo magnópere enísus est et, sacerdótio auctus, Romæ fundaménta iecit Congregatiónis Clericórum Regulárium infírmis ministrántium.

2. Bríxiæ in Venétia, sancti Optatiáni, epíscopi, qui epístulas synódicas de fide cathólica in Incarnatiónem ab Eusébio epíscopo Mediolanénsi ad sanctum Leónem papam missas subscrípsit.

3*. Sonégiæ in Brabántia Austrásiæ, sancti Vincéntii seu Madelgárii, qui, uxóre sancta Valdetrúde consentiénte, vitam monásticam ampléxus est et duo monastéria condidísse fertur.

4. Davéntriæ in Frísia, sancti Marchélmi, presbýteri et mónachi, qui, anglus génere, sancti Willibrórdi ab infántia discípulus fuit et labórum pro Christo patratórum sócius.

5*. In loco *Stáry Kynsperk* prope Egram in Bohémia, beáti Hroznátæ, mártyris, qui, cóniuge et fílio mórtuis, aulam ducis reliquísse et cœnóbium Teplénse Præmonstraténsium ingréssus esse, cuius iura deféndens a prædónibus captus esse et fame conféctus ad mortem perdúctus dícitur.

6*. Verónæ in Venétia, sanctæ Tuscánæ, quæ, cóniuge mórtuo, ómnia bona sua dedit paupéribus et in Ordine Sancti Ioánnis Hierosolymitáni infírmos curáre numquam déstitit.

7*. Fulgínii in Umbria, beátæ Angelínæ de Marsciáno, quæ, vídua, quinquagínta ámplius annos tantum in servítium Dei et proximórum utilitátem impéndit et Tertiariárum Franciscanárum religiónis in claustris degéntium inítium fecit pro puéllis instituéndis.

8*. Valéntiæ in Hispánia, beáti Gásparis de Bono, presbýteri ex Ordine Minimórum, qui arma terréni príncipis deséruit pro Christi Regis milítia et domus provínciæ hispánæ Ordinis zelo, prudéntia et caritáte rexit.

9. Limæ in Perúvia, sancti Francísci Solano, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum, qui pro animárum salúte per Américæ Meridionális regiónes longe latéque peragrávit et prædicatióne ac signis omnes curas ad pópulos indos ipsósque colónos hispános novitátem vitæ christiánæ docéndos cóntulit.

10*. Londínii in Anglia, beáti Richárdi Langhorne, mártyris, qui, clarus iurisperítus, sub Cárolo rege Secúndo proditiónis insimulátus, cápite damnátus est et Tybúrni patíbulo réddidit spíritum.

11*. In loco *Cerecca-Ghebaba* in Æthiópia, beáti Ghebre Michaélis, presbýteri e Congregatióne Missiónis et mártyris, qui semper in stúdiis et oratióne veram fidem quæsívit et tandem in unitátem Ecclésiæ ingréssus est, quaprópter cárceres, dein itínera cum milítibus, pédibus caténa onerátis, trédecim menses passus est, donec flagéllis, siti ac fame conféctus óbiit.

12. In urbe *Nangong* in Sinárum *Hebei* província, sancti Ioánnis Wang Guixin, mártyris, qui in persecutióne sectatórum «Yihetuan» pótius pro Christo mori máluit quam fœdári étiam levi mendácio.

Die 15 iulii

Idibus iúlii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
20	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**30**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
9	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**

Memória depositiónis sancti Bonaventúræ, epíscopi Albanénsis et Ecclésiæ doctóris, doctrína, vitæ sanctitáte et præcláris in Ecclésiæ servítium gestis celebérrimi. Ordinem Minórum, cui miníster generális præfuit, in spíritu sancti Francísci prudénter rexit. Multis in scriptis summam eruditiónem cum pietátis ardóre coniúnxit. Dum autem rebus Concílii Œcuménici Lugdunénsis Secúndi egrégiam óperam navábat, ad beátam Dei visiónem perveníre méruit.

2. In Portu Románo, sanctórum Eutrópii, Zósimæ et Bonósæ, mártyrum.

3. Carthágine via quæ Scillitanórum dícitur in basílica Fausti, deposítio sancti Felícis, epíscopi Thibiucénsis et mártyris, qui a Magniliáno curatóre iussus igni libros Scripturárum trádere respóndit mélius esse se igne adúri quam Scriptúras deíficas; idcírco ab Anulíno procónsule gládio animadvérsus est.

4. Ibídem, commemorátio sanctórum Catulíni, diáconi et mártyris, de cuius láudibus sanctus Augustínus sermónem ad pópulum hábuit, et reliquórum mártyrum qui in basílica Fausti requiéscunt.

5. Alexandríæ in Ægýpto, sanctórum mártyrum Philíppi et decem infántium.

6. In ínsula Ténedo in Hellespónto, sancti Abudémii, mártyris.

7. Nísibi in Mesopotámia, sancti Iacóbi, huius urbis primi epíscopi, qui Concílio Nicǽno intérfuit et gregem suum in pace rexit aluítque atque ab hóstium fídei ímpetu deféndit.

8*. Apud Ruræmúndam ad Mosam in Brabántia Austrásiæ, sancti Plechélmi, epíscopi, qui, ex Northúmbria ortus, divítias Christi multis nuntiávit.

9*. Anspáchii in Francónia, sancti Gumbérti, abbátis, qui in villa sua hoc cœnóbium cóndidit.

10. In Thessália, tránsitus sancti Ioséphi, epíscopi Thessalonicénsis, qui, frater sancti Theodóri Studítæ, primum mónachus hymnos compósuit plúrimos, dein vix ad episcopátum promótus, multa et dira propter ecclesiásticam disciplínam et defensiónem sacrárum Imáginum pértulit atque in Thessáliam relegátus fame périit.

11. Neápoli in Campánia, sancti Athanásii, epíscopi, qui, ab ímpio nepóte Sérgio multa passus ac sede pulsus, tandem Vérulis in Hérnicis conféctus ærúmnis migrávit in cælum.

12. Kióviæ in Rússia, sancti Vladimíri príncipis, qui baptísmum sub nómine Basilíi accépit et in fidem orthodóxam inter pópulos sibi súbditos diffundéndam curas consúmpsit.

13*. Racebúrgi in Holsátia Germániæ, sancti Ansuéri, abbátis et mártyris, qui cum vigínti octo mónachis a Vinédis contra fídei christiánæ prædicatóres insurgéntibus lapidátus est.

14*. Arósiæ in Suécia, sancti Dávidis, epíscopi, qui, anglus natióne, Cluniacénsis mónachus factus ad converténdos Suécos ad Christum proféctus est et in monastério, quod condíderat, senex pie quiévit.

15*. Bresláviæ in Silésia, beáti Ceslái, presbýteri e primis frátribus Ordinis Prædicatórum, qui in Silésia aliísque Polóniæ regiónibus pro regno Dei operátus est.

16*. In vico Monte Calério in Subalpínis, beáti Bernárdi, qui, márchio Badénsis, iter in Oriéntem fáciens pro defendéndis pópulis christiánis post Constantinópolim ab inimícis captam, morte corréptus est.

17*. Pássio beatórum mártyrum Ignátii de Azevedo, presbýteri, atque trigínta et octo sociórum e Societáte Iesu,[7] qui, cum missiónes Brasiliénses péterent in navi Sancto Iacóbo nuncupáta, prædatória navi oppréssi sunt et in ódium religiónis cathólicæ gládio lanceáque transfóssi.

18. Campi Salentinórum in Apúlia, sancti Pompílii Maríæ Pirrotti, presbýteri ex Ordine Clericórum Regulárium Scholárum Piárum, vitæ austeritáte præclári.

19*. In navi servitútis ad áncoram ante Rupifórtium ad oram Gálliæ, beáti Michaélis Bernárdi Marchand, presbýteri et mártyris, qui, gállica perturbatióne sæviénte, propter sacerdótium Rothómago in fœdam naválem translátus captivitátem, morbo corréptus óbiit.

20. In urbe *Nam Định* in Tunquíno, sancti Petri Nguyễn Bá Tuân, presbýteri et mártyris, qui, pro Christo in cárcere deténtus, sub imperatóre Minh Mạng fame conféctus óbiit.

21*. Parísiis in Gállia, beátæ Annæ Maríæ Javouhey, vírginis, quæ Congregatiónem Cluniacénsem Sorórum a Sancto Ioseph pro ægrótis curándis puellísque christiáne instituéndis fundávit et in terris missiónum dilatávit.

22. In província *Mỹ Tho* in Cocincína, sancti Andréæ Nguyễn Kim Thông Nam (Nam Thuông), mártyris, qui, catechísta, sub imperatóre Tự Đức post cárcerem exsílio damnátus, caténis vinctus et trabe oppréssus, itínerans martýrium complévit.

23*. In óppido *Bielsk Podlaski* in Polónia, beáti Antónii Beszta-Borowski, presbýteri et mártyris, qui, bello furénte a fídei hóstibus comprehénsus, plumbis necátus pro Christo occúbuit.

[7] Quorum nomina: beati Didacus de Andrade, presbyter; Gundisalvus Henriques, diaconus; Antonius Soares, Benedictus de Castro, Ioannes Fernandes, Emmanuel Alvares, Franciscus Alvares, Ioannes de Mayorga, Stephanus Zuraire, Alphonsus de Baena, Dominicus Fernandes, alter Ioannes Fernandes, Alexius Delgado, Ludovicus Correia, Emmanuel Rodrigues, Simon Lopes, Emmanuel Fernandes, Alvarus Mendes, Petrus Nunes, Ludovicus Rodrigues, Franciscus de Magalhães, Nicolaus Dinis, Gaspar Alvares, Blasius Ribeiro, Antonius Fernandes, Emmanuel Pacheco, Petrus de Fontoura, Andreas Gonçalves, Maurus Vaz, Didacus Pires, Marcus Caldeira, Antonius Correia, Fernandus Sanchez, Gregorius Escrivano, Franciscus Pérez Godoy, Ioannes de Zafra, Ioannes de San Martín, religiosi, et Ioannes, qui adiunctus est.

Die 16 iulii

Décimo séptimo Kaléndas augústi. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
10	11	12	13	14	15	15	16	17	18	19	20

Beátæ Maríæ Vírginis de Monte Carmélo, quo Elías prophéta pópulum Israel quondam ad coléndum Deum vivum redúxerat et póstea eremítæ quidam solitúdinem quæréntes secessérunt ac dénique Ordinem constituérunt ad vitam contemplatívam ducéndam sub patrocínio sanctæ Dei Genetrícis.

2. Anastasiópoli in Galátia, sancti Antíochi, mártyris, fratris sancti Platónis.

3. Sebáste in Arménia, sancti Athenógenis, chorepíscopi et mártyris, qui discípulis hymnum relíquit divinitátem Spíritus Sancti declarántem et pro Christo igni tráditus est.

4*. In Cæsaréa ínsula in mari Británnico, sancti Helérii, eremítæ, qui a pirátis martýrium subiísse tráditur.

5*. Traiécti Mosæ in Brabántia Austrásiæ, sanctórum Monúlphi et Gondúlphi, episcopórum.

6. Sántonis in Hannónia, sanctórum mártyrum Reiníldis, vírginis, Grimoáldi et Gondúlphi, qui a prædónibus occísi esse tradúntur.

7. Córdubæ in Vandalícia Hispániæ regióne, sancti Sisenándi, diáconi et mártyris, qui pro Christi fide a Mauris iugulátus est.

8*. In monastério ad lacum Auvam in Bavária, beátæ Irmengárdis, abbatíssæ, quæ iam a ténera ætáte, splendóre aulæ régiæ demísso, Deo servíre quæsívit et Agno plures dedit virgíneas cómites.

9*. Pássio beáti Simónis da Costa, religiósi e Societáte Iesu et último mártyris ágminis in navi Sancto Iacóbo nuncupáta prídie huius diéi in ódium Ecclésiæ extermináti.

10*. Viánæ Castélli in monastério Sanctæ Crucis in Lusitánia, beáti Bartholomǽi a Martýribus Fernandes, epíscopi Bracarénsis, qui, vitæ integritáte exímius, summa pastorāli caritáte in necessitátibus gregis enísus est et sana doctrína multa excóluit scripta.

11*. Virovíaci in Anglia, beatórum Ioánnis Sugar, presbýteri, et Robérti Grissold, mártyrum, qui sub Iacóbo rege Primo damnáti, prior quod sacérdos in Angliam ingréssus esset, alter quia eídem subvenísset, per ásperas sǽvítias ad palmam martýrii pervenérunt.

12*. In civitáte *Cunhaú* prope Natáliam in Brasília, beatórum Andréæ de Soveral, presbýteri e Societáte Iesu, et Domínici Carvalho, mártyrum, qui in ipsa Missæ celebratióne cum turma fidélium in ecclésia a milítibus dolóse reclúsi sunt et atróciter interfécti.

13*. In navi servitútis ad áncoram constitúta ante Rupifórtium ad oram Gálliæ, beatórum Nicolái Savouret, ex Ordine Fratrum Minórum Conventuálium, et Cláudii Béguignot, ex Ordine Cartusiénsi, presbyterórum et mártyrum, qui, gállica perturbatióne sæviénte, in ódium sacerdótii in sórdida captivitáte deténti, morbo corrépti sunt.

14*. Arausióne item in Gállia, beatárum Amátæ a Iesu (Maríæ Rosæ) de Gordon et sex sociárum,[8] vírginum et mártyrum, quæ, cum in eádem persecutióne vitam religiósam depónere renuíssent, cápite damnátæ sunt et palmam martýrii gaudéntes recepérunt.

15. In pago Sancti Salvatóris Vicecómitis in Normánnia Gálliæ, sanctæ Maríæ Magdalénæ Postel, vírginis, quæ in eádem tempestáte, sacerdótibus expúlsis, omnem opem ægrótis fidelibúsque tulit ac, pace restitúta, in extréma inópia Congregatiónem fundávit rexítque Filiárum a Misericórdia pro puéllis paupéribus christiáne instituéndis.

16. In loco *Lüjiapo* apud *Qinghe* in *Hebei* Sinárum província, sanctórum Lang Yangzhi, catechúmenæ, et Pauli Lang Fu, fílii eius, már-

[8] Quarum nomina: beatæ Maria a Iesu (Margarita Teresia) Charansol, Maria Anna a Sancto Ioachim Béguin-Royal, Maria Anna a Sancto Michaele Doux, Maria Rosa a Sancto Andrea Laye, Dorothea a Corde Mariæ et Magdalena a Sanctissimo Sacramento de Justamont.

tyrum, qui in persecutióne a fautóribus factiónis «Yihetuan» patráta, cum mater se christiánam proféssa esset, in domo igne vastáta martýrium pro Christo consummavérunt.

17. In vico *Zhangjiaji* apud *Ningjin* item in *Hebei*, sanctæ Terésiæ Zhang Hezhi, mártyris, quæ in eádem persecutióne, cum ad ethnicórum pagódam rapta reveréntiam numínibus loci præstáre noluísset, una cum duóbus fíliis hastæ cúspide transfíxa est.

Die 17 iulii

Sextodécimo Kaléndas augústi. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
11	12	13	14	15	16	16	17	18	19	20	21

1. Carthágine, natális sanctórum mártyrum Scillitanórum, id est Speráti, Nártzalis, Cittíni, Vetúrii, Felícis, Aquilíni, Lætántii, Ianuáriæ, Generósæ, Véstiæ, Donátæ et Secúndæ, qui iussu Saturníni procónsulis, post primam Christi confessiónem in cárcerem trusi et sequénti die in ligno confíxi, cum demum christiános se esse fírmiter conféssi essent et imperatóri honórem divínum recusavíssent, cápite damnáti sunt et in loco occisiónis, flexis génibus unanímiter, grátias Christo agéntes gládio decolláti sunt.

2. Amástride in Paphlagónia, sancti Hyacínthi, mártyris.

3. Híspali in Bǽtica Hispániæ província, sanctárum Iustæ et Rufínæ, vírginum, quæ, a prǽside Diogeniáno comprehénsæ, diris vexátæ cruciátibus, póstea cárcere, inédia et váriis torsiónibus sunt afflíctæ; tandem Iusta in custódia spíritum exhalávit, Rufínæ vero cervix, in confessióne Dómini, confrácta est.

4. Medioláni in Ligúria, sanctæ Marcellínæ, vírginis, soróris sancti Ambrósii epíscopi, quæ Romæ in basílica Sancti Petri in Epiphanía Dómini a Libério papa velum consecratiónis accépit.

5. Romæ in ecclésia in colle Aventíno sita, sub nómine Aléxii celebrátur homo Dei, qui, ut tradítio refert, opuléntam deséruit domum, ut inops fíeret et incógnitus eleemósynam mendicáret.

6. Autissiodóri in Gállia Lugdunénsi, sancti Theodósii, epíscopi.

7. Pápiæ in Ligúria, sancti Ennódii, epíscopi, qui hymnis decorávit memórias et templa sanctórum atque divitiárum largus dispensátor fuit.

8*. Turníni prope Antvérpiam in Brabántia Austrásiæ, sancti Fregándi, qui mónachus ex Hibérnia venísse dícitur, sancti Foilláni aliorúmque peregrinatiónis et labóris missionárii sócius.

9*. In monastério Wincelcumbæ in Mércia Angliæ, sancti Kenélmi, qui, Merciórum princeps, martyr reputátus est.

10. Romæ apud sanctum Petrum, sancti Leónis papæ Quarti, Urbis defensóris et primátus Petri cultóris.

11. Apud *Stockerau* in pago Vindobonénsi Baváriæ, sancti Colmáni, natióne hibérni, qui, pro nómine Dei peregrínus, Terram Sanctam petens, explorátor hostílis hábitus est et, in árbore suspénsus, ad cæléstem Hierosólymam pervénit.

12*. Nitrávæ ad Vagum flumen apud montes Carpátes, sanctórum Zoerárdi seu Andréæ et Benedícti, eremitárum, qui e Polónia, rogánte sancto Stéphano rege, in Hungáriam venérunt et in erémo montis Zobor vitam egérunt aspérrimam.

13. Cracóviæ in Polónia, sanctæ Hedwígis, quæ, regína in Hungária nata, Polóniæ regnum recépit et Iaghellióni, magno Lithuániæ duci, nupsit, quocum, in baptísmate Ladisláo vocáto, cathólicam fidem in Lithuánia sevit.

14*. Parísiis in Gállia, beatárum Terésiæ a Sancto Augustíno (Maríæ Magdalénæ Claudínæ) Lidoine et quíndecim sociárum,[9] vírginum e

[9] Quarum nomina: beatæ Maria Anna Francisca a Sancto Ludovico Brideau, Maria Anna a Iesu Crucifixo Piedcourt, Carlotta a Resurrectione (Anna Maria Magdalena) Thouret, Euphrasia ab Immaculata Conceptione (Maria Claudia Cypriana) Brard, Henrica a Iesu (Maria Gabriela) de Croissy, Teresia a Corde Mariæ (Maria Anna) Hanisset, Teresia a Sancto Ignatio (Maria Gabriela) Trézelle, Iulia Ludovica a Iesu (Rosa) Chrétien de Neufville, Maria Henrica a

Carmélo Compéndii et mártyrum, quæ, témpore gállicæ perturbatiónis, cum disciplínam monásticam fidéliter servavíssent, cápite damnátæ, ante patíbulum promissiónes fídei baptismális et vota religiósa renovavérunt.

15. In pago *Zhujiaxiezhuang* apud *Shenxian* in *Hebei* província Sinárum, sancti Petri Liu Ziyu, mártyris, qui in persecutióne ab ásseclis sectæ « Yihetuan » gesta contra amicórum conátus coram mandaríno in fide christiána fírmiter permánsit, quaprópter gládio perfóssus est.

16*. Leopoldópoli in Slováchia, beáti Pauli (Petri) Gojdich, epíscopi et mártyris, qui, pastor in território Presoviénsi, témpore regíminis in Deum inफénsi in cárcerem coniéctus, tantas passus est ærúmnas, ut, atróciter vexátus, Christi verba fidéliter excípiens per strénuam conféssionem in vitam transíret gloriósam.

Die 18 iulii

Quintodécimo Kaléndas augústi. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
23	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**30**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
12	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**

1. Via Tiburtína miliário nono ab urbe Roma, commemorátio sanctórum Symphorósæ et septem sociórum Crescéntis, Iuliáni, Nemésii, Primitívi, Iustíni, Stactéi et Eugénii, mártyrum, qui divérso mortis éxitu martýrium complevérunt, germáni efféсti in Christo.

2. Medioláni in Ligúria, sancti Matérni, epíscopi, qui, libertáte Ecclésiæ rédditа, mártyrum Náboris et Felícis córpora e Laude Pompéia in civitátem suam honorífice tránstulit.

Providentia (Anna) Pelras, Constantia (Maria Genovefa) Meunier, Maria a Sancto Spiritu (Angelica) Roussel, Maria a Sancta Martha Dufour, Elisabeth Iulia a Sancto Francisco Vérolot, Catharina et Teresia Soiron.

3. Doróstori in Mœsia, sancti Æmiliáni, mártyris, qui, edícta Iuliáni Apóstatæ minásque Catulíni eius vicárii spernens, idolórum altári evérso sacrificióque inhíbito, in fornácem iniéctus, martýrii palmam accépit.

4. Bríxiæ in Venétia, sancti Philástrii, epíscopi, cuius vitam et mortem laudávit sanctus Gaudéntius, eius succéssor.

5. Fori Popílii in Æmília, sancti Ruffílli, epíscopi, qui primus Ecclésiam hanc gubernásse plebémque ruris ad Christum perduxísse totam créditur.

6. Metis in Austrásia, sancti Arnúlphi, epíscopi, qui Dagobérti, regis Austrásiæ, consiliárius fuit et, múnere depósito, in Vósego monte eremíticam egit vitam.

7. Constantinópoli, sanctæ Theodósiæ, moniális, quæ pro defensióne antíquæ Christi imáginis, quam e Porta Ænea domus Palatínæ Leo Isáuricus imperátor déici iússerat, martýrium passa est.

8. Ultraiécti in Géldria Austrásiæ, sancti Frideríci, epíscopi, qui, Sacrárum Scripturárum stúdio conspícuus, curam et óperam impéndit in evangelizándos Frísios.

9. Sígniæ in Látio, sancti Brunónis, epíscopi, qui pro reformánda Ecclésia multa fecit et passus est, quaprópter a sede sua abíre coáctus, in Monte Casíno refúgium invénit et abbas monastério ad tempus prǽfuit.

10*. Cracóviæ in Polónia, beáti Simónis de Lipníca, presbýteri ex Ordine Minórum, qui, prædicatióne ac devotióne erga nomen Iesu insígnis, in curándis peste moribúndis ipse caritáte motus mortem oppétiit.

11*. Ad áncoram ante litus Rupifórtii ad oram Gálliæ, beáti Ioánnis Baptístæ de Bruxelles, presbýteri Lemovicénsis et mártyris, qui témpore gállicæ perturbatiónis in squalóre navis servitútis inédia et pestilénti morbo conféctus occúbuit.

12. In urbe *Nam Định* in Tunquíno, sancti Domínici Nicolái Đinh Đạt, mártyris, qui, cum esset miles, fidem christiánam negáre coáctus,

post dira supplícia crucem calcávit; sed statim de re pænitens, prétio apostásiæ réddito, imperatóri Minh Mạng scripsit, ut dénuo iudicarétur christiánus, ac tandem strangulátus occúbuit.

13*. In vico *Krystonopil* in Ucraína, beátæ Tarsíciæ (Olgæ) Mackiv, vírginis e Congregatióne Sorórum Ancillárum Maríæ Immaculátæ et mártyris, quæ, belli témpore, ob fidem coram persecutóribus defénsam géminam virginitátis et martýrii victóriam consecúta est.

Die 19 iulii

Quartodécimo Kaléndas augústi. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
13	14	15	16	17	18	18	19	20	21	22	23

1. Commemorátio sancti Epaphræ, qui Colóssis, Laodicéæ et Hierápoli pro Evangélio multum laborávit et a beáto Paulo Apóstolo caríssimus consérvus, concaptívus et fidélis minister Christi appellátur.

2. Meri in Phrýgia, sanctórum Macedónii, Theodúli et Tatiáni, mártyrum, qui, sub Iuliáno Apóstata imperatóre, ab Almáchio præside, post ália torménta, super crates férreas ignítas pósiti, exsultántes martýrium complevérunt.

3. In monastério Annesíno apud flumen Irim in Ponto, sanctæ Macrínæ, vírginis, sorǿris sanctórum Basilíi Magni, Gregórii Nysséni et Petri Sebasténsis, quæ, Sacris Scriptúris erudíta, ad vitam solitáriam se cóntulit, mirum exémplum desidérii Dei discessúsque a vanitáte mundi.

4*. Constantinópoli, sancti Dii, cognoménto Thaumatúrgi, archimandrítæ, qui pátria antiochénus, in hac civitáte présbyter ordinátus monastérium instítuit sub Régula Acœmetórum.

5. Romæ apud sanctum Petrum, sancti Sýmmachi, papæ, qui, schismaticórum factióne diútius fatigátus, demum conféssor fídei quiévit.

6. Córdubæ in Vandalícia Hispániæ regióne, sanctæ Aureæ, vírginis, soróris sanctórum mártyrum Adólphi et Ioánnis, quæ, témpore Maurórum persecutiónis ad iúdicem addúcta metu lapsa est, sed mox facti pǽnitens, iteráto certámine, hostem effúso sánguine superávit.

7*. Ultraiécti in Géldria Lotharíngiæ, sancti Bernóldi seu Bernúlphi, epíscopi, qui ecclésias et monastéria e potestáte poténtium liberávit, plures ecclésias fundávit et in monastériis consuetúdines Cluniacénces fovit.

8*. In monastério Mariæbúrgi in Francónia, beátæ Stillæ, vírginis sacrátæ, quæ in ecclésia, quam fundáverat, sepúlta est.

9*. Fulgínii in Umbria, beáti Petri Crisci, qui, bonis ómnibus paupéribus datis, ecclésiæ cathedrális ministério se mancipávit et in turri campanária húmilis et summe pǽnitens degit.

10. Céstriæ in Anglia, sancti Ioánnis Plessington, presbýteri et mártyris, qui, Segóbiæ sacérdos factus atque in Angliam revérsus, hac de causa sub Cárolo rege Secúndo suspéndii torméntis destinátus est.

11. In vico *Lujiazhuang* prope *Yingxian* in Sinárum *Hebei* província, sancti Ioánnis Baptístæ Zhou Wurui, mártyris, qui, adhuc aduléscens, coram sectatóribus «Yihetuan» se christiánum apérte proféssus est, quare parte membrórum mutilátus est et secúri percússus.

12. In óppido *Liucun* apud urbem *Renqin* item in *Hebei*, sanctórum mártyrum Elísabeth Qin Bianzhi eiúsque fílii Simónis Qin Chunfu, quattuórdecim annos nati, qui in eádem persecutióne fortes in fide omnem hóstium crudelitátem vicérunt.

13*. In óppido *Borowikowszczyzna* in Polónia, beatórum Achíllis Puchała et Hermánni Stępień, presbyterórum ex Ordine Fratrum Minórum Conventuálium et mártyrum, qui, pátria Polónia aliéno militári império violáta, in ódium fídei interfécti sunt.

Die 20 iulii

Tertiodécimo Kaléndas augústi. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
14	15	16	17	18	19	19	20	21	22	23	24

Sancti Apollináris, epíscopi, qui, investigábiles divítias Christi inter gentes propágans, pastor bonus suum antecéssit gregem et Ecclésiam Classénsem apud Ravénnam in Flamínia ínclito martýrii honóre decoravísse tráditur. Die vero vigésima tértia iúlii ad dapes ætérnas migrávit.

2. Commemorátio sancti Elíæ Thesbítæ, qui prophéta Dómini in diébus Achab et Acazíæ, regum Israel, Dei única iura vindicávit advérsus infidélem pópulum tali ánimi róbore, ut non modo Ioánnem Baptístam, sed étiam Christum ipsum præfiguráret; orácula scripta non relíquit, sed eius memória fidéliter servátur, præsértim in monte Carmélo.

3. Commemorátio beáti Ioseph, qui vocabátur Barsábbas et cognominátus est Iustus, discípulus Dómini, quem cum beáto Matthía Apóstoli statuérunt ut unus ex eis locum apostolátus Iudæ proditóris impléret; sed, cum sors cecidísset super Matthíam, ipse nihilóminus prædicatiónis et sanctitátis offício inservíit.

4. Antiochíæ in Pisídia, sanctæ Marínæ seu Margarítæ, quæ virginitáte et martýrio corpus suum Christo dedicásse tráditur.

5. In Æthiópia, sancti Fruméntii, epíscopi, qui, primum ibi captívus, deínde, epíscopus a sancto Athanásio ordinátus, Evangélium in ea regióne propagávit.

6. Carthágine, sancti Aurélii, epíscopi, qui, firmíssimum Ecclésiæ cólumen, fidéles advérsus mores pagános munívit et sedem episcopálem simulácri deæ Cæléstis loco collocávit.

7. In pago Bononiénsi Gálliæ, sancti Vulmári, presbýteri, qui, ex húmili pastóre ad stúdia indúctus et munus sacerdotále adéptus, eré-

mum more antiquórum patrum pétiit, deínde Altomónte in Hannónia in silva pátria duplex cóndidit monastérium, álterum virórum, vírginum álterum.

8. Córdubæ in Vandalícia Hispániæ regióne, sancti Pauli, diáconi et mártyris, qui, exémplo verbóque sancti Sisenándi instrúctus, Mauró-rum príncipes et cónsules vanitátis eórum cultus argúere non tímuit atque Christum verum Deum cónfitens perémptus est.

9*. Hildésiæ in Saxónia Germániæ, beáti Bernárdi, epíscopi, qui in pace tres et vigínti annos Ecclésiam suam rexit, etsi cæcus.

10. Seuli in Coréa, sanctórum Magdalénæ Yi Yŏng-hŭi, Terésiæ Yi Mae-im, Marthæ Kim Sŏng-im, Lúciæ Kim, Rosæ Kim, Annæ Kim Chang-gŭm atque Maríæ Wŏn Kwi-im, vírginis, et Ioánnis Baptístæ Yi Kwang-nyol, mártyrum.

11. In urbe *Nam Định* in Tunquíno, sancti Ioséphi Maríæ Díaz Sanjurjo, epíscopi ex Ordine Prædicatórum et mártyris, qui, persecutióne imperatóris Tự Đức furénte, in ódium fídei cápite damnátus est.

12. In vico *Zhoujiahe* apud urbem *Yingxian* in *Hebei* Sinárum província, pássio sanctórum Leónis Ignátii Mangin et Pauli Denn, presbyterórum e Societáte Iesu, qui in persecutióne a fautóribus sectæ «Yihetuan» patráta fidéles in ecclésia eníxe cohortántes ab hóstibus irrumpéntibus ante altáre perfóssi sunt. Cum iis cécidit sancta María Zhou Wuzhi, quæ sanctum Leónem sacra ministrántem córpore suo obtégere vóluit et vulnéribus percússa óbiit.

13. In pago *Lujiazhuang* prope *Yingxian* item in *Hebei*, sancti Petri Zhou Rixin, mártyris, qui in eádem persecutióne coram præfécto instánti se Deum creatórem mundi eiuráre posse negávit, quam ob rem cápite præcísus est.

14. In óppido *Daliucun* apud *Wuyi* item in eádem província, sanctæ Maríæ Fu Guilin, quæ, magístra, in eádem persecutióne in manus inimicórum Evangélii trádita Christum Salvatórem ínvocans cápite truncáta est.

15. In vico *Wuqiao Zhaojia* item in *Hebei*, commemorátio sanctárum Maríæ Zhao Guozhi eiúsque filiárum Rosæ Zhao et Maríæ Zhao, quæ

in eádem persecutióne, ne violaréntur, in púteum se proiecérunt, sed inde extráctæ martýrium consummárunt.

16. In óppido *Dechao* item in *Hebei*, commemorátio sancti Xi Guizi, mártyris, qui adhuc catechúmenus, coórto tumúltu, se christiánum perhíbuit et, vulnéribus concísus, próprio sánguine baptizátus est.

17*. Matríti in Hispánia, beatárum Ritæ a Vírgine Perdolénti a Corde Iesu Pujalte y Sánchez et Francíscæ a Corde Iesu Aldea y Araujo, vírginum e Congregatióne Sorórum Caritátis a Sacro Corde Iesu et mártyrum, quæ, persecutióne religiósa in bello civíli flagránte, in ecclésia collégii ab inimícis Ecclésiæ apprehénsæ sunt et paulo post plumbis in via transfóssæ.

Die 21 iulii

Duodécimo Kaléndas augústi. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
15	16	17	18	19	20	20	21	22	23	24	25

Sancti Lauréntii de Brundúsio, presbýteri et Ecclésiæ doctóris, qui, inter Fratres Minóres Capuccínos adscríptus, prædicándi múnere in Európæ regiónibus indefésse functus est, tum pro Ecclésiæ defensióne advérsus infidéles, tum in reconciliándis princípibus, tum in Ordinis sui moderatióne, ómnia múnera explens simplicitáte et humilitáte. Die vero vigésimo secúndo iúlii Ulyssipóne in Lusitánia óbiit.

2. Massíliæ in Província Gálliæ, sancti Victóris, mártyris.

3. Apud Emesam in Sýria, sancti Simeónis, cognoménto Sali, qui, a Spíritu divíno motus, stultus pro Christo et ignóbilis apud hómines habéri cupívit. Item, commemorátio sancti Ioánnis, eremítæ, qui trigínta fere annos sócius fuit sancti Simeónis in peregrinatióne sancta et in erémo apud Aspháltitem lacum.

4. Romæ, commemorátio sanctæ Praxédis, sub cuius nómine ecclésia Deo dicáta est in Esquilíno.

5. Argentoráti in Burgúndia, sancti Arbogásti, epíscopi.

6*. In salo ante Rupifórtium ad oram Gálliæ in squalóre navis ad áncoras constitútæ, beáti Gabriélis Pergaud, presbýteri et mártyris, qui, canónicus reguláris Belli Loci in pago Briocénsi, propter sacerdótium témpore gállicæ perturbatiónis ex abbátia expúlsus est et, in captivitátem tráditus, contagióne corréptus martýrio coronátus est.

7. Apud *Yanzibian* prope *Yangpingguan* in Sinis, sancti Alberíci Crescitelli, presbýteri e Pontifício Institúto pro Missiónibus éxteris et mártyris, qui, in persecutióne sectatórum «Yihetuan», acérrime fere ad mortem percússus, sequénti die ligátis pédibus per callem sílice stratum ad flumen raptátus, ibi minútim concísus et tandem decollátus, martýrio coronátus est.

8. In itínere versus *Daining* apud Iomnienínam urbem *Hebei* províinciæ item in Sinis, pássio sancti Ioséphi Wang Yumei, mártyris in eádem persecutióne.

Die 22 iulii

Undécimo Kaléndas augústi. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
27	**28**	**29**	**30**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
16	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**

Memória sanctæ Maríæ Magdalénæ, quæ, a septem dæmóniis a Dómino liberáta et discípula ipsíus effécta, eum usque ad Calvárium montem secúta est et summo mane Páschatis prima méruit Salvatórem vidére a mórtuis resurgéntem et áliis discípulis núntium afférre resurrectiónis.

2. Ancýræ in Galátia, sancti Platónis, mártyris.

3. In Africa, sanctórum mártyrum Massilitanórum, in quorum die natáli sanctus Augustínus tractátum hábuit.

4. Antiochíæ in Sýria, sancti Cyrílli, epíscopi, qui sub Diocletiáno imperatóre cárcerem et exsílium passus est.

5. In castro Suániæ in iugis Cáucasi, sancti Anastásii, mónachi, qui, sancti Máximi Confessóris discípulus, propter orthodóxam fidem cum eo cárceres sævitiásque súbiit et, ad hoc castrum progréssus, ibídem vel fortásse in ipso itínere e vita cessit.

6. In monastério Fontanellénsi in Néustria, sancti Wandregísili, abbátis, qui, cum Dagobérti regis cúriam reliquísset, vitam monásticam divérsis in locis duxit et, a sancto Audœno epíscopo Rothomagénsi ad sacerdótium promótus, in silva Gemmeticénsi monastérium fundávit et rexit.

7. Menáti in território Gálliæ Arvernénsi, sancti Meneléi, abbátis.

8*. Pápiæ in Langobárdia, sancti Hierónymi, epíscopi.

9*. Laude Pompéia item in Langobárdia, sancti Gualtérii, fundatóris Domus hospitális Misericórdiæ.

10*. Venétiis, beáti Augustíni de Bugélla Fangi, presbýteri ex Ordine Prædicatórum, qui Soncíni, Viglébani et Venétiis benefícia multa præstitit.

11. Ulyssipóne in Lusitánia, natális sancti Lauréntii de Brundúsio, cuius memória prídie huius diéi ágitur.

12. Cardíffæ in Cámbria, sanctórum Philíppi Evans, e Societáte Iesu, et Ioánnis Lloyd, presbyterórum et mártyrum, qui propter sacerdótium in pátria patefáctum sub Cárolo rege Secúndo simul láqueo suspénsi sunt.

13*. In sórdida actuária ante litus Rupifórtii in Gállia constitúta, beáti Iacóbi Lombardie, presbýteri Lemovicénsis et mártyris, qui, tempéstate magnæ contra Ecclésiam persecutiónis propter sacerdótium inhumáne deténtus, insanábili morbo consúmptus est.

14. In loco *Majiazhuang* prope *Daining* in *Hebei* Sinárum província, sanctórum mártyrum Annæ Wang, vírginis, Lúciæ Wang Wangzhi et fílii eius Andréæ Wang Tianqing, qui in persecutióne a fautóribus sectæ « Yihetuan » confécta pro Christi nómine occísi sunt.

15. Prope *Daining* apud Iomnienínam urbem item in *Hebei*, sanctæ Maríæ Wang Lizhi, mártyris, quæ in eádem persecutióne, cum éthnici quidam eius salúti consúlere vellent negántes eam esse christiánam, se fámulam Christi Iesu apérte declarávit et statim occísa est.

Die 23 iulii

Décimo Kaléndas augústi. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
28	**29**	**30**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
17	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**

Sanctæ Birgíttæ, religiósæ, quæ, in Suécia núptui Ulfóni legífero data, octo quos génuit fílios piíssime educávit et cóniugem ipsum verbis et exémplis ad pietátem excitávit. Quo defúncto, multa per loca sacra peregrináta est et, de cápite et membris Ecclésiæ mýstice reformándis scriptis relíctis atque Ordinis Sanctíssimi Salvatóris fundaméntis actis, Romæ migrávit in cælum.

2. Commemorátio sancti Ezechiélis, prophétæ, qui fílius Buzi sacerdótis, témpore exsílii in terra Chaldæórum visióne glóriæ Dómini insignítus et speculátor dómui Israel præpósitus, infidelitátem pópuli elécti improbávit, civitátem sanctam Ierúsalem in ruínas eversúrum iri populúmque in deportatiónem missum prospéxit; in médio captivórum ipse pósitus, spem eórum áluit iísque árida ossa ad vitam surrectúra prophetávit.

3. Classe apud Ravénnam in Flamínia, commemorátio sancti Apollináris, epíscopi, cuius memória die vigésima iúlii celebrátur.

4. Bízyæ in Thrácia, sancti Sevéri, mártyris, qui, tempóribus Diocletiáni et Maximiáni mártyrum palmas æmulátus, sanctum Memnónem centuriónem ad fidem convertísse et in agóne secútus esse créditur.

5*. Massíliæ in Província Gálliæ, sancti Ioánnis Cassiáni, presbýteri, qui duo monastéria, álterum pro viris, álterum pro muliéribus, cóndidit et, longo rerum monasticárum usu perítus, de Cœnobíticis Institútis et Collatiónes Patrum scripsit ad ædificatiónem monachórum.

6*. Cimélæ item in Província, sancti Valeriáni, epíscopi, qui, e monastério Lirinénsi ad episcopátum sublátus, pópulo monachísque exémpla sanctórum propósuit.

7*. Urbevéti in Túscia, beátæ Ioánnæ, vírginis, Soróris de Pæniténtia Sancti Domínici, caritáte et patiéntia præcláræ.

8*. In civitáte *Manzanares* in Nova Castélla Hispániæ regióne, beatórum mártyrum Nicéphori a Iesu et María (Vincéntii) Díez Tejerina, presbýteri, et quinque sociórum[10] e Congregatióne Passiónis, qui, persecutiónis témpore, cum vocatióni religiósæ fidéles permansíssent, plumbis cæsi corónas accípere meruérunt.

9*. In loco *Carabanchel Bajo* apud Matrítum item in Hispánia, in eádem persecutióne, beatórum mártyrum Germáni a Iesu et María (Emmanuélis) Pérez Giménez, presbýteri, et octo sociórum,[11] religiosórum eiúsdem Congregatiónis Passiónis, qui certámen pro Christo victóres complevérunt.

10*. Apud Tolétum item in Hispánia, beatórum mártyrum Petri Ruiz de los Paños et Ioséphi Sala Picó, presbyterórum ex Institúto Sacerdótum operariórum diœcesanórum et mártyrum, qui in eádem persecutióne occubuérunt.

[10] Quorum nomina: beati Iosephus a Sacris Cordibus Estalayo García, Epiphanius a Sancto Michaele Sierra Conde, Abilius a Cruce Ramos y Ramos, Zacharias a Sanctissimo Sacramento Fernández Crespo, Fulgentius a Corde Mariæ Calvo Sánchez, religiosi.

[11] Quorum nomina: beati Philippus a Sacro Corde Mariæ Valcabado Granado, presbyter; Maurilius a Iesu Infante Macho Rodríguez, Iosephus a Iesu et Maria Osés Sáinz, Iulius a Sacro Corde Mediavilla Concejero, Iosephus Maria a Iesu Moriente Ruiz Martínez, Laurinus a Iesu Crucifixo Proaño Cuesta, Anacarius ab Immaculata Benito Nozal, Philippus a Sancto Michaele Ruiz Fraile, religiosi.

11*. Dacháni prope Monáchium Baváriæ in Germánia, beáti Christíni Gondek, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum et mártyris, qui, de Polónia sub regímine humánæ dignitáti ac religióni infénso coácta in castra detentiónis propter Christi fidem ablátus, cruciátibus conféctus gloriósam corónam consecútus est.

12*. Epériis in Slováchia, beáti Basilíi Hopko, epíscopi auxiliáris Presoviénsis et mártyris, qui, témpore regíminis Christi fídei et Ecclésiæ infénsi, cum christifidélibus Ritus byzantíni ministráret, in cárcerem coniéctus, sævítias ac longum ægrúmque morbum usque ad mortem passus est, palmam ássequens victóriæ.

Die 24 iulii

Nono Kaléndas augústi. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
18	19	20	21	22	23	23	24	25	26	27	28

Sancti Sarbélii (Ioséphi) Makhlūūf, presbýteri ex Ordine Libanénsium Maronitárum, qui, arctæ solitúdinis et altióris perfectiónis studiósus, e cœnóbio Annáiæ in Líbano in erémum secéssit, ubi summa vitæ asperitáte, ieiúniis et obsecratiónibus die ac nocte Deo servívit. Die vicèsima quarta decémbris in Dómino requiévit.

2. Volsínii in Túscia, sanctæ Christínæ, vírginis et mártyris.

3. Amitérni in Sabína via Salária, sancti Victoríni, mártyris.

4*. Tauriáni in Calábria, sancti Fantíni Senióris, cognoménto Thaumatúrgi.

5. In Thebáide, sanctæ Euphrásiæ, vírginis, quæ, e senatória família orta, eremíticam vitam dúcere elégit in desérto, húmilis, pauper et obœdiens.

6*. Ardmóriæ in Momónia Hibérniæ província, sancti Decláni, qui primus epíscopus huius Ecclésiæ percólitur.

7*. In pago Albigénsi Aquitániæ, sanctæ Sigolénæ, religiósæ.

8. In Rússia, sanctórum Boris et Gleb, mártyrum, qui, príncipes Ruthéni et fílii sancti Vladimíri, mortem excípere maluérunt quam vi fratri Suatópolco resístere. Boris ad Altam flumen prope Pereisláviam palmam martýrii nactus est, Gleb vero paulo post in Borísthene flúmine prope Smolénscum.

9*. Apud Reáte in Sabína, sancti Balduíni, abbátis, qui, sancti Bernárdi discípulus in monastério Claravallénsi, ab eo in hanc civitátem missus est, ut cœnóbium Sancti Matthǽi sub Lacu cónderet et régeret.

10*. Sancti Trudónis Fani in Brabántia, beátæ Christínæ, cognoménto Mirábilis, vírginis, quia in ea, tum córpore afflícta, tum spíritu rapta, Dóminus mirabíliter operátus est.

11. Sandéciæ apud Tarnóviam in Polónia, sanctæ Kingæ seu Cunegúndis, quæ, regis Hungáriæ fília, Bolesláo duci nuptum data, illibátam cum eo virginitátem servávit et, cóniuge defúncto, Régulam sanctæ Claræ proféssa est in monastério ab ipsa fundáto.

12*. Ferráriæ in Æmília, beáti Ioánnis de Tossiniáno Tavelli, epíscopi, ex Ordine Iesuatórum.

13. Colóniæ Agrippínæ in Lotharíngia, translátio trium magórum, qui, sapiéntes ex Oriénte, múnera deferéntes Béthlehem venérunt contempláre in púero mystérium celsitúdinis Unigéniti.

14*. Aquilæ in Vestínis, beáti Antónii Torriani, presbýteri ex Ordine Eremitárum Sancti Augustíni, córporum animarúmque médici.

15*. Orbæ in Sabáudia, beátæ Ludovícæ, religiósæ, quæ, fília beáti Amadéi ducis, Hugóni príncipi de Chalon nupsit eóque vita functo Régulam sanctæ Claræ sub reformatióne sanctæ Colétæ in humilitáte et fidelitáte proféssa est.

16*. Derébiæ in Anglia, beatórum Nicolái Garlick, Robérti Ludlam et Richárdi Simpson, presbyterórum et mártyrum, qui, multos post labóres vexationésque Elísabeth regína Prima regnánte propter sacerdótium cápite damnáti, patíbulo ad cæléstia pervenérunt gáudia.

17*. Novi Castri ad Tinam flumen item in Anglia, beáti Ioséphi Lambton, presbýteri et mártyris, qui, vigínti et quáttuor annos natus, in eádem persecutióne propter sacerdótium per atróces cruciátus vivus disséctus est.

18. Dunélmi item in Anglia, sancti Ioánnis Boste, presbýteri et mártyris, qui, sub eádem regína martyr propter sacerdótium, étiam coram iúdice sócios confirmáre non désinit.

19. In urbe *Nam Định* in Tunquíno, sancti Ioséphi Fernández, presbýteri ex Ordine Prædicatórum et mártyris, pro Christo decolláti sub imperatóre Minh Mạng.

20*. Neápoli in Campánia, beáti Modestíni a Iesu et María (Domínici) Mazzarello, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum, qui, omnis géneris páuperum et afflictórum próximus, témpore pestiléntiæ in moribúndis assidéndo ipse choléra corréptus óbiit.

21*. Guadalaxáræ in Hispánia, beatárum Maríæ a Colúmna a Sancto Francísco Bórgia (Iacóbæ) Martínez García, Terésiæ a Iesu Infánte (Eusébiæ) García García et Maríæ Angelæ a Sancto Iosépho (Marciánæ) Voltierra Tordesillas, vírginum ex Ordine Carmelitárum Discalceatárum et mártyrum, quæ lætántes Christo Sponso acclamántes témpore persecutiónis martýrio coronátæ sunt.

22*. Apud Barcinónem item in Hispánia, beátæ Maríæ a Mercéde Prat, vírginis e Societáte a Sancta Terésia a Iesu et mártyris, quæ in eádem tempestáte, cum religiósa esset, passiónem consummávit.

23*. Item Barcinóne, beáti Xavérii Bordas Piferrer, religiósi e Societáte Salesiána et mártyris, qui Christi magístri exémplum martýrio suo testificátus est.

Die 25 iulii

Octávo Kaléndas augústi. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
19	20	21	22	23	24	24	25	26	27	28	29

Festum sancti Iacóbi, Apóstoli, qui, fílius Zebedǽi et beáti Ioánnis evangelístæ frater, cum Petro et Ioánne transfiguratiónis Dómini eiúsque agóniæ testis fuit. Prope autem festum Páschatis ab Heróde Agríppa decollátus, primus ex Apóstolis corónam martýrii percépit.

2. In Lýcia, sancti Christóphori, mártyris.

3. Barcinóne in Hispánia Tarraconénsi, sancti Cucuphátis, mártyris, qui, in persecutióne Diocletiáni imperatóris gládio percússus, victor migrávit in cælum.

4. Cæsaréæ in Palæstína, sanctórum Valentínæ, Theæ et Pauli, mártyrum in persecutióne Maximiáni imperatóris, sub Firmiliáno prǽside. Valentína virgo, cum aram idólis eréctam cálcibus evertísset, post diros cruciátus una cum Thea vírgine in ignem coniécta cucúrrit ad Sponsum. Paulus vero, cápite damnátus, exíguo orándi spátio impetráto, pro salúte ómnium Deum toto corde precátus, abscíssis cervícibus, martýrii corónam accépit.

5. Nicomedíæ in Bithýnia, tránsitus sanctæ Olympíadis, víduæ, quæ, adhuc iúvenis cóniuge orbáta, Constantinópoli inter mulíeres Deo sacrátas réliquum vitæ tempus piíssime transégit, paupéribus subvéniens et sancto Ioánni Chrysóstomo fidelíssima étiam in eius exsílio.

6. Tréviris in Rhenánia Austrásiæ, sancti Magneríci, epíscopi, qui sancti Nicétii discípulus fuit, fidélis in exsílio sócius et zelo ǽmulus in cura pastoráli succéssor.

7*. Ibídem, sanctórum Beáti et Banti, presbyterórum, qui, témpore sancti Magneríci, vitam eremíticam degérunt.

8*. Metis in Gállia Bélgica, sanctæ Glodesíndis, abbatíssæ.

9. Córdubæ in Vandalícia Hispániæ regióne, sancti Theodemíri, mónachi Carmonénsis et mártyris adhuc iúvenis in Maurórum persecutióne.

10*. Andégavi in Gállia, beáti Ioánnis Soreth, presbýteri ex Ordine Carmelitárum, quem ad strictiórem observántiam addúxit et convéntibus moniálium locupletávit.

11*. Cameríni in Picéno Itáliæ, beáti Petri de Molliáno Corradini, presbýteri ex Ordine Minórum, evangélica prædicatióne, virtútum exémplis et miraculórum fama clari.

12*. Salséte in India, beatórum mártyrum Radúlphi Aquaviva, Alphónsi Pacheco, Petri Berna, Antónii Francisco, presbyterórum, et Francísci Aranha, religiósi, e Societáte Iesu, qui propter crucem exaltátam ab infidélibus cæsi sunt.

13*. Bobíni in Apúlia, beáti Antónii Lucci, epíscopi, ex Ordine Fratrum Minórum Conventuálium, qui singulári doctrína cláruit et in paupéribus sublevándis ita effúsus fuit, ut ne suis quidem necessitátibus consúleret.

14*. In navígio ad áncoras ante oram Rupifórtii in Gállia, beáti Michaélis Ludovíci Brulard, presbýteri ex Ordine Carmelitárum Discalceatórum et mártyris, qui in gállica perturbatióne propter sacerdótium inhumáne reclúsus morbo consúmptus périit.

15*. Matríti in Hispánia, beátæ Maríæ a Monte Carmélo Sallés y Barangueras, vírginis, quæ ad educándas pias excultásque mulíeres Congregatiónem Sorórum ab Immaculáta Conceptióne fundávit.

16*. Urdæ in Hispániæ Toletána província, beatórum mártyrum Petri a Corde Redondo, presbýteri, Felícis a Quinque Vulnéribus Ugalde Irurzun et Benedícti a Vírgine «del Villar» Solano Ruiz, religiosórum e Congregatióne Passiónis, qui in magna persecutióne propter fidem christiánam plumbis interfécti martýrii palma coronáti sunt.

17*. Prope Eboram Carpetanórum in agro Toletáno item in Hispánia, beatórum mártyrum Frideríci (Cároli) Rubio Alvarez, presbýteri, Primi Martínez de San Vicente Castillo, Hierónymi Ochoa Urdangarín et

Ioánnis a Cruce (Elígii) Delgado Pastor' religiosórum, mártyrum, qui, omnes ex Ordine Sancti Ioánnis a Deo, in eádem persecutióne prompto iure gloriósam corónam consecúti sunt.

18*. In loco *Monzon* prope Oscam in Aragónia Hispániæ regióne, beáti Dionýsii Pamplona, presbýteri ex Ordine Clericórum Reguláríum Scholárum Piárum et mártyris, eódem témpore in ódium fídei occísi.

19*. In vico *Motril* apud Granátam ad oram Hispániæ, beatórum mártyrum Deográtias Palacios, Leónis Inchausti, Ioséphi Rada, Iuliáni Moreno, presbyterórum, et Ioséphi Richárdi Díez, religiósi, qui, in Ordine Augustinianórum Recollectórum pro Christo militántes, in eádem persecutióne repénte a turba comprehénsi sunt et statim in via plumbis enecáti.

20*. In campo detentiónis *Działdowo* in Polónia, beátæ Maríæ Terésiæ Kowalska, vírginis e Caríssis Capuccínis et mártyris, quæ, témpore occupatiónis Polóniæ in bello, ob fidem servátam cárceri data diem suprémum Christi fide suffécta óbiit.

Die 26 iulii

Séptimo Kaléndas augústi. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
20	21	22	23	24	25	25	26	27	28	29	30

Memória sanctórum Ióachim et Annæ, paréntum immaculátæ Vírginis Dei Genetrícis Maríæ, quorum nómina ab antíquis traditiónibus christianórum ǽserváta sunt.

2. Commemorátio sancti Erásti, qui, arcárius civitátis Corínthi, beáto Paulo Apóstolo ministrávit.

3. In monastério Sancti Benedícti ad Padum in agro Mantuáno, sancti Simeónis, mónachi et eremítæ.

4*. Augústæ Auscórum in Aquitánia, sancti Austíndi, epíscopi, cuius ópera ecclésia cathedrális instrúcta est, pópuli mores expolíti, domus Dei ædificáta.

5*. Verónæ in Venétia, beatórum Evangelístæ et Peregríni, presbyterórum.

6*. Saxoferráti in Picéno Itáliæ, beáti Hugónis de Actis, mónachi e Congregatióne Silvestrinórum Ordinis Sancti Benedícti.

7*. Septémpedæ item in Picéno, beátæ Camíllæ Gentili, mártyris, ab ímpio cóniuge necátæ.

8*. In pago *Gateshead* prope Novum Castrum ad Tinam flumen in Anglia, beáti Ioánnis Ingram, presbýteri et mártyris, qui, génere anglus, in basílica Lateranénsi ordinátus in Scótia ministrávit, donec ultra fines Angliæ transgréssus propter sacerdótium sub Elísabeth regína Prima suspéndii pœna occúbuit.

9*. Darlintónii item in Anglia, beáti Geórgii Swallowell, mártyris, qui, eódem anno, cum Ecclésiæ cathólicæ reconciliátus esset, cápite damnátus est et, quamvis magno timóre pertérritus et dire ab inimícis vexátus esset, fortis in fide sævíssima pro Christo accépit supplícia.

10*. Lancástriæ item in Anglia, beatórum Eduárdi Thwing, ex Ordine Prædicatórum, et Robérti Nutter, presbyterórum et mártyrum, qui, multis labóribus in vínea Dómini peráctis, sub Elísabeth regína Prima propter sacerdótium damnáti, gloriósum martýrium consummavérunt.

11*. Londínii item in Anglia, beáti Guliélmi Webster, presbýteri et mártyris, qui, cum vigínti ámplius annos váriis in carcéribus ministrásset, Cárolo Primo regnánte, de mandáto Parlaménti apprehénsus quod sacérdos esset, Tybúrni patíbulo suspénsus martýrium complévit.

12*. In vico *Phú Yên* in Annámia, beáti Andréæ, mártyris, qui, catechísta, persecutióne erga christiánam doctrínam furénte, a milítibus ímpie captus pro Christo sánguinem fudit, Ecclésiæ terræ istíus primítia.

13*. In salo ad litus Rupifórtii in tabe navis ad áncoras deligátæ, beatórum Marcélli Gauchérii Labigne de Reignefort, e Societáte Missionariórum, et Petri Ioséphi Le Groing de La Romagère, presbyterórum et mártyrum, qui, prior in pago Lemovicénsi, alter in Bituricénsi, témpore gállicæ perturbatiónis in ódium religiónis ad inhumánam custódiam dati, inédia morbóque confécti quievérunt.

14*. Arausióne item in Gállia, beatárum Maríæ Margarítæ a Sancto Augustíno Bonnet et quáttuor sociárum,[12] vírginum ex Ordine Sanctæ Ursulæ, quæ in eádem tempestáte martýrium subiérunt.

15. Lúere in Langobárdia, sanctæ Bartholomǽæ Capitanio, vírginis, quæ cum sancta Vincéntia Gerosa Institútum Sorórum a Caritáte a María Infánte fundávit et vicésimo séptimo anno ætátis suæ óbiit, phthisi corrépta sed pótius caritáte consúmpta.

16*. In vico *Motril* apud Granatam ad litus Hispániæ, beatórum Vincéntii Pinilla, ex Ordine Augustinianórum Recollectórum, et Emmanuélis Martín Sierra, presbyterórum et mártyrum, qui postrídie martýrii quinque sociórum ex ecclésia abrépti sunt et plumbis transfóssi.

17*. Intra castra detentiónis Dacháni prope Monáchium Baváriæ in Germánia, beáti Titi Brandsma, presbýteri ex Ordine Carmelitárum et mártyris, qui, nederlándicus génere, pro Ecclésiæ et dignitátis hóminis defensióne, omne genus ærumnárum vexationúmque æquo ánimo pértulit, exémplum exímiæ caritátis tam erga concaptívos quam étiam erga ipsos carnífices præbens.

18*. Vallétæ in ínsula Meliténsi, beáti Geórgii Preca, presbýteri, qui, múneri amánter déditus catechéticam curándi institutiónem puerórum, Societátem Doctrínæ Christiánæ fundávit pro verbo Dei in pópulum próvide testificándo.

[12] Quarum nomina: beatæ Catharina a Iesu (Maria Magdalena) de Jastamont, Anna a Sancto Basilio Cartier, Clara a Sancta Rosalia (Maria Clara) du Bac, Elisabeth Teresia a Corde Iesu Consolin.

Die 27 iulii

Sexto Kaléndas augústi. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
2	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
21	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**26**	**27**	**28**	**29**	**30**	**1**

1. Commemorátio sanctórum septem Dormiéntium Ephesi, qui, ut narrátur, martýrio consummáto, in pace quiéscunt, diem resurrectiónis exspectántes.

2. Nicomedíæ in Bithýnia, sancti Pantaleónis vel Pantalaimónis, mártyris, qui in Oriénte médicus artem suam sine ullo múnere exércens cólitur.

3*. Ledóne Salinário in monte Iura Gálliæ, sancti Desideráti, qui Bisuntínus epíscopus fuísse créditur.

4. Romæ in cœmetério Priscíllæ via Salária, sancti Cælestíni papæ Primi, qui, sédulus in Ecclésiæ fide tuénda et fínibus ampliándis, primus in Británnia et Hibérnia episcopátum instítuit ac, eo favénte, Concílium Ephesínum advérsus Nestórium beátam Maríam salutávit Deíparam.

5. Prope Antiochíam in Sýria, sancti Simeónis, mónachi, qui multos annos vixit stans super colúmnam, unde et Stylítæ cognómen accépit, cuius vita et conversátio admirábilis éxstitit.

6*. Loccis super Ingerim in pago Turonénsi Gálliæ, sancti Ursi, abbátis, multórum cœnobiórum patris, admiránda abstinéntia et áliis virtútibus célebris.

7*. Ravénnæ in Flamínia, sancti Ecclésii, epíscopi, qui, consors sancti Ioánnis papæ Primi in atrocitátibus Theodoríci regis sustinéndis, solus in superándis, Ecclésiam suam ad novum decórem evéxit.

8*. In Beárnia regióne ad Pyrænéos in Vascónia Gálliæ, sancti Galactórii, qui Lascurrénsis epíscopus et martyr honorátur.

9. Mantineióne prope Claudiópolim in Honoríade, sanctæ Anthúsæ, vírginis, quæ, moniális, sub Constantíno Coprónymo imperatóre ob cultum sacrárum Imáginum verbéribus cæsa et exsílio affécta, tandem in pátriam revocáta in pace decéssit.

10. Córdubæ in Vandalícia Hispániæ província, sanctórum mártyrum Geórgii, diáconi et mónachi syri, Aurélii et Sabigothónis, cóniugum, atque Felícis et Liliósæ, item cóniugum, qui in Maurórum persecutióne, desidério capti testimónii et fídei Christi, in cárcere Christum laudáre non cessábant et tandem decolláti sunt.

11*. Achridæ in Illýrico, sancti Cleméntis, epíscopi Velicénsis, qui, eruditióne et sacrárum litterárum sciéntia insígnis, fídei lumen pópulo Bulgarórum prótulit. Cum eo commemorántur sancti epíscopi Gorázdus, Nahum, Sabas et Angelárius, qui in Bulgária opus sanctórum Cyrílli et Methódii prosecúti sunt.

12*. In cœnóbio Garsténsi in Stíria, beáti Berthóldi, abbátis, apud quem pæniténtibus consília quæréntibus vel benefícia poscéntibus fácilis áditus erat.

13*. Placéntiæ in Æmília, beáti Raymúndi Palmerio, patrisfamílias, qui, uxóre et fíliis orbátus, hospítium fundávit ad páuperes excipiéndos.

14*. Favéntiæ item in Æmília, beáti Nevolóni, sacris peregrinatiónibus, austeritáte vitæ et eremítica observántia insígnis.

15*. Amériæ in Umbria, beátæ Lúciæ Bufalari, vírginis, beáti Ioánnis de Reáte sorória, ex Oblátis Ordinis Sancti Augustíni, pæniténtiis et animárum zelo claræ.

16*. Statefúrti in Anglia, beáti Robérti Sutton, presbýteri et mártyris, qui sub Elísabeth regína Prima propter sacerdótium suspénsus est.

17*. Bellomarísci in Cámbria, beáti Guliélmi Davies, presbýteri et mártyris, qui in eádem persecutióne propter solum sacerdótium, pro adstántibus orans, idem supplícium passus est.

18*. Bríxiæ in Langobárdia, beátæ Maríæ Magdalénæ Martinengo, abbatíssæ ex Ordine Clarissárum Capuccinárum, abstinéntiis insígnis.

19*. In óppido *Olleria* in pago Valentíno Hispániæ, beáti Ióachim Vilanova Camallonga, presbýteri et mártyris, qui témpore persecutiónis erga fidem cæléstem glóriam consecútus est.

20*. In vico *Llisà* prope Barcinónem item in Hispánia, beáti Modésti Vegas Vegas, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum Conventuálium et mártyris, qui, eádem persecutióne erga fidem furénte, sánguinem pro Christo effúdit.

21*. Barcinóne item in Hispánia, beatórum Philíppi Hernández Martínez, Zacharíæ Abadía Buesa et Iacóbi Ortíz Alzueta, religiosórum e Societáte Salesiána et mártyrum, qui in eádem persecutióne martýrium passi sunt.

22*. In loco *Oświęcim* seu *Auschwitz* prope Cracóviam in Polónia, beátæ Maríæ Cleméntis a Iesu Crucifíxo Staszewska, vírginis ex Ordine Sanctæ Ursulæ et mártyris, quæ, bello sæviénte, in diram campi exítii custódiam propter fidem cóndita, cruciátibus fracta occúbuit.

Die 28 iulii

Quinto Kaléndas augústi. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
3	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
22	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**27**	**28**	**29**	**30**	**1**	**2**

1. Commemorátio sanctórum Prochórii, Nicánoris, Timónis, Pármenæ et Nicolái prosélyti antiochéni, qui e septem fuérunt, quos plenos Spíritu et sapiéntia elégit multitúdo discipulórum quibúsque Apóstoli manus imposuérunt, ut ministrárent in servítium egenórum.

2. Romæ, sancti Victóris papæ Primi, Africáni, qui constítuit ut sacrum Pascha ab ómnibus Ecclésiis celebrarétur die domínica Pascha iudáicum insequénti.

3. Commemorátio plurimórum mártyrum, qui in Thebáide Ægýpti in persecutióne Décii et Valeriáni imperatórum passi sunt, cum christiánis optántibus pro Christi nómine gládio pércuti cállidi hostes, tárda ad mortem supplícia conquiréntes, ánimas cúperent iuguláre, non córpora.

4. Miléti in Chária, sancti Acácii, mártyris sub Licínio imperatóre.

5. Medioláni in Ligúria, sanctórum Nazárii et Celsi, mártyrum, quorum córpora a sancto Ambrósio invénta sunt.

6*. Trecis in Gállia, sancti Cameliáni, epíscopi, qui discípulus fuit sancti Lupi eiúsque succéssor.

7. Doli in Británnia Minóre, sancti Samsónis, abbátis et epíscopi, qui Evangélium et disciplínam monásticam, quam in Cámbria a sancto Iltúdo abbáte didícerat, in Domnónia propagávit.

8*. In Suécia, sancti Botvídi, mártyris, qui, suécus génere et in Anglia baptizátus, pátriæ evangelizatióni se trádidit, donec a viro, quem ipse a servitúte redémerat, occísus est.

9. In urbe *Nam Định* in Tunquíno, sancti Melchióris García Sanpedro, epíscopi ex Ordine Prædicatórum et mártyris, qui pro Christo in arctíssimam custódiam dedúctus est et iussu imperatóris Tự Đức membris cæsus.

10. Matríti in Hispánia, sancti Petri Poveda Castroverde, presbýteri et mártyris, qui Institútum Teresiánum ad institutiónem christiánam divulgándam fundávit et, persecutióne erga Ecclésiam incipiénte, in ódium fídei occísus clarum dedit Deo testimónium.

11*. Gábasæ in pago Cæsaraugustáno item in Hispánia, beatórum Emmanuélis Segura, presbýteri, et Dávidis Carlos, religiósi, ex Ordine Clericórum Regulárium Scholárum Piárum, mártyrum in eádem persecutióne.

12. Tarracóne item in Hispánia, sancti Iacóbi Hilárii (Emmanuélis) Barbal Cosán, religiósi e Frátribus Scholárum Christianárum, mártyris, qui, persecutióne grassánte, in ódium Ecclésiæ cápite damnátus est.

13*. Barcinóne item in Hispánia, beatórum Ioséphi Caselles Moncho et Ioséphi Castell Camps, presbyterórum e Societáte Salesiána et mártyrum, qui in eádem persecutióne erga fidem per martýrium vitæ ætérnæ glóriam cónsequi meruérunt.

14*. In urbe *Bharananganam* in Kérala Indiæ dicióne, beátæ Alphónsæ ab Immaculáta Conceptióne (Annæ) Muttathupadathu, vírginis, quæ, ut impósitum conúbium aufúgeret, pedem in ignem immísit et, inter Caríssas Malabariénses admíssa, fere semper ægrótans vitam Deo óbtulit.

Die 29 iulii

Quarto Kaléndas augústi. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
23	24	25	26	27	28	28	29	30	1	2	3

Memória sanctæ Marthæ, quæ Bethániæ prope Hierosólymam in domum suam Dóminum Iesum excépit et, fratre mórtuo, conféssa est: «Tu es Christus Fílius Dei qui in mundum venísti».

2. Commemorátio sanctórum Lázari, fratris sanctæ Marthæ, quem mórtuum Dóminus flevit et resuscitávit, atque Maríæ, soróris eius, quæ, dum Martha satagébat circa frequens ministérium, sedens secus pedes Dómini verbum illíus audiébat.

3. Gangra in Paphlagónia, sancti Callinici, mártyris.

4. Romæ via Portuénsi miliário tértio in cœmetério eius nómini dicáto, sancti Felícis, mártyris.

5. Ibídem in cœmetério Generósæ, sanctórum Simplícii, Faustíni, Viatrícis et Rufi, mártyrum.

6. Trecis in Gállia Lugdunénsi, sancti Lupi, epíscopi, qui cum sancto Germáno Autissiodorénsi ad expugnándam Pelagianórum hæ-

resim in Británniam Minórem perréxit, urbem suam a furóre Attilæ oratióne deféndit et quinquagínta duos annos sacerdótio venerabíliter functus in pace quiévit.

7. Aureliáni item in Lugdunénsi, sancti Prósperi, epíscopi.

8. Nidarósiæ in Norvégia, sancti Olávi, mártyris, qui, rex gentis suæ, quam fidem christiánam in Anglia cognóverat, in regno suo idololátriam sédulo expúgnans propagávit, sed postrémo ab inimícis oppugnátus gládio occúbuit.

9*. Romæ apud sanctum Petrum, beáti Urbáni papæ Secúndi, qui libertátem Ecclésiæ contra laicórum invasiónes túitus est, advérsus simoníacos et pravos cléricos pugnávit et in Concílio Claromontáno mílites christiános adhortátus est, ut cruce signáti fratres ab infidélibus oppréssos et sepúlcrum Dómini liberárent.

10. In Briocénsi óppido Británniæ Minóris Gálliæ, sancti Guliélmi Pinchon, epíscopi, qui in ecclésiæ cathedrális ædificatiónem se impéndit, benignitáte et simplicitáte refúlsit et impávido ánimi róbore pro óvibus ac iúribus Ecclésiæ defendéndis graves vexatiónes exsiliúmque passus est.

11*. Omúræ in Iapónia, beatórum mártyrum Ludovíci Bertrán, presbýteri ex Ordine Prædicatórum, Máncii a Sancta Cruce et Petri a Sancta María, religiosórum ex eódem Ordine, qui pro Christo in ignem iniécti sunt.

12*. In freto prope Rupifórtium ad oram Gálliæ, beáti Cároli Nicolái Antónii Ancel, presbýteri e Societáte Iesu et Maríæ et mártyris, qui, témpore gállicæ perturbatiónis in navi servitútis inhumáne útpote sacérdos deténtus, tristi contagióne corréptus martýrium complévit.

13. In urbe *Qingyan* in *Guizhou* Sinárum província, sanctórum mártyrum Ioséphi Zhang Wenlan, Pauli Chen Changpin, seminárii alumnórum, Ioánnis Baptístæ Lou Tingyin, seminárii administratóris, et Marthæ Wang Louzhi, víduæ, qui, in cálida et húmida cávea reténti, atróces subiérunt vexatiónes et demum pro Christi fide capítibus abscíssis obiérunt.

14*. In civitáte *Esplugues* prope Barcinónem in Hispánia, beáti Ioánnis Baptístæ Egozcuezábal Aldaz, religiósi ex Ordine Sancti Ioánnis a Deo et mártyris, qui, témpore persecutiónis erga fidem, in ódium Ecclésiæ occísus est.

15*. Calándæ prope Terúlium item in Hispánia, beatórum Lúcii Martínez Mancebo, presbýteri ex Ordine Prædicatórum, et sociórum,[13] mártyrum, qui, fortitúdine Christi suffúlti, in eádem persecutióne occubuérunt.

16*. Valéntiæ item in Hispánia, beáti Ioséphi de Calasanz Marqués, presbýteri e Societáte Salesiána et mártyris, qui in eádem persecutióne sánguinem pro Christo effúdit.

Die 30 iulii

Tértio Kaléndas augústi. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
24	25	26	27	28	29	29	30	1	2	3	4

Sancti Petri, cognoménto Chrysólogi, epíscopi Ravennaténsis et Ecclésiæ doctóris, qui, beáti Apóstoli nactus cognómen, eiúsdem munus ita perfécit, ut cæléstis doctrínæ reti in fidem turbas conclúderet et divíni sermónis dulcédine satiáret. Ipsíus vero tránsitus Fori Cornélii in Flamínia crástina die advénit.

2. Romæ in cœmetério Pontiáni via Portuénsi, sanctórum Abdon et Sennen, mártyrum.

3. Cæsaréæ in Cappadócia, sanctæ Iulíttæ, mártyris, quæ, cum constánter iúdicis iussum recusásset thuris idólis offeréndi, in ignem coniécta est.

[13] Quorum nomina: Antonius López Couceiro, Felicissimus Díez González, Saturius Rey Robles, Thyrsus Manrique Melero, presbyteri, Gumersindus Soto Barros et Lambertus de Navascués y de Juan, religiosi, ex Ordine Prædicatórum; atque Emmanuel Albert Ginés, presbyter.

4. Thuburbóne Lucernáriæ in Africa, sanctárum Máximæ, Donatíllæ et Secúndæ, vírginum et mártyrum, quarum duæ primæ in persecutióne Diocletiáni imperatóris sine metu præcéptum cǽsaris idólis sacrificándi respuérunt et ex Anulíni procónsulis senténtia una cum puélla Secúnda primum ad béstias tráditæ sunt, dein gládio iugulátæ.

5. Autissiodóri in Gállia Lugdunénsi, sancti Ursi, epíscopi.

6*. Gistéllæ in Flándria, sanctæ Godelévæ, mártyris, quæ, nupta dómino loci, a cóniuge et matre eius multa passa est et tandem a duóbus fámulis stranguláta.

7*. Calerógæ in Castélla Hispániæ regióne, commemorátio beáti Mannis Guzmán, presbýteri, sancti Domínici fratris, in Ordine Prædicatórum propagándo eius adiutóris et prudéntis moniálium consiliárii.

8*. Londínii in Anglia, beatórum Eduárdi Powell, Richárdi Featherstone et Thomæ Abel, presbyterórum et mártyrum, qui, doctóres sacræ theológiæ, divórtio illo ab Henríco rege Octávo propósito obstitérunt et in fidelitáte erga Románum Pontíficem tenáciter perseverárunt, quaprópter post captivitátem in Turre civitátis, patíbulo in loco *Smithfield* suspénsi sunt.

9. In vico *Daying* prope urbem *Zaoqiang* in *Hebei* Sinárum província, sancti Ioséphi Yuan Gengyin, mártyris, qui in persecutióne sectatórum «Yihetuan», cum ínstitor esset in núndinis loci, propter Christi nomen occísus est.

10*. In loco *Calafell* prope Tarracónem ad oram Hispániæ, beatórum mártyrum Braulliónis Maríæ (Pauli) Corres Díaz de Cerio, presbýteri, et quattuórdecim sociórum[14] ex Ordine Sancti Ioánnis a Deo, qui, in persecutióne erga religiósos capti, inimícis ignoscéntes beatíssimam martýrii corónam meruérunt.

[14] Quorum nomina: beati Iulianus (Michael) Carrasquer Fos, Eusebius (Antonius) Forcades Ferraté, Constans (Saturninus) Roca Huguet, Benedictus Iosephus Labre (Arsenius) Mañoso González, Vincentius de Paul Canelles Vives, religiosi; Thomas Urdánoz Aldaz, Raphael Flamarique Salinas, Antonius Llauradó Parisi, Emmanuel López Orbara, Ignatius Tejero Molina, Henricus Beltrán Llorca, Dominicus Pitarch Gurrea, Antonius Sanchís Silvestre, Emmanuel Jiménez Salado, novitii.

11*. In óppido *Castelserás* prope Terúlium item in Hispánia, beatórum mártyrum Ioséphi Maríæ Muro Sanmiguel, presbýteri, Ióachim Prats Baltueña, religiósi, ex Ordine Prædicatórum, et Zósimi Izquierdo Gil, presbýteri qui, eádem persecutióne erga fidem furénte, pro Christo corónam glóriæ consecúti sunt.

12*. Barcinóne item in Hispánia, beáti Sérgii Cid Pazo, presbýteri e Societáte Salesiána et mártyris, qui, témpore eiúsdem persecutiónis, ob impávidum fídei testimónium occúbuit.

13. Patávii in Itália, sancti Leopóldi (Bogdáni) de Castronóvo Mandic, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum Capuccinórum, qui christianórum unitátis zelo exársit et totam vitam impéndit in ministérium reconciliatiónis.

14*. Guadalaxáræ in México, beátæ Maríæ Vincéntiæ a Sancta Dorothéa Chávez Orozco, vírginis, quæ, fundátrix Institúti Servárum Páuperum, soli Deo et Providéntiæ auxílio confísa, testimónium dedit lenitátis ac sedulitátis in mæréntes et páuperes.

15. Ibídem, beátæ Maríæ a Iesu Sacramentáto Venegas de la Torre, vírginis, quæ quinquagínta et quáttuor annos in infírmos curándos óperam impéndit in parvo valetudinário pro paupéribus, in quo Congregatiónem Filiárum a Sacro Corde Iesu fundávit.

Die 31 iulii

Prídie Kaléndas augústi. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
25	26	27	28	29	1	30	1	2	3	4	5

Memória sancti Ignátii de Loyola, presbýteri, qui, hispánus in Vascónia natus, in aula régia et milítia vitam egit, donec, post grave vulnus accéptum ad Deum convérsus, Lutétiæ Parisiórum stúdia theológica complévit et primos sócios sibi

ascívit, quos póstea in Societátem Iesu Romæ constítuit, ubi ipse fructuósum exércuit ministérium et in óperis conscribéndis et in discípulis instituéndis, ad maiórem Dei glóriam.

2. Medioláni in Transpadána, sancti Caliméri, epíscopi.

3. Sýnnade in Phrýgia, sanctórum Demócriti, Secúndi et Dionýsii, mártyrum.

4. Cæsaréæ in Mauretánia, sancti Fábii, mártyris, qui, cum in concílio totíus provínciæ ferre vexílla præsidália recusáret, primum in cárcerem trusus est et, cum in confessióne Christi perduráret, a iúdice capitáli senténtia condemnátus est.

5. Romæ via Latína, sancti Tertullíni, mártyris.

6. Apud Ravénnam in Flamínia, tránsitus sancti Germáni, epíscopi Autissiodorénsis, qui Britannórum fidem a pelagiána hǽresi bis deféndit et, cum Ravénnam pro pace Armóricæ regiónis conciliánda perrexísset, a Valentiniáno et Galla Placídia Augústis glorióse suscéptus est, ibíque cæléstia regna conscéndit.

7. Apud Forum Cornélii item in Flamínia, tránsitus sancti Petri Chrysólogi, epíscopi Ravennaténsis, cuius memória prídie huius diéi ágitur.

8. Schédviæ in Suécia, sanctæ Hélenæ, víduæ, quæ iniúste occísa martyr habétur.

9*. Aquipéndii in Túscia, tránsitus beáti Ioánnis Columbini, qui, dives negotiátor vestiárius ad paupertátem convérsus, discípulos adscívit in Ordinem Iesuatórum, quos vóluit páuperes Christi et sponsos dóminæ Paupertátis.

10*. Londínii in Anglia, beáti Everárdi Hanse, presbýteri et mártyris, qui fidem cathólicam ex die, qua eam proféssus erat, fidéliter custodívit, apud concíves propagávit et sub Elísabeth regína Prima martýrio Tybúrni consummáto glorióse firmávit.

11*. In salo ante Rupifórtium in Gállia, beáti Ioánnis Francísci Jarrige de la Morélie du Breuil, presbýteri et mártyris, qui, persecutióne

sæviénte contra Ecclésiam témpore gállicæ perturbatiónis, in sórdida navi servitútis cónditus phthisi mortem óbiit.

12. In loco *Cây Mét* prope Saigóniam in Cocincína, sanctórum Petri Đoàn Công Quý, presbýteri, et Emmanuélis Phụng, mártyrum, qui, círciter septem ménsibus in cárcere peráctis, sub imperatóre Tự Đức pro Christo decolláti sunt.

13. In valle *Alighede* in Æthiópia, sancti Iustíni De Iacobis, epíscopi e Congregatióne Missiónis, qui, mansuétus et caritáte plenus, ad apostólica ópera et clerum indígenum instituéndum incúbuit, mox famem, sitim, tribulatiónes et cárcerem perpétiens.

14*. In civitáte *Granollers* prope Barcinónem in Hispánia, beatórum mártyrum Dionýsii Vicente Ramos, presbýteri, et Francísci Remón Játiva, religiósi, ex Ordine Fratrum Minórum Conventuálium, qui in persecutióne erga fidem martýrio suo vestígia Christi secúti sunt.

15*. Valéntiæ item in Hispánia, beáti Iacóbi Buch Canals, religiósi e Societáte Salesiána et mártyris, qui in eádem persecutióne Christum cónfitens occúbuit.

16*. Prope Monáchium Baváriæ in Germánia intra castra detentiónis Dacháni, beáti Michaélis Oziębłowski, presbýteri et mártyris, qui, e pátria Polónia sub regímine religióni infénso coácta in aliénum cárcerem propter fidem dedúctus est, ubi per torménta martýrium perfécit.

17*. Calíssiæ in Polónia, beáti Francísci Stryjas, mártyris, qui, in eádem tempestáte, plúrimis torméntis fractus ad Dóminum glorióse migrávit.

18*. Tyrnáviæ in Slováchia, beátæ Sidóniæ (Cæcíliæ) Schelingová, vírginis e Congregatióne Sorórum a Caritáte Sanctae Crucis et mártyris, quæ, témpore perdiffícili Ecclésiæ natiónis suæ, ob sacerdótem quemdam ab ipsa servátum multa córpore et spíritu pátiens, morbo demum conf écta, indeféssa ac læta Christi testis effúlsit.

AUGUSTUS

Die 1 augusti

Kaléndis augústi. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
26	27	28	29	1	2	1	2	3	4	5	6

Memória sancti Alphónsi Maríæ de' Liguori, epíscopi et Ecclésiæ doctóris, zelo animárum, scriptis, verbo et exémplo insígnis, qui ad vitam christiánam fovéndam in pópulo prædicatióni óperam dedit librósque conscrípsit, præsértim de re moráli, cuius disciplínæ magíster habétur, et multa inter impediménta Congregatiónem Sanctíssimi Redemptóris instítuit ad rústicos evangelizándos. Epíscopus Sanctæ Agathæ Gothórum eléctus, præter modum hoc in munus sese impéndit, quod ob graves vero morbos quíndecim post annos dimísit, et Nucériæ Paganórum in Campánia réliquam vitam exégit, magnos labóres difficultatésque suscípiens.

2. Commemorátio passiónis sanctórum septem fratrum mártyrum, qui Antiochíæ in Sýria, sub Antíocho Epíphane rege, propter legem Dómini invícta fide servátam, morti crudéliter tráditi sunt cum matre sua, in síngulis quidem fíliis passa, sed in ómnibus coronáta, sicut in secúndo libro Maccabæórum narrátur. Item commemorátur sanctus Eleázarus, unus de primóribus scribárum, vir ætáte provéctus, qui in eádem persecutióne, illícitam carnem manducáre propter vitæ amórem réspuens, gloriosíssimam mortem magis quam odiósam vitam compléctens, voluntárie præívit ad supplícium, magnum virtútis relínquens exémplum.

3. Via Prænestína miliário tricésimo ab urbe Roma, sancti Secundíni, mártyris.

4. Gerúndæ in Hispánia Tarraconénsi, sancti Felícis, mártyris in persecutióne Diocletiáni imperatóris.

5. Vercéllis in Ligúria, natális sancti Eusébii, epíscopi, cuius memória cras ágitur.

6*. Baiócis in Gállia Lugdunénsi, sancti Exsupérii, qui primus epíscopus illíus civitátis cólitur.

7*. In Aquitánia, sancti Sevéri, presbýteri, qui opes suas in ecclésias condéndas et in páuperum servítium erogávit.

8*. In Vindunéta ínsula apud Nannétes in Gállia, sanctórum Friárdi et Secundélli diáconi, eremitárum.

9*. Marciánæ in Gállia Bélgica, sancti Ionáti, abbátis, sancti Amándi discípuli.

10. Vintóniæ in Anglia, depositio sancti Ethelwóldi, epíscopi, qui, Regulárem Concórdiam illam exarávit ad monásticam disciplínam redintegrándam, quam a sancto Dunstáno didícerat.

11*. Augústæ Prætóriæ in Alpibus Graiis, beáti Emeríci de Quart, epíscopi, vitæ austeritáte et salútis animárum stúdio mirábilis.

12*. Reáte in Sabína, beáti Ioánnis Bufalari, religiósi ex Ordine Eremitárum Sancti Augustíni, iúvenis húmilis et iucúndi, in próximos semper inténti.

13*. Romæ, beáti Petri Favre, presbýteri, qui, primus e Societátis Iesu sóciis, divérsis in Európæ pártibus graves labóres suscépit et ad Concílium Œcuménicum Tridentínum pergens in Urbe óbiit.

14*. Eboráci in Anglia, beáti mártyris Thomæ Welbourne, qui, ludimagíster, sub Iacóbo rege Primo cápite damnátus quod Románum Pontíficem sectándum suasísset, patíbulo suspénsus et ad Christum summum Magístrum conformátus occúbuit.

15*. In urbe *Nam Định* in Tunquíno, sanctórum Domínici Nguyễn Văn Hạnh (Diêu), ex Ordine Prædicatórum, et Bernárdi Vũ Văn Duệ, presbyterórum et mártyrum, qui sub imperatóre Minh Mạng pro Christo cápitis obtruncatióne enecáti sunt.

16. In vico *La Mure* ad Isaram in Gállia, natális sancti Petri Iuliáni Eymard, presbýteri, cuius memória crástina die ágitur.

17*. Matríti in Hispánia, beáti Benvenúti (Ioséphi) de Miguel Arahal, presbýteri e Tértio Ordine Sancti Francísci Capulatórum a beáta Vírgine Perdolénti et mártyris, qui, persecutióne erga fidem sæviénte, sánguinem pro Christo effúdit.

18*. Intra castra detentiónis Dacháni prope Monáchium Baváriæ in Germánia, beáti Aléxii Sobaszek, presbýteri et mártyris, qui, polónus natióne, témpore belli ab invasóribus inhumáne deportátus, in fide defendénda cruciátibus pro Christo occúbuit.

19*. In silva apud civitátem *Nowogródek* in Polónia, beatárum Maríæ Stellæ a Sanctíssimo Sacraménto (Adelhéidis) Mardosewicz atque decem sociárum e Congregatióne Sorórum Sacrátæ Famíliæ a Názareth,[1] vírginum et mártyrum, quæ, funéstis tempóribus belli, a fídei hóstibus plumbis transfóssæ ad cæléstem adivérunt glóriam.

Die 2 augusti

Quarto Nonas augústi. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
27	28	29	1	2	3	2	3	4	5	6	7

Sancti Eusébii, primi epíscopi Vercellénsis in Ligúria, qui in tota regióne subalpína Ecclésiam firmávit et ob confessiónem nicǽnæ fídei a Constántio príncipe Scythópolim, dein in Cappadóciam et in Thebáidem relegátus est, unde ad sedem suam post octo annos revérsus, strénue pro fídei restauratióne advérsus ariános adlaborávit.

[1] Quarum nomina: beatæ Maria Imelda a Iesu Hostia (Hedwigis Carolina) Żak, Maria Raymunda a Iesu et Maria (Anna) Kukołowicz, Maria Daniela a Iesu et Maria Immaculata (Eleonora Aniela) Jóźwik, Maria Canuta a Iesu in Horto Getsemani (Iosepha) Chrobot, Maria Sergia a Virgine Perdolenti (Iulia) Rapiej, Maria Guidona a Divina Misericordia (Helena) Cierpka, Maria Felicitas (Paulina) Borowik, Maria Heliodora (Leucadia) Matuszewska, Maria Canisia (Eugenia) Mackiewicz, Maria Boromea (Veronica) Narmontowicz.

Sancti Petri Iuliáni Eymard, presbýteri, qui, primum sacérdos diœcesánus, dein sodális Societátis Maríæ factus, exímius éxstitit eucharístici mystérii cultor ac novas instítuit Congregatiónes, álteram clericórum, álteram ancillárum, ad pietátem erga Sanctíssimum Sacraméntum coléndam et diffundéndam atque in ipso vico *La Mure* apud Gratianópolim in Gállia, ubi natus erat, e vita discéssit.

3. In Africa, commemorátio sancti Rutílii, mártyris, qui, cum sǽpius de loco in locum persecutiónem fugísset et perículum intérdum étiam pecúnia redemísset, inopináto aliquándo comprehénsus et prǽsidi oblátus, torméntis plúrimis cruciátus, demum ígnibus tráditus, egrégio martýrio coronátus est.

4. Romæ in cœmetério Callísti, sancti Stéphani papæ Primi, qui, ne christianórum baptismális cum Christo único semel tantum efficiénda obscurarétur, hæréticos prohíbuit, qui plenam Ecclésiæ communiónem péterent, íterum baptizári.

5. In pago Burgénsi Hispániæ, sanctæ Centóllæ, mártyris.

6. Patávii in Venétia, sancti Máximi, epíscopi, qui sancto Prosdócimo successísse créditur.

7*. Massíliæ in Província Gálliæ, sancti Seréni, epíscopi, qui sanctum Augustínum eiúsque sócios ad evangelizándam Angliam a sancto Gregório papa Magno missos hospítio accépit et Romam pergens in agro Vercellénsi pie requiévit.

8*. Carnúti in Néustria, sancti Bethárii, epíscopi.

9*. Paléntiæ in Castélla Hispániæ, tránsitus sancti Petri, epíscopi Oxoménsis, qui, primum mónachus, deínde archidiáconus Ecclésiæ Toletánæ, tandem ad sedem Oxoménsem elátus est, nuper a Maurórum dominatióne liberátam, quam pastoráli zelo instaurávit.

10*. Calerógæ item in Castélla, commemorátio beátæ Ioánnæ, sancti Domínici matris, quæ, fide plena, míseris et afflíctis magnam misericórdiam tríbuit.

11*. Barbástri item in Hispánia, beatórum Philíppi a Iesu Munárriz Azcona, Ioánnis Díaz Nosti et Leóntii Pérez Ramos, presbyterórum et mártyrum, qui Missionárii Fílii Immaculáti Cordis Beátæ Maríæ Vírginis, cum persecútio advérsus Ecclésiam sævíret, in ódium vitæ religiósæ a militiánis ad postes cœmetérii plumbis interfécti sunt.

12*. Ibídem, beáti Zephyríni Giménez Malla, mártyris, qui, cíngarus génere, ad pacem et concórdiam promovéndas inter pópulum suum et vicínos incúbuit, donec in eádem persecutióne, cum sacerdótem quemdam per vias a militiánis tractum defénderet, in cárcerem detrúsus et demum in cœmetérium ductus, corónam Rosárii in mánibus tenens plumbis necátus terrénam peregrinatiónem perfécit.

13*. In vico *Híjar* prope Terúlium in Hispánia, beáti Francísci Calvo Burillo, presbýteri ex Ordine Prædicatórum et mártyris, qui, persecutióne erga fidem furénte, martýrium passus est.

14*. Matríti item in Hispánia, beáti Francísci Tomás Serer, presbýteri e Tértio Ordine Sancti Francísci Capulatórum a beáta Vírgine Perdolénti et mártyris, qui in eádem persecutióne sánguinem pro Christo effúndere méruit.

Die 3 augusti

Tértio Nonas augústi. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
28	29	1	2	3	4	3	4	5	6	7	8

1. Neápoli in Campánia, sancti Asprenátis, primi civitátis epíscopi.

2. Augustodúni in Gállia Lugdunénsi, sancti Euphrónii, epíscopi, qui basílicam sancti Symphoriáni mártyris ædificávit et sepúlcrum sancti Martíni Turonénsis maióre décore adornávit.

3. In monte Mássico in Campánia, sancti Martíni, qui, solitáriam vitam ducens, multos annos in angustíssimo specu reclúsus mansit.

4. Anágniæ in Látio, sancti Petri, epíscopi, qui monástica primum observántia, deínde pastoráli vigiléntia cláruit et ecclésiæ cathedrális ædificatiónem perfécit.

5*. Lucériæ in Apúlia, beáti Augustíni Kazotic, epíscopi, ex Ordine Prædicatórum, qui primum Ecclésiæ Zagrebiénsi præfuit, dein ob hostilitátem regis Dalmátiæ Lucerínam sedem pétiit, ubi summam curam páuperum et egenórum egit.

6*. Lucénti in Hispánia, beáti Salvatóris Ferrandis Seguí, presbýteri et mártyris, qui, persecutióne erga fidem sæviénte, sánguinem pro Christo effúndens ad palmam gloriósam pervénit.

7*. In vico *Samalús* prope Barcinónem item in Hispánia, beatórum mártyrum Alphónsi López López, presbýteri, et Michaélis Remón Salvador, religiósi, ex Ordine Fratrum Minórum Conventuálium, qui in eádem persecutióne ob Christi testimónium coronáti sunt.

8*. Barcinóne item in Hispánia, beáti Francísci Bandrés Sánchez, presbýteri e Societáte Salesiána et mártyris, qui, témpore eiúsdem persecutiónis, sánguine suo fidelitátem Dómino confirmávit.

Die 4 augusti

Prídie Nonas augústi. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
10	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
29	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**

Memória sancti Ioánnis Maríæ Vianney, presbýteri, qui, quadragínta ámplius annos parœ́ciæ ipsi commíssæ in vico *Ars* prope Bellícium in Gállia actuósa prædicatióne, oratióne et pæniténtiæ exémplo mirum in modum ministrávit et cotídie púeros et adúltos catechízans, pæniténtes reconcílians atque ardénti caritáte e sacra Eucharístia velut e fonte hausta refúlgens tantópere provéxit, ut longe latéque consília sua diffúnderet et permúltos ad Deum sapiénter dúceret.

2. Commemorátio sancti Aristárchi Thessalonicénsis, qui sancti Pauli Apóstoli fuit discípulus, fidélis comes in itinéribus, tandem concaptívus Romæ.

3. Romæ via Tiburtína, sanctórum Iustíni et Crescentiónis, mártyrum.

4. Társiæ in Bithýnia, sancti Eleuthérii, mártyris.

5. In Pérside, sanctæ Iæ, mártyris sub Sápore rege Secúndo.

6. Turónis in Néustria, commemorátio sancti Euphrónii, epíscopi, qui plúribus concíliis ádfuit, plures ecclésias restítuit in urbe, parœcias fundávit in pago et sanctæ Crucis veneratiónem atténte promóvit.

7*. In silvis Panáiæ prope Catácium in Calábria, sancti Onúphrii, eremítæ, ieiúniis et austeritáte vitæ insígnis.

8*. Spálati in Dalmátia, sancti Rainérii, epíscopi et mártyris, qui, ántea mónachus, pro iúribus Ecclésiæ defénsis primum in sede Calliénsi multa passus est, deínde in Spalaténsi lapidátus occúbuit.

9*. Bonóniæ in Æmília, beátæ Cæcíliæ, vírginis, quæ sanctimoniálium hábitum a sancto Domínico accépit, cuius vultus et spíritus testis fuit fidelíssima.

10*. Londínii in Anglia, beáti Guliélmi Horne, mártyris, qui, mónachus in Cartúsia huius civitátis, a reguläri perseverántia numquam devérsus, sub Henríco rege Octávo diutúrno cárcere afféctus et novíssime Tybúrni patíbuli supplíciis datus, ad déxteram Christi migrávit.

11*. Marianópoli in Quebéco Cánadæ província, beáti Frideríci Janssoone, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum, qui ad proféctum fídei peregrinatiónes in Terram Sanctam valde propagávit.

12*. Matríti in Hispánia, beáti Gundisálvi Gonzalo, religiósi ex Ordine Sancti Ioánnis a Deo et mártyris, qui, persecutióne erga fidem sæviénte, Christi confessiónem sánguine suo confirmávit.

13*. Barcinóne item in Hispánia, beatórum mártyrum Ioséphi Batalla Parramón, presbýteri, Ioséphi Rabasa Bentanachs et Ægídii Gil Rodicio, religiosórum, e Societáte Salesiána, qui in eádem persecutióne per certámen fídei vitam accepérunt ætérnam.

14*. Intra castra detentiónis Dacháni prope Monáchium Baváriæ in Germánia, beáti Henríci Krzysztofik, presbýteri et mártyris, qui, témpore belli e Polónia in aliénum cárcerem propter christiánam confessiónem deportátus, per supplícia martýrium consummávit.

Die 5 augusti

Nonis augústi. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
1	2	3	4	5	6	5	6	7	8	9	10

Dedicátio basílicæ Sanctæ Maríæ, Romæ in Exquíliis cónditæ, quam in memóriam Concílii Ephesíni, in quo María Virgo Dei Génetrix salutáta est, Xystus papa Tértius plebi Dei óbtulit.

2. Cataláuni in Gállia Bélgica, sancti Mémmii, qui primus huius civitátis epíscopus cólitur.

3. Theáni in Campánia, sancti Páridis, epíscopi, qui primus hanc sedem créditur tenuísse.

4. Augustodúni in Gállia Lugdunénsi, sancti Cassiáni, epíscopi.

5. Naziánzi in Cappadócia, sanctæ Nonnæ, quæ coniunx fuit sancti epíscopi Gregórii Senióris et mater sanctórum Gregórii Theólogi, Cæsárii et Gorgóniæ.

6. Asculi in Picéno Itáliæ, sancti Emígdii, qui primus huius civitátis epíscopus et martyr celebrátur.

7*. Vivárii ad Rhódanum in Gállia, sancti Venántii, epíscopi.

8*. Tremúlii in Secaláunia Gálliæ regióne, sancti Viatóris, eremítæ.

9. In loco *Maserfield* póstea ab eo Oswéstria nuncupáto in agro Angliæ Salopiénsi, sancti Oswáldi, mártyris, qui, rex Northúmbriæ arte militári clarus, sed magis paci amícus, christiánam fidem in regióne strénue pervulgávit et in prœlio contra pagános in ódium Christi interféctus est.

10*. In Monte Granário in Picéno Itáliæ, beáti Francísci Zanfredini, vulgo Cecchi de Pisáuro, e Tértio Ordine Sancti Francísci, qui, bonis ómnibus in egénos erogátis, in erémo, quem ædificáverat, pæniténtiæ, oratiónis ac bonórum óperum annos prope quinquagínta exémplum fuit.

11. Apud Septémpedam item in Picéno, sanctæ Margarítæ, víduæ.

12*. In freto maris ante Rupifórtium ad litus Gálliæ, beáti Petri Michaélis Noël, presbýteri Rothomagénsis et mártyris, qui in gállica perturbatióne propter sacerdótium in navi servitútis inhumáne deténtus gravi contagióne consúmptus est.

Die 6 augusti

Octávo Idus augústi. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
2	3	4	5	6	7	6	7	8	9	10	11

Festum Transfiguratiónis Dómini, in qua Christus Iesus, Unigénitus ætérno Patri diléctus, coram sanctis Apóstolis Petro, Iacóbo et Ioánne glóriam suam, lege prophetísque testántibus, manifestávit, ut in humilitáte servílis formæ nostræ ipsi coaptátæ gloriósam nostram ex grátia reparatiónem significáret et imágo Dei, ad quam creátus est homo, etsi in Adam corrúpta, in Christo reformáta usque ad fines terræ proclamarétur.

2. Romæ via Appia in cœmetério Callísti, pássio sancti Xysti papæ Secúndi eiúsque sociórum, quorum memória cras celebrátur.

3. Complúti in Hispánia Carthaginénsi, sanctórum fratrum Iusti et Pastóris, mártyrum, qui, adhuc púeri, sponte ad martýrium, relíctis in schola tábulis, cucurrérunt et mox, a præside tenéri iussi et fústibus cædi, ambo, cum mútuis exhortatiónibus se roborárent, a carnífice gládio pro Christo iuguláti sunt.

4. Romæ apud sanctum Petrum, deposítio sancti Hormísdæ papæ, qui, sígnifer pacis, obtínuit ut in Oriénte schisma acaciánum componerétur et in Occidénte iura Ecclésiæ a novis géntibus reverénter servaréntur.

5*. Savóne in Ligúria, beáti Octaviáni, epíscopi et fratris Callísti papæ Secúndi, qui in claustro sicut in cáthedra Deo ac frátribus servíre curávit.

6*. In território Luxemburgénsi, beáti Schecelíni, eremítæ, qui in silva sine tugúrio nec vestiménto vixit, confídens in Deo qui dat nivem sicut lanam.

7. Bonóniæ in Æmília, natális sancti Domínici, presbýteri, cuius memória bíduo post celebrátur.

8*. Apud Montem Vidéntem in Uruguáia, beátæ Maríæ Francíscæ a Iesu (Annæ Maríæ) Rubatto, vírginis, quæ in civitáte *Loano* prope Savónem in Italia Institútum Sorórum Tertiariárum Capuccinárum fundávit et in Américam Latínam profécta omnem curam de paupéribus inserviéndo adhíbuit.

9*. Prope civitátem *Gandía* in pago Valentíno Hispániæ, beáti Cároli López Vidal, mártyris, qui, témpore persecutiónis erga fidem, glóriam cæléstem consecútus est.

10*. Prope Monáchium Baváriæ in Germánia, beáti Thaddæi Dulny, mártyris, qui, témpore Polóniæ more militári occupátæ, castris detentiónis Dacháni ob Christi fidem datus est et, dira perpéssus torménta, ad cæléstem glóriam migrávit.

Die 7 augusti

Séptimo Idus augústi. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
3	4	5	6	7	8	7	8	9	10	11	12

Sanctórum Xysti papæ Secúndi et sociórum, mártyrum. Xystus Póntifex, dum sacra peragébat et cæléstia iussa fratres docébat, superveniéntibus milítibus, ex edícto Valeriáni imperatóris súbito comprehénsus et decollátus est, die sexta augústi; cum eo diáconi quáttuor martýrium passi sunt et Romæ cum pontífice in cœmetério Callísti via Appia depósiti sunt. Eódem die sancti Agapítus et Felicíssimus ipsi, eius diáconi, in cœmetério Prætextáti cecidérunt, ubi quoque sepúlti sunt.

Sancti Caietáni Thienǽi, presbýteri, qui Neápoli in Campánia óperam caritátis pie dedit, præsértim tabe insanábili inféctis, sodalítia pro láicis religióse instituéndis promóvit et ad Ecclésiam reformándam Cléricos Reguláres instítuit, prístinam apostólicam vivéndi ratiónem alúmnis suis coléndam tradens.

3. Augústæ Vindelicórum in Rǽtia, sanctæ Afræ, mártyris, quæ, peccátrix ad Christum convérsa et nondum baptizáta, ob Christi confessiónem igni trádita esse narrátur.

4. Arétii in Etrúria, sancti Donáti, secúndi huius sedis epíscopi, cuius oratiónis virtútem et vim sanctus Gregórius papa Magnus laudat.

5. Cataláuni in Gállia Bélgica, sancti Donatiáni, epíscopi.

6. Rothómagi item in Gállia, sancti Victrícii, epíscopi, qui, adhuc miles, sub Iuliáno imperatóre, pro Christo cíngulum abíciens, a tribúno multis torméntis afféctus est et cápitis damnátus, dein, liber evásus epíscopus factus, indómitas Morinórum et Nerviórum gentes ad Christi fidem quoque perdúxit.

7*. Vesontióne in Burgúndia, sancti Donáti, epíscopi, qui e præcéptis sanctórum Benedícti, Columbáni et Cæsárii Régulam pro virgínibus compósuit.

8*. Venétiis, beáti Iordáni Forzaté, abbátis, qui Patávii monasteriórum fundátor fuit et, cum pátriæ ruínam omni conátu suo avértere non posset, religiosíssimus exsul, honestáte, morum probitáte et sciéntia clarus, pie in Dómino obdormívit.

9*. Messánæ in Sicília, sancti Albérti de Abbátibus, presbýteri ex Ordine Carmelitárum, qui prædicatióne multos Iudǽos ad Christum convértit et urbi obséssæ commeátus provídit.

10*. Apud Saxoferrátum in Picéno Itáliæ, beáti Albérti, mónachi ex Ordine Camalduiénsi, austeritáte atque summa régulæ observántia insígnis.

11*. Aquilæ in Vestínis, beáti Vincéntii, religiósi ex Ordine Minórum, humilitáte et spíritu prophético exímii.

12*. In urbe *Gondar* in Æthiópia, beatórum Agathángeli de Vindocíno (Francísci) Nourry et Cassiáni de Nannétibus (Gundisálvi) Vaz López-Netto, presbyterórum ex Ordine Fratrum Minórum Capuccinórum et mártyrum, qui in Sýria, Ægýpto atque Æthiópia christiános seiúnctos cum Ecclésia cathólica reconciliáre conáti sunt, sed regis Æthiópiæ iussu, próprio fune truncis suspénsi, lapídibus óbruti sunt.

13*. Lancástriæ in Anglia, beatórum Martíni a Sancto Felíce (Ioánnis) Woodcock, ex Ordine Fratrum Minórum, Eduárdi Bamber et Thomæ Whitaker, presbyterórum et mártyrum, qui, cum sacerdótes in Cároli regis Primi domínia se recepíssent, suspéndii supplícium perpéssi sunt.

14*. Eboráci item in Anglia, beáti Nicolái Postgate, presbýteri et mártyris, qui sub Cárolo rege Secúndo propter sacerdótium, quod quinquagínta círciter annos inter páuperes clam proféssus erat, patíbulo suspénsus est.

15*. In óppido *Górka Duchowna* prope Posnániam in Polónia, beáti Edmúndi Bojanowski, qui paupéribus et rústicis iuxta Evangélii præcépta instituéndis omni stúdio óperam navávit et Congregatiónem Ancillárum Immaculátæ Conceptiónis Matris Dei fundávit.

16. Colímæ in México, sancti Michaélis de la Mora, presbýteri et mártyris, qui, persecutióne contra Ecclésiam furénte, quod sacérdos esset, martýrio coronátus est.

Die 8 augusti

Sexto Idus augústi. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
14	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**1**	**2**	**3**

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
4	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**

Memória sancti Domínici, presbýteri, qui, Oxoménsis canónicus, prædicatiónis húmilis minister in regiónibus hǽresi Albigénsi perturbátis, in abiectióne vixit voluntáriæ paupertátis cum Deo vel de Deo semper loquens et, novæ fidem propagándi ratiónis cúpidus, Ordinem Prædicatórum fundávit, ut in Ecclésia apostólica vivéndi forma renovarétur, frátribus suis mandans, ut oratióne, stúdio et verbi ministério próximis deservírent; eius óbitus Bonóniæ die sexta augústi evénit.

2. Albáni via Appia miliário décimo quinto ab urbe Roma, sanctórum Secúndi, Carpóphori, Victoríni et Severiáni, mártyrum.

3. Romæ via Ostiénsi miliário séptimo, sanctórum Cyríaci, Largi, Crescentiáni, Mémmiæ, Iuliánæ et Smarágdi, mártyrum.

4. Tarsi in Cilícia, pássio sancti Maríni, senis Anazarbénsis, qui sub Diocletiáno imperatóre et Lýsia prǽside decollátus est eiúsque corpus, iussu præfécti, feris devorándum proiéctum.

5. Medioláni in Ligúria, sancti Eusébii, epíscopi, qui pro orthodóxa fide adlaborávit atque ab Hunnis dírutam ecclésiam cathedrálem restítuit.

6. Viénnæ in Gállia Lugdunénsi, sancti Sevéri, presbýteri.

7*. Burdígalæ in Aquitánia, sancti Múmmoli, abbátis Floriacénsis.

8. Cýzici in Hellespónto, sancti Æmiliáni, epíscopi, qui, pro sacrárum Imáginum cultu a Leóne imperatóre multa passus, demum in exsílio vita excéssit.

9*. In monastério Godewicénsi in Austria, sancti Altmánni, epíscopi Passaviénsis, qui crebras clericórum domus sub Régula sancti Augustíni fundávit, cleri disciplínam instaurávit et ob Ecclésiæ libertátem defénsam ab Henríco imperatóre Quarto sede sua pulsus exsul óbiit.

10*. Gallésii apud Vitérbium in Túscia, sancti Famiáni, eremítæ, qui Colóniæ Agrippínæ natus, ópibus in páuperes distribútis, post sacras peregrinatiónes in Cisterciénsi hábitu hoc in loco óbiit.

11*. Londínii in Anglia, beáti Ioánnis Felton, mártyris, qui senténtiam excommunicatiónis advérsus Elísabeth regínam Primam a sancto Pio papa Quinto latam públice adfíxit, quaprópter apud Sanctum Paulum dire disséctus, nomen Salvatóris ínvocans martýrium glorióse consummávit.

12*. Eboráci item in Anglia, beáti Ioánnis Fingley, presbýteri et mártyris, sub eádem regína propter sacerdótium cápite damnáti et patíbuli supplício affécti. Cum eo étiam commemorátur beátus Robértus Bickendike, martyr, qui, eódem témpore sed incérto die et anno, quod se cum Ecclésia cathólica reconciliavísset, éadem torménta passus est.

13. In pago *Xixiaodun* apud *Xinhexian* in *Hebei* província Sinárum, sancti Pauli Ke Tingzhu, mártyris, qui christianórum pagi dux, in persecutióne a fautóribus factiónis «Yihetuan» gesta particulátim excarnificátus, céteris exémplum constántiæ præfúlsit.

14*. Zamóræ in Hispánia, beátæ Bonifátiæ Rodríguez Castro, vírginis, quæ, de christiáno et sociáli mulíerum proféctu per oratiónem et labórem sollícita ad exémplum Sacratíssimæ Famíliæ Názareth Congregatiónem Servárum a Sancto Ioseph suscitávit.

15*. Sydnéyi in Austrália, beátæ Maríæ a Cruce (Maríæ Hélenæ) MacKillop, vírginis, quæ Congregatiónem Sorórum a Sancto Ioseph et a Sacro Corde fundávit et inter multíplices ærúmnas iniuriásque moceráta est.

16*. Pódii Caiáni in Etrúria, beátæ Maríæ Margarítæ (Maríæ Annæ Rosæ) Caiani, vírginis, quæ Institútum Franciscanárum cóndidit Sorórum Minimárum a Sacro Corde, pro iuventúte instituénda ægrotísque opitulándis.

17*. In loco *El Saler* nuncupáto prope Valéntiam in Hispánia, beáti Antónii Silvestre Moya, presbýteri et mártyris, qui, persecutióne erga fidem sæviénte, ob constans Christi testimónium invíctus ad cæléste regnum pervénit.

18*. Valéntiæ item in Hispánia, beatárum Maríæ a Iesu Infánte Baldillou y Bullit et sociárum,[2] vírginum ex Institúto Filiárum Maríæ Scholárum Piárum et mártyrum, quæ in eádem persecutióne Christo Sponso vi inimicórum Ecclésiæ glorióse exiérunt óbviam.

19*. In loco *Gusen* in Germánia, beáti Vladimíri Laskowski, presbýteri et mártyris, qui, belli témpore, in castra detentiónis propter fidem coniéctus et dire excruciátus glóriam martýrii adéptus est.

Die 9 augusti

Quinto Idus augústi. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
5	6	7	8	9	10	9	10	11	12	13	14

Sanctæ Terésiæ Benedíctæ a Cruce (Edíthæ) Stein, vírginis ex Ordine Carmelitárum Discalceatárum et mártyris, quæ, in iudáica religióne nata et institúta, cum áliquot annos magnas inter ærúmnas philosóphiam proféssa esset, vitam novam in Christo per baptísmum suscépit et sub velámine sanctimoniá-

[2] Quarum nomina: Presentatio a Sacra Familia (Paschalina) Gallén y Martí, Maria Aloysia a Iesu Girón y Romera, Carmela a Sancto Philippo Neri (Nazaria) Gómez y Lezaun et Clementia a Sancto Ioanne Baptista (Antonia) Riba y Mestres.

lium prosecúta est, donec sub nefário regímine in hóminum ac fídei dignitátem hostíli in captivitátem exsul trusa, in campo exítii *Oświęcim* seu *Auschwitz* prope Cracóviam in Polónia mortífero vapóre necáta est.

2. Romæ in cœmetério sancti Lauréntii via Tiburtína, sancti Románi, mártyris.

3*. In monastério Achadénsi in Hibérnia, sancti Nathǽi, epíscopi et abbátis.

4*. Kilmóræ item in Hibérnia, sancti Fedlimíni, epíscopi.

5. Constantinópoli, commemorátio sanctórum mártyrum, qui, cum antíquam Salvatóris imáginem in Porta Ænea collocátam, iussu Leónis Isáurici imperatóris deiciéndam, defendíssent, necáti esse narrántur.

6*. Palénæ in Calábria, beáti Falci, eremítæ.

7*. Floréntiæ in Etrúria, beáti Ioánnis de Salérno, presbýteri ex Ordine Prædicatórum, qui convéntum Sanctæ Maríæ Novéllæ fundávit et contra hæréticos pataténos intrépide egit.

8*. In Alvérniæ monte item in Etrúria, beáti Ioánnis de Firmo, presbýteri ex Ordine Minórum, qui in solitúdine vixit mira abstinéntia et pæniténtia corpus édomans.

9*. Londínii in Anglia, beáti Richárdi Bere, presbýteri et mártyris, qui, iussu Henríci regis Octávi, propter fidelitátem erga Románum Pontíficem et matrimónii christiáni defensiónem, cum confrátribus Cartúsiæ illíus civitátis diu squalóre cárceris et fame conféctus, exspirávit.

10*. In sórdida actuária ad áncoras constitúta in salo ante Rupifórtium in Gállia, beáti Cláudii Richard, presbýteri ex Ordine Sancti Benedícti et mártyris, qui témpore gállicæ perturbatiónis propter sacerdótium e Mediáno monastério pulsus et in navem servitútis coniéctus, dum concaptívis ægrótis assidébat, ipse contagióne corréptus óbiit.

11*. Salmánticæ in Hispánia, beátæ Cándidæ Maríæ a Iesu (Ioánnæ Ioséphæ) Cipitria, vírginis, quæ Congregatiónem Filiárum Iesu fundávit, ut adiutrícem óperam præbéret in christiána puerórum institutióne.

12*. Barbástri item in Hispánia, beáti Florentíni Asensio Barroso, epíscopi et mártyris, qui, persecutióne contra Ecclésiam sæviénte, quam fidem pópulo ipsi commísso prædicáre non cessáverat próprio sánguine testátus est, plumbis a militiánis perfóssus.

13*. Barcinóne item in Hispánia, beatórum Ruben a Iesu López Aguilar et sex sociórum,[3] religiosórum ex Ordine Sancti Ioánnis a Deo et mártyrum, qui in eádem persecutióne in ódium vitæ religiósæ occísi ad Dóminum transivérunt.

14*. In óppido *Azanuy* in pago Oscénsi item in Hispánia, beatórum Faustíni Oteiza, presbýteri, et Florentíni Felipe, religiosórum ex Ordine Clericórum Regulárium Scholárum Piárum et mártyrum, qui in eádem persecutióne pro Christo occubuérunt.

15*. In loco *Argès* prope Tolétum item in Hispánia, beáti Guliélmi Plaza Hernández, presbýteri e Sodalitáte sacerdótum operariórum diœcesanórum et mártyris, qui eódem die in eódem certámine réddidit spíritum.

16*. In vico *Carcaixent* in pago Valentíno item in Hispánia, beáti Germáni (Ioséphi Maríæ) Garrigues Hernández, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum Capuccinórum et mártyris, qui, persecutióne erga fidem furénte, pretiósa morte córporis torménta devícit.

[3] Quorum nomina: beati Arthurus (Aloysius) Ayala Niño, Ioannes Baptista (Iosephus) Velázquez Peláez, Eugenius (Alphonsus Antonius) Ramírez Salazar, Stephanus (Gabriel) Maya Gutiérrez, Melchiades (Raymundus) Ramírez Zuluaga, Gaspar (Aloysius Modestus) Páez Perdono.

Die 10 augusti

Quarto Idus augústi. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
6	7	8	9	10	11	10	11	12	13	14	15

Festum sancti Lauréntii, diáconi et mártyris, qui, Xysti papæ consórtium étiam in martýrio cúpiens, ut refert sanctus Leo Magnus, thesáuros Ecclésiæ trádere iussus, páuperes, in quorum victum atque vestiméntum facultátes cumuláverat, illúso tyránno osténdit ac post tríduum pro Christi fide flammas superávit et in honórem eius triúmphi transiérunt étiam instruménta supplícii. Eius corpus Romæ in cœmetério in agro Veráno eius nómine appelláto depósitum est.

2. Commemorátio sanctórum mártyrum, qui Alexandríæ in Ægýpto, in persecutióne Valeriáni imperatóris sub præfécto Æmiliáno divérsis exquisitísque torméntis diútius cruciáti, vário mortis génere corónam martýrii sunt adépti.

3*. Dumbláni in Scótia, sancti Blani, epíscopi.

4*. Alcami in Sicília, beáti Archángeli de Calataphíno Piacentini, presbýteri ex Ordine Minórum, vitæ austeritáte et stúdio solitúdinis insígnis.

5*. In urbe *Iki* in Iapónia, beáti Augustíni Ota, religiósi e Societáte Iesu et mártyris, qui pro Christo decollátus est.

6*. In freto maris ante Rupifórtium ad oram Gálliæ, beatórum Cláudii Ioséphi Jouffret de Bonnefont, e Societáte Sancti Sulpítii, Francísci François, ex Ordine Fratrum Minórum Capuccinórum, et Lázari Tiersot, ex Ordine Cartusiénsi, presbyterórum et mártyrum, qui, témpore gállicæ perturbatiónis in fœdam navem relegáti, propter sacerdótium martýrium complevérunt.

7*. In loco *El Saler* nuncupáto prope Noléntiam in Hispánia, beáti Iosćphi Toledo Pellicer, presbýteri et mártyris, qui, Christo summo sacerdóti conformátus, quem cóluit, martýrii triúmpho imitátus est.

8*. Valéntiæ item in Hispánia, beáti Ioánnis Martorell Soria, presbýteri e Societáte Salesiána et mártyris, qui in eádem persecutióne martýrium passus est. Cum eo commemorátur étiam beátus martyr Petrus Mesonero Rodríguez, religiósus ex eádem Societáte, qui in vico *Vedat de Torrent* in pago Valentíno ignóto die ob Christi testimónium coronátus est.

9*. Intra castra detentiónis Dacháni prope Monáchium Baváriæ in Germánia, beatórum Francísci Drzewiecki, e Congregatióne Parvi Operis Divínæ Providéntiæ, et Eduárdi Grzymała, presbyterórum et mártyrum, qui, polóni génere, pátria témpore belli vastáta, in aliénam custódiam a persecutóribus cónditi, per supplícium exhalatiónis mortíferi vapóris ad Christum migravérunt.

Die 11 augusti

Tértio Idus augústi. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
17	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
7	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**

Memóriaa sanctæ Claræ, vírginis, quæ, prima planta Páuperum Dominárum Ordinis Minórum, sanctum Francíscum secúta est, Asísii in Umbria vitam agens ásperam, sed opéribus caritátis et pietátis locuplétem; exímia vero paupertátis amátrix, ab ea numquam, ne in extréma quidem indigéntia et infirmitáte, divélli concéssit.

2. Cománæ in Ponto, sancti Alexándri, cognoménto Carbonárii, epíscopi, qui, e philosóphia eminéntem christiánæ humilitátis sciéntiam adéptus et a sancto Gregório Thaumatúrgo in sedem illíus Ecclésiæ sublimátus, non solum prædicatióne, sed étiam consummáto per ignem martýrio illústris éxstitit.

3. Romæ in cœmetério ad duas lauros via Labicána miliário tértio, sancti Tibúrtii, mártyris, cuius laudes sanctus Dámasus papa celebrávit.

4. Ibídem, commemorátio sanctæ Susánnæ, sub cuius nómine, in fastis antíquis inter mártyres celebráto, Deo dicáta est sǽculo sexto basílica Títuli Gáii iuxta Thermas Diocletiáni.

5. Asísii in Umbria, sancti Rufíni, qui primus huius civitátis epíscopus et martyr habétur.

6*. Benevénti in Campánia, sancti Cassiáni, epíscopi.

7. Ebróicis in Gállia, sancti Tauríni, qui primus epíscopus huius civitátis cólitur.

8*. In Hibérnia, sanctæ Attráctæ, abbatíssæ, quæ a sancto Patrício velum vírginum accepísse fertur.

9. In província Valériæ, sancti Equítii, abbátis, qui, ut sanctus Gregórius papa Magnus scribit, sanctitátis suæ grátia multórum monasteriórum pater éxstitit et, quocúmque pervénerat, Sacrárum Scripturárum aperiébat fontem.

10. Cameráci in Austrásia, sancti Gaugeríci, epíscopi, pietáte ac caritáte erga páuperes clari, qui a Magneríco Trevirénsi diáconus ordinátus est et, ad sedem Cameracénsem eléctus, episcopátum trigínta novem annos egit.

11*. Areláte in Província, sanctæ Rustícolæ, abbatíssæ, quæ moniálibus sancte prǽfuit annos fere sexagínta.

12*. Glocéstriæ in Anglia, beatórum Ioánnis Sandys et Stéphani Rowsham, presbyterórum, et Guliélmi Lampley, manuleárii, mártyrum, qui, sub Elísabeth regína Prima divérsis non tráditis diébus éadem supplícia pro Christo subiérunt.

13*. Ad áncoram extra portum Rupifórtii ad oram Gálliæ, beáti Ioánnis Geórgii (Iacóbi) Rhem, presbýteri ex Ordine Prædicatórum et mártyris, qui, témpore persecutiónis in squálidam captivitátem detrúsus, sócios cárceris dire vexátos in spem inducébat, donec ipse insanábili morbo pro Christo occúbuit.

14*. In vico *Agullent* in pago Valentíno Hispániæ, beáti Raphaélis Alonso Gutiérrez, mártyris, qui, paterfamílias, persecutióne erga fidem sæviénte, sánguinem pro Christo effúdit. Cum eo commemorátur étiam beátus martyr Cárolus Díaz Gandía, qui hoc die in eódem pago per certámen fídei vitam accépit ætérnam.

15*. In vico *Prat de Compte* prope Tarracónem item in Hispánia, beáti Michaélis Domingo Cendra, religiósi e Societáte Salesiána et mártyris, qui in eádem persecutióne per martýrium palmam insígnem cónsequi méruit.

16*. Ad fines Tibéti, beáti Maurítii Tornay, presbýteri et mártyris, qui, canónicus reguláris e Congregatióne Sanctórum Nicolái et Bernárdi Montis Iovis, Evangélium in Sinis et Tibéto eníxe nuntiávit atque a christiáni nóminis inimícis necátus est.

Die 12 augusti

Prídie Idus augústi. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
18	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
8	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**

Sanctæ Ioánnæ Francíscæ Frémiot de Chantal, religiósæ, quæ e christiáno matrimónio sex hábuit fílios, quos pie educávit; cóniuge póstmodum defúncto, sub moderámine sancti Francísci de Sales viam perfectiónis alácriter percúrrit atque ópera caritátis in páuperes præsértim et ægrótos exércuit. Ordini Visitatiónis Sanctæ Maríæ inítium dedit, quem et sapiénter diréxit. Ipsíus tránsitus Molínis ad ripam Eláveris prope Nivérnum in Gállia die tértia décima decémbris occúrrit.

2. Cátanæ in Sicília, sancti Eupli, mártyris, qui in persecutióne Diocletiáni imperatóris, ut fertur, cum volúmina Evangeliórum in manu habéret, a correctóre Calvisiáno in cárcerem coniéctus est; cumque, íterum inquisítus, se Evangélia in corde tenére gloriári respondísset, fústibus ad mortem cæsus est.

3. Nicomedíæ, sanctórum Anicéti et Phótii, mártyrum.

4*. Alládæ in Hibérnia, sancti Muredáchi, epíscopi.

5*. Item in Hibérnia, in cella eius nómine vocáta, sanctæ Léliæ vírginis.

6. Bríxiæ in Langobárdia, sancti Herculáni, epíscopi.

7. In Lirinénsi ínsula in Província, sanctórum mártyrum Porcárii, abbátis, et plurimórum monachórum, qui a Saracénis cæsi esse tradúntur.

8*. Ruthíni in Cámbria septemtrionáli, beáti Cároli Meehan, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum et mártyris, qui, génere hibérnus, dum per illam diciónem ad pátriam iter faciébat comprehénsus et cápite damnátus, quod Cároli regis Secúndi domínia petivísset, fune ferróque palmam martýrii consecútus est.

9*. Romæ, beáti Innocéntii papæ Undécimi, qui Ecclésiam sapiénter rexit, etsi acérbis dolóribus et ærúmnis vexátus.

10*. In fœda actuária in salo ante Rupifórtium in Gállia constitúta, beáti Petri Jarrige de la Morélie de Puyredon, presbýteri, qui, persecutióne in Ecclésiam sæviénte, diutíssime ad ásperam vim solis expósitus pro Christo mórtuus est.

11. In urbe *Nam Định* in Tunquíno, sanctórum mártyrum Iacóbi Đỗ Mai Năm, presbýteri, Antónii Nguyễn Đích, agrícolæ, et Michaélis Nguyễn Huy Mỹ, médici, qui pro Christo sub imperatóre Minh Mạng post dira torménta cápite truncáti sunt.

12*. In óppido *Hornachuelos* prope Córdubam in Hispánia, beátæ Victóriæ Díez y Bustos de Molina, vírginis et mártyris, quæ magístræ munus in Institúto Teresiáno implévit et, ímpetu advérsus Ecclésiam facto, fidem christiánam proféssa, ad martýrium álios exhórtans martýrium ipsa pati méruit.

13*. In Valle Mauri prope Matrítum item in Hispánia, beáti Flávii (Atiláni) Argüeso González, religiósi ex Ordine Sancti Ioánnis a Deo et mártyris, qui in eádem persecutióne in ódium fídei occúbuit.

14*. Barbástri prope Oscam in Aragónia Hispániæ, beatórum Sebastiáni Calvo Martínez, presbýteri, et quinque sociórum,[4] mártyrum, qui, religiósi ex Congregatióne Missionariórum Immaculáti Cordis Maríæ, in eádem persecutióne gloriósum peregérunt certámen.

15*. Tarracóne item in Hispánia, beáti Antónii Perulles Estívill, presbýteri e Sodalitáte sacerdótum operariórum diœcesanórum et mártyris, qui in eádem persecutiónis tempestáte in via agónem consummávit.

16*. Dacháni prope Monáchium Baváriæ in Germánia, beatórum Floriáni Stępniak, ex Ordine Fratrum Minórum Capuccinórum, et Ioséphi Straszewski, presbyterórum et mártyrum, qui, témpore invasiónis Polóniæ in bello, in castris detentiónis mortífero vapóre inquináti vita excessérunt.

17*. In loco *Planegg* prope Monáchium Baváriæ in Germánia, beáti Cároli Leisner, presbýteri et mártyris, qui, adhuc diáconus, propter públicam fídei professiónem et assíduum animárum servítium in cárcerem dedúctus est et, in campo detentiónis Dacháni sacérdos ordinátus, etsi libertáti rédditus, ob ærúmnas in captivitáte suscéptas occúbuit.

Die 13 augusti

Idibus augústi. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
19	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
9	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**

Sanctórum mártyrum Pontiáni, papæ, et Hippólyti, presbýteri, qui simul in Sardíniam deportáti sunt ibíque ambo commúni damnatióne et una, ut vidétur, laureáti coróna, tandem in Urbem hic in cœmetérium ad viam Tiburtínam, ille in cœmetérium Callísti transláti sunt.

[4] Quorum nomina: beati Petrus Cunill Padrós, Iosephus Pavón Bueno, Nicasius Sierra Ucar, presbyteri; Venceslaus Clarís Vilaregut, subdiaconus; Gregorius Chirivás Lacambra, religiosus.

2. Fori Cornélii in Flamínia, sancti Cassiáni, mártyris, qui, cum idóla adoráre noluísset, púeris, quibus magíster præfúerat, tráditus est cálamis ad mortem torquéndus, ut, quanto infírmior manus, tanto grávior pœna esset martýrii.

3. Lugdúni in Gállia, sancti Antíochi, epíscopi, qui, adhuc présbyter, usque ad viséndum sanctum Iustum, epíscopum suum, in erémo Ægýpti tunc degéntem perréxit.

4. Pictávii in Aquitánia, sanctæ Radegúndis, quæ, regína Francórum, adhuc vivénte rege Clotário cóniuge suo, sacrum velámen accépit et in monastério Sanctæ Crucis Pictaviénsis, quod ipsa construxerat, sub Régula sancti Cæsárii Arelaténsis militávit.

5. In castro Schemári ad ripam Hippi in iugis Cáucasi, tránsitus sancti Máximi Confessóris, abbátis Chrysopolitáni prope Constantinópolim, doctrína et cathólicæ veritátis zelo insígnis, qui, cum advérsus monothelítas strénue decertáret, ab imperatóre hærético Constánte, præcísa manu déxtera, duóbus cum discípulis, quibus nomen Anastásius, post duram custódiam et multíplices sævítias, in Lazícam regiónem relegátus, spíritum Deo réddidit.

6. Friteslériæ in Hássia Austrásiæ, sancti Vigbérti, presbýteri et abbátis, cui sanctus Bonifátius curam monastérii loci commísit.

7*. In monastério Aldenburgénsi in terra Vocatórum Germániæ, beátæ Gertrúdis, abbatíssæ ex Ordine Præmonstraténsi, quæ adhuc puéllula a matre sancta Elísabeth, regína Hungáriæ, hoc in loco Deo obláta est.

8*. Macólici in Hibérnia, beatórum Patrícii O'Healy, epíscopi Mayénsis, et Conni O'Rourke, presbýteri, ambórum ex Ordine Fratrum Minórum, qui propter sacerdótium palam patefáctum cápite damnáti sunt et patíbuli supplíciis dedúcti.

9*. Viroviáci in Anglia, beáti Guliélmi Freeman, presbýteri et mártyris, qui, sub Elísabeth regína Prima tantúmmodo quod sacérdos esset cápite damnátus, pro patíbulo hymnum «Te Deum» cánere inchoávit et constánti ánimo ad martýrii supplícia adívit.

10. Romæ, sancti Ioánnis Berchmans, religiósi e Societáte Iesu, qui ómnibus dilectíssimus ob sincéram pietátem, caritátem non fictam perpetuámque hilaritátem, brevem post infirmitátem suprémum diem lætus óbiit.

11*. Vindóbonæ in Austria, beáti Marci de Aviáno (Cároli Domínici) Cristofori, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum Capuccinórum, qui, sápiens prædicátor verbi Dei, ubíque miram dedit óperam pro egénis atque ægrótis, ánimos poténtium mundi præsértim cóncitans, ut fidem et pacem omni negótio et utilitáti antepónerent.

12*. In freto maris ad litus Rupifórtii porrigénti in Gállia, beáti Petri Gabilhaud, presbýteri et mártyris, qui, gállicæ perturbatiónis tempestátibus propter sacerdótium in navi servitútis deténtus, inédia morbóque consúmptus est.

13. In óppido *Saugues* prope Anícium item in Gállia, sancti Beníldi (Petri) Romançon, ex Institúto Fratrum Scholárum Christianárum, qui in erudiénda iuventúte ætátem degit.

14*. Barbástri prope Oscam in Aragónia Hispániæ, beatórum Secundíni Maríæ Ortega García, presbýteri, et undevigínti sociórum,[5] mártyrum, qui, religiósi e Congregatióne Missionariórum Filiórum Immaculáti Cordis Maríæ, persecutióne advérsus Ecclésiam sæviénte, in ódium vitæ religiósæ interfécti sunt.

15*. In óppido *Almazora* prope Castáliam ad litus Hispániæ, beáti Ioánnis Agramunt, presbýteri ex Ordine Clericórum Regulárium Scholárum Piárum et mártyris in eádem persecutióne.

16*. Prope vicum *Albocàsser* in pago Castellionénsi in Hispánia, beáti Modésti García Martí, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum Capuccinórum et mártyris, qui in persecutióne erga fidem evangélicum propósitum martýrio perfécit.

[5] Quorum nomina: beati Antoninus Calvo Calvo, Antonius Maria Dalmau Rosich, Ioannes Echarri Vique, Petrus García Bernal, Hilarius Maria Llorente Martín, Salvator Pigem Serra, lectores; Xaverius Ludovicus Bandrés Jiménez, Iosephus Brengaret Pujol, Thomas Capdevila Miró, Stephanus Casadevall Puig, Eusebius Codina Millá, Ioannes Codinachs Tuneu, Raymundus Novich Rabionet, Iosephus Maria Ormo Seró, Theodorus Ruiz de Larrinaga García, Ioannes Sánchez Munárriz, Emmanuel Torras Sais, Emmanuel Buil Lalueza, Alphonsus Miquel Garriga, religiosi.

17*. Barcinóne item in Hispánia, beáti Iosèphi Bonet Nadal, presbýteri e Societáte Salesiána et mártyris, qui, témpore eiúsdem persecutiónis, certámen pro fide complévit.

18*. Berolíni in loco *Plötzensee* in Germánia, beáti Iacóbi Gapp, presbýteri e Societáte Maríæ et mártyris, qui firmo ánimo nefária plácita militáris regíminis humánæ et christiánæ dignitáti infénsi mínime cum doctrína christiána congrúere proclamávit, quaprópter persecutiónibus obnóxius in Gálliam et Hispániam exsílio afféctus se cóntulit, sed ab emissáriis apprehénsus cápitis abscissíone tandem enecátus est.

Die 14 augusti

Décimo nono Kaléndas septémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
10	11	12	13	14	15	14	15	16	17	18	19

Memória sancti Maximiliáni Maríæ (Raymúndi) Kolbe, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum Conventuálium et mártyris, qui, Milítiæ Maríæ Immaculátæ fundátor, divérsa in loca captivitátis deportátus, tandem in campo exítii *Oświęcim* seu *Auschwitz* prope Cracóviam in Polónia pro concaptívo carnifícibus se trádidit, ministérium suum ut holocáustum caritátis cónferens et exémplum fidelitátis erga Deum ac hómines.

2. In Illýrico, sancti Ursicíni, mártyris.

3. Apaméæ in Sýria, sancti Marcélli, epíscopi et mártyris, qui, cum Iovis delúbrum diruísset, a furéntibus gentílibus occísus est.

4. Romæ, sancti Eusébii, títuli sui conditóris in Exquíliis.

5*. Róssiæ in Hibérnia, sancti Fachanáni, epíscopi et abbátis, qui ibi monastérium instítuit, rerum divinárum humanarúmque scholis célebre.

6. Aldenbúrgi in Flándria, tránsitus sancti Arnúlphi, epíscopi Suessionénsis, qui, ex mílite mónachus efféctus, dein epíscopus, pro pace et concórdia molítus est et in monastério ab ipso cóndito óbiit.

7*. Prope Montem Baróchium in Picéno Itáliæ, beáti Sancti de Urbíno Brancorsini, fratris convérsi ex Ordine Minórum.

8*. Hydrúnti in Apúlia, beatórum fere octingentórum mártyrum, qui a milítibus Othománis irrumpéntibus fidem abdicáre iussi, sed a beáto António Primaldo, sene textrínæ artis opífice, commóniti, ut in fide Christi perseverárent, cápitis trucidatióne corónam martýrii accepérunt.

9. Nagasákii in Iapónia, sanctórum mártyrum Domínici Ibáñez de Erquicia, presbýteri ex Ordine Prædicatórum, et Francísci Shoyemon, novítii in eódem Ordine catechístæ, qui in ódium nóminis christiáni sub suprémo duce Tokugawa Yemitsu interfécti sunt.

10*. Coriáni in Æmília, beátæ Elísabeth Renzi, vírginis, quæ, fundátrix Magistrárum Piárum a Vírgine Perdolénte, totum ánimum inténdit, ut in scholis puéllæ páuperes humána et catechética institutióne imbueréntur.

11*. In vico *Picassent* in pago Valentíno Hispániæ, beáti Vincéntii Rubiols Castelló, presbýteri et mártyris, qui in persecutióne fidem Christi martýrio testificátus est.

12*. In loco *El Saler* nuncupáto prope Valéntiam item in Hispánia, beáti Felícis Yuste Cava, presbýteri et mártyris, cui ob impávidam fidelitátem prǽmium Dóminus tríbuit ætérnum.

Die 15 augusti

Décimo octávo Kaléndas septémbris. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
21	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
11	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**

Sollémnitas Assumptiónis beátæ Maríæ Vírginis, Dei et Dómini nostri Iesu Christi Genetrícis, quæ, expléto terréstris vitæ cursu, córpore et ánima ad cæléstem glóriam assúmpta est. Hanc fidem Ecclésiæ traditióne recéptam Pius papa Duodécimus sollémniter definívit.

2. Romæ in cœmetério Callísti via Appia, commemorátio sancti Tarsícii, mártyris, qui, Christi deféndens sacratíssimam Eucharístiam, quam insána gentílium turba profanáre conabátur, lapídibus usque ad mortem mactári máluit quam sacra pródere cánibus.

3. Nicomedíæ in Bithýnia, sanctórum Stratónis, Philíppi et Euthychiáni, mártyrum.

4. Medioláni in Ligúria, sancti Simpliciáni, epíscopi, quem sanctus Ambrósius sibi designávit successórem atque sanctus Augustínus láudibus celebrávit.

5. Commemorátio sancti Alýpii, epíscopi Thagasténsis in Numídia, qui sancti Augustíni olim discípulus, póstea in conversióne sócius, in múnere pastorális colléga et in certamínibus advérsus hæréticos commílito strénuus ac demum in cælésti glória consors fuit.

6*. Hildésiæ in Saxónia Germániæ regióne, sancti Altfrídi, epíscopi, qui ecclésiam cathedrálem exstrúxit et monastéria condénda fovit.

7*. Apud Albam Regálem in Pannónia, natális sancti Stéphani, regis Hungarórum, cuius memória postrídie huius diéi cólitur.

8. Cracóviæ in Polónia, sancti Hyacínthi, presbýteri ex Ordine Prædicatórum, qui a sancto Domínico designátus est, ut Ordinem in illa natióne propagáret, et cum beáto Cesláo et Henríco Germánico sóciis in Bohémia ac Silésia Evangélium prædicávit.

9*. Saviliáni in Subalpínis, beáti Haymónis Taparelli, presbýteri ex Ordine Prædicatórum, veritátis defensóris indeféssi.

10*. Pallántiæ apud Nováriam in Itália, beátæ Iuliánæ de Busto Arsítio, vírginis ex Ordine Sancti Augustíni, invícta ánimi fortitúdine mirabilíque patiéntia et assídua cæléstium rerum contemplatióne insígnis.

11. Romæ, sancti Stanislái Kostka, qui, polónus génere, Societátem Iesu íngredi cúpiens, patérnæ domus fugam arrípuit et pédibus Romam pétiit, ubi a sancto Francísco de Borja in novitiátum admíssus, brevi consúmptus in humíllimis offíciis præstándis, sanctitáte clarus óbiit.

12*. In óppido *Wenga* prope *Busira* in Congo Bélgico, beáti Isidóri Bakanja, mártyris, qui adoléscens christiáne initiátus, fidem sédulo cóluit et impávide ádeo testátus est, dum labórem exercébat, ut a præpósito colóniæ in ódium christiánæ religiónis diutúrna flagellatióne excruciarétur et paucos post menses, persecutóri ignóscens, spíritum rédderet.

13. In loco *Chalchihuites* territórii Durangénsis in México, sanctórum mártyrum Aloýsii Batis Sáinz, presbýteri, Emmanuélis Morales, patrisfamílias, Salvatóris Lara Puente et Dávidis Roldán Lara, qui in persecutióne mexicána in ódium nóminis christiáni interfécti sunt.

14*. Barbástri prope Oscam in Aragónia Hispániæ, beatórum Ludovíci Masferrer Vila, presbýteri, et undevigínti sociórum,[6] mártyrum,

[6] Quorum nomina: beati Iosephus Maria Blasco Juan, Alphonsus Sorribes Teixidó, acolythi; Iosephus Maria Badía Mateu, Iosephus Figuero Beltrán, Eduardus Ripoll Diego, Franciscus Maria Roura Farró, Iesus Augustinus Viela Ezcurdia, lectores; Iosephus Maria Amorós Hernández, Ioannes Baixeras Berenguer, Raphael Briega Morales, Ludovicus Escalé Binefa, Raymundus Illa Salvía, Ludovicus Lladó Teixidó, Michael Masip González, Faustinus Pérez García, Sebastianus Riera Coromina, Iosephus Maria Ros Florensa; Franciscus Castán Messeguer et Emmanuel Martínez Jarauta, religiosi.

qui, religiósi e Congregatióne Missionariórum Filiórum Immaculáti Cordis Maríæ, persecutióne contra Ecclésiam sæviénte, in Christo vitam posuérunt et confrátres prídie huius diéi in eódem loco interféctos in glóriam Dómini ampléxi sunt.

15*. In vico *Almazora* apud Castáliam ad litus Hispániæ, beáti Iosèphi Maríæ Peris Polo, presbýteri e Sodalitáte sacerdótum operariórum diœcesanórum et mártyris, qui in eádem persecutióne in cœmetério martýrii palmam adéptus est.

16*. Matríti item in Hispánia, beátæ Maríæ a Sacrário a Sancto Aloýsio Gonzaga (Elvíræ) Moragas Cantarero, vírginis ex Ordine Carmelitárum Discalceatárum et in eádem persecutióne mártyris.

17*. Item Matríti in Hispánia, beáti Domínici (Augustíni) Hurtado Soler, presbýteri e Tértio Ordine Sancti Francísci Capulatórum a beáta Vírgine Perdolénti et mártyris, qui ob Christi testimónium coronátus est.

18*. In vico *Motril* apud Granátam ad litus Hispániæ, beáti Vincéntii Soler, presbýteri ex Ordine Augustinianórum Recollectórum et mártyris, qui in eádem persecutióne, cum áliis concaptívis ab ipso pie ad mortem parátis cápite damnátus est et ante cœmetérii muros plumbis transfóssus in Christo triumphávit.

19*. In vico *Palma de Gandía* in pago Valentíno item in Hispánia, beáti Carméli Sastre Sastre, presbýteri et mártyris, qui in eádem persecutióne, Christi vestígiis adhǽrens, per eius grátiam ad regna pervénit ætérna.

20*. In óppido *Tárrega* prope Barcinónem item in Hispánia, beáti Iacóbi Bonet Nadal, presbýteri e Societáte Salesiána et mártyris, qui in Christi sánguine discípulus fidélis méruit rédimi.

21*. Patávii in Itália, beáti Cláudii (Richárdi) Granzotto, religiósi ex Ordine Fratrum Minórum, qui professiónis religiósæ exercítium cum arte statuárii coniúnxit et paucis annis in Christi imitatióne perfectiónem assecútus est.

Die 16 augusti

Décimo séptimo Kaléndas septémbris. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
22	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
12	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**

Sancti Stéphani, regis Hungarórum, qui baptísmo regenerátus, coróna regni a Silvéstro papa Secúndo suscépta, Christi fídei apud Húngaros propagándæ provídit et Ecclésiam in regno suo ordinávit ac ópibus monasteriísque dotávit, iustus et pacíficus in súbditis regéndis, donec Albæ Regáli in Hungária, die Assumptiónis, ánima eius in cælum migrávit.

2. Commemorátio sancti Arsácii, qui sub Licínio imperatóre fidem christiánam proféssus est et, milítia relícta, Nicomedíæ solitáriam duxit vitam; dénique, futúram civitátis cladem prænúntians, in oratióne spíritum Deo réddidit.

3. Sedúni in Vallésia apud Helvétios, sancti Theodóri, primi illíus civitátis epíscopi, qui, sancti Ambrósii exémplum sequens, fidem cathólicam advérsus ariános defendit et mártyrum relíquias Agaunénsium honorífice cóluit.

4*. In Británnia Minóre, sancti Armagíli, eremítæ.

5*. In pago Gálliæ Cenomanénsi, sancti Frambáldi, mónachi, qui vitam duxit tum solitáriam tum cœnobíticam.

6*. In silva Rhedonénsi Británniæ Minóris, beáti Radúlphi de Fustéia, presbýteri, monastérii Sancti Sulpítii fundatóris.

7*. Subláci in Látio, beáti Lauréntii, cognoménto Loricáti, qui, cum quemdam forte occidísset, pœnam summa austeritáte et pæniténtia lúere státuit, in spelúnca montis vitam agens solitáriam.

8. In Langobárdia, sancti Rochi, qui, Monte Pessuláno in Langedócia Gálliæ ortus, pie peregrinándo et pestíferos per Itáliam curándo sanctitátis famam consecútus est.

9*. Floréntiæ in Etrúria, beáti Angeli Augustíni Mazzinghi, presbýteri ex Ordine Carmelitárum.

10*. Kyóti in Iapónia, beáti Ioánnis a Sancta Martha, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum et mártyris, qui, dum ad supplícium tradebátur, pópulo prædicábat et psalmum « Laudáte Dóminum, omnes gentes » canébat.

11*. Kokúræ item in Iapónia, beatórum mártyrum Simónis Bokusai Kyota, catechístæ, et Magdalénæ, cóniugum, Thomæ Gengoro et Maríæ, páriter cóniugum, atque Iacóbi fílii eórum adhuc púeri, qui ex decréto præfécti Yetsundo in ódium nóminis christiáni simul crucifíxi sunt, cápite deórsum.

12*. In fœdo navígio ad áncoras deligáto in salo ante Rupifórtium in Gállia, beáti Ioánnis Baptístæ Ménestrel, presbýteri et mártyris, qui, témpore gállicæ perturbatiónis propter sacerdótium ad víncula navália damnátus, plagis verminósis inféctus martýrium consummávit.

13. In vico *Fanjiazhuang* apud *Wujiao* in *Hebei* Sinárum província, sanctæ Rosæ Fan Hui, vírginis et mártyris, quæ in persecutióne sectatórum « Yihetuan », vulnéribus confóssa, in flumen adhuc spirans præcipitáta est.

14*. Barcinóne in Hispánia, beátæ Petræ a Sancto Ioseph (Annæ Iosephæ) Pérez Florido, vírginis, quæ assiduitátem derelíctis sénibus alácriter præbuit et Congregatiónem Sorórum Matrum Derelictórum fundávit.

15*. Hemeroscópii in pago Lucentíno item in Hispánia, beáti Plácidi García Gilabert, religiósi ex Ordine Fratrum Minórum et mártyris, qui pro Christo egrégium perégit certámen.

16*. In vico *Benicasim* prope Castáliam item in Hispánia, beáti Henríci García Beltrán, diáconi ex Ordine Fratrum Minórum Capuccinórum et mártyris, qui per martýrium victóriæ Christi párticeps factus est.

17*. In vico *Picassent* in pago Valentíno item in Hispánia, beáti Gabriélis (Ioséphi Maríæ) Sanchís Mompó, religiósi e Tértio Ordine Sancti Francísci Capulatórum a beáta Vírgine Perdolénti et mártyris, qui vi inimicórum Ecclésiæ ad Dóminum migrávit.

Die 17 augusti

Sextodécimo Kaléndas septémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
13	14	15	16	17	18	17	18	19	20	21	22

1. Cýzici in Hellespónto, sancti Myrónis, presbýteri et mártyris, qui, ut fertur, sub Décio imperatóre et Antípatro præside, post multa torménta, cápite truncátus est.

2. Cæsaréæ in Cappadócia, sancti Mamántis seu Mamétis, mártyris, qui, pastor humíllimus, solitárius in silvis móntium vixit máxima frugalitáte et, Christi fidem cónfitens, sub Aureliáno imperatóre martýrium consummávit.

3. In Sicília, natális sancti Eusébii, papæ, qui, strénuus testis Christi, a Maxéntio imperatóre hanc in ínsulam deportátus est et, exsul pátriæ terrénæ, méruit obtinére cæléstem; cuius corpus Romam translátum in cœmetério Callísti depósitum est.

4*. In Frísia, sancti Ierónis, presbýteri et mártyris, qui a pagánis Normánnis occísus esse tráditur.

5*. Thessalonícæ in Macedónia, tránsitus sancti Elíæ Iunióris, mónachi sub normis orientálium Patrum, qui, pro fide plura a Saracénis perpéssus, invícto tamen ánimo tum in Calábria, tum in Sicília ásperam oratiónis et austeritátis vitam duxit.

6*. Arcáriæ prope Mylas in Sicília, sancti Nicolái Politi, eremítæ, qui vitam máxime austéram duxit in spelúnca.

7*. Colle Etrúsco prope Senas in Etrúria, beáti Albérti, presbýteri, qui pópulo virtútum egrégium exémplum explícuit.

8. Monte Falco in Umbria, sanctæ Claræ a Cruce, vírginis ex Ordine Eremitárum Sancti Augustíni, quæ monastério Sanctæ Crucis præfuit, amóre Christi passiónis flagrans.

9. Toléti in Castélla Hispániæ, sanctæ Beatrícis da Silva Meneses, vírginis, quæ, primum fémina nóbilis in aula régia regínam Isabéllam cómitans, perfectiórem dein vitam dúcere malens inter moniáles Ordinis Sancti Domínici multos annos se recépit, demum novum Ordinem sub título Conceptiónis Beátæ Maríæ Vírginis instítuit.

10. Nagasákii in Iapónia, sanctórum mártyrum Iacóbi Kyuhei Gorobioye Tomonaga, presbýteri ex Ordine Prædicatórum, et Michaélis Kurobioye, qui pro Christo sub suprémo duce Tokugawa Yemitsu cápite damnáti sunt.

11. Salmúrii apud Andégavum in Gállia, sanctæ Ioánnæ Delanoue, vírginis, quæ, divínæ Providéntiæ præsídio pénitus inníxa, primum órphanas, vétulas, ægrótas perditásque mulíeres domum recépit, deínde cum sóciis Institúti Sorórum Sanctæ Annæ a Providéntia fundaménta iecit.

12*. In freto maris ante Rupifórtium in Gállia, beáti Natális Hilárii Le Conte, mártyris, qui, cléricus cathedrális Bituricénsis offício músici præpósitus, in ódium religiónis persecutióne sæviénte in navi servitútis deténtus, morbo corréptus pro Christo occúbuit.

13*. Apud óppidum *Castelfullit de la Roca* prope Gerúndam in Hispánia, beáti Henríci Canadell, presbýteri ex Ordine Clericórum Regulárium Scholárum Piárum et mártyris, in ódium Ecclésiæ interfécti.

Die 18 augusti

Quintodécimo Kaléndas septémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
14	15	16	17	18	19	18	19	20	21	22	23

1. Prænéste in Látio, sancti Agapíti, mártyris.

2. Uticæ in Africa, sanctórum mártyrum Massæ Cándidæ, qui, crebrióres píscibus ab Apóstolis in rete tractis, fidéles epíscopo suo Quadráto, simul Christum Dei Fílium confiténtes, magnánimi mortem occubuérunt.

3. Myræ in Lýcia, sancti Leónis, mártyris.

4. Romæ via Labicána, sanctæ Hélenæ, matris Constantíni imperatóris, quæ singuláriter stúduit egénos iuváre et pie mixta turbis ecclésias adíre atque, Hierosólymam peregrináta, ut Christi Nativitátis, Passiónis et Resurrectiónis loca investigáret, præsépe crucémque Dómini venerándis basílicis honorávit.

5. Metis in Gállia Bélgica, sancti Firmíni, epíscopi.

6*. Areláte in Província, sancti Eónii, epíscopi, qui Ecclésiam suam ab erróre Pelágii defféndit et sanctum Cæsárium, quem presbýterum ordináverat, pópulo suo commendávit successórem.

7. In Bithýnia, tránsitus sancti Macárii, hegúmeni monastérii Peleceténsis, qui sub Leóne imperatóre Quinto pro defensióne sacrárum Imáginum multa passus est.

8*. In monastério Cavénsi in Campánia, beáti Leonárdi, abbátis, viri ádmodum pacífici.

9*. Ravénnæ in Flamínia, beáti Rainaldi de Concorégio, epíscopi, zelo, prudéntia et caritáte clari.

10*. Mántuæ in Langobárdia, beátæ Paulæ Montaldi, vírginis, abbatíssæ ex Ordine Clarissárum, devotióne erga Passiónem Dómini, assídua oratióne et austeritátibus conspícuæ.

11*. In navi servitútis in salo constitúta apud Rupifórtium in Gállia, beáti Antónii Banassat, presbýteri et mártyris, qui, párochus, sæviénte gállica perturbatióne, in ódium fídei deténtus esúrie ad Dóminum migrávit.

12*. Valle Mauri prope Matrítum in Hispánia, beáti Francísci Arias Martín, presbýteri et mártyris, qui, novítius in Ordine Sancti Ioánnis a Deo, témpore persecutiónis iter perfectiónis in brevi consummávit.

13*. Barbástri prope Oscam in Aragónia Hispániæ, beatórum Iacóbi Falgarona Vilanova et Athanásii Vidaurreta Labra, religiosórum e Congregatióne Missionariórum Filiórum Cordis Immaculáti Maríæ et mártyrum in eádem persecutióne.

14*. Apud Alcanítium in pago Dertosénsi Hispániæ, beáti Martíni Martínez Pascual, presbýteri et mártyris, qui, in Sodalitátem sacerdótum operariórum diœcesanórum aggregátus, in eádem tempestáte eódem die gloriósam suscépit corónam.

15*. In vico *Rafelbunyol* in pago Valentíno Hispániæ, beáti Vincéntii Maríæ Izquierdo Alcón, presbýteri et mártyris, in ódium fídei interémpti.

16*. Sancti Iacóbi in Chília, beáti Albérti Hurtado Cruchaga, presbýteri e Societáte Iesu, qui opus cóndidit, ut paupéribus tecto caréntibus vagísque potíssimum púeris verum et doméstLicum darétur domicílium.

Die 19 augusti

Quartodécimo Kaléndas septémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
15	16	17	18	19	20	19	20	21	22	23	24

Sancti Ioánnis Eudes, presbýteri, qui plures annos ad prædicatiónem in parœciis incúbuit, deínde Congregatiónem Iesu et Maríæ ad instituéndos sacerdótes in semináriis necnon álteram moniálium Dóminæ Nostræ a Caritáte ad mulíeres pæniténtes in vita christiána firmándas fundávit atque devotiónem erga sacra Corda Iesu et Maríæ máxime fovit, donec Cadómi in Normánnia Gálliæ pie in Dómino obdormívit.

2. Fabratériæ Véteris in Látio, sancti Magni, mártyris.

3. In pago Tarraconénsi in Hispánia, sancti Magíni, mártyris.

4. Gazæ in Palæstína, sancti Timóthei, mártyris, qui in persecutióne Diocletiáni imperatóris, sub Urbáno præside, multis superátis supplíciis, lento igne combústus est.

5. In Cilícia, sancti Andréæ tribúni et sociórum mílitum, qui, ut fertur, victória de Persis divínitus adépta, ad fidem Christi convérsi et hoc nómine accusáti, sub Maximiáno imperatóre in angústiis Tauri montis ab exércitu Seléuci præsidis trucidáti sunt.

6. Romæ via Tiburtína iuxta Sanctum Lauréntium, depositio sancti Xysti papæ Tértii, qui inter Antiochénum patriarchátum et Alexandrínum dissensiónes compósuit atque in Urbe beátæ Maríæ basílicam plebi Dei dedit in Exquíliis.

7. In pago Sistariénsi in Gállia, sancti Donáti, presbýteri, qui anachoréticam vitam multos annos exegísse fertur.

8*. In monastério Bobiénsi in Ligúria, sancti Bertúlfi, abbátis, sancti Attalæ in eódem cœnóbio successóris.

9. Norimbérgæ in Francónia Germániæ, sancti Sebáldi, eremítæ.

10*. In Calábria, sancti Bartholomǽi de Símero, presbýteri et abbátis, qui, post vitam eremíticam, monastérium Græcórum cóndidit.

11*. In monastério Igniénsi in Gállia, beáti Guerríci, abbátis, qui, verus sancti Bernárdi discípulus, cum propter córporis debilitátem frátribus suis exémplum labóris præbére non posset, eos máxime firmábat spiritálibus sermónibus humilitáte et caritáte crebris.

12*. In monastério Cavénsi in Campánia, beáti Leónis Secúndi, abbátis.

13. Apud Brinólium in Província Gálliæ, tránsitus sancti Ludovíci, epíscopi, qui, sancti Ludovíci regis nepos, plus evangélicam paupertátem appétiit pérpeti quam laudes et honóres mundi et, iúvenis adhuc ætáte sed matúrus virtúte, ad sedem Tolosánam evéctus est, mox vero infírma valetúdine consúmptus pie obdormívit.

14*. Placéntiæ in Æmília, beáti Iordáni de Pisis, presbýteri ex Ordine Prædicatórum, qui altam doctrínam máxima cum simplicitáte pópulo vulgári lingua exponébat.

15*. Aquæ Pagánæ in Picéno Itáliæ, beáti Angeli, eremítæ ex Ordine Camalduléndsium.

16*. Nagasákii in Iapónia, beatórum mártyrum Ludovíci Florès, presbýteri ex Ordine Prædicatórum, Petri de Zúñiga, presbýteri ex Ordine Eremitárum Sancti Augustíni, et trédecim sociórum[7] nautárum iaponénsium, qui in portum expósiti statímque apprehénsi, propter fidem christiánam váriis cruciátibus idem unum martýrium simul complevérunt.

17*. Dorcéstriæ in Anglia, beáti Hugónis Green, presbýteri et mártyris, qui, Duáci ordinátus, trigínta annos in pátria ministrávit, donec sub Cárolo rege Primo, dire et longo témpore ferro laniátus, Christi passióni méruit sociári.

[7] Quorum nomina: beati Ioachim Hirayama, Leo Sukeyemon, Ioannes Soyemon, Michael Díaz, Antonius Yamada, Marcus Takenoshima Shinyemon, Thomas Koyanagi, Iacobus Matsuo Denshi, Laurentius Rokuyemon, Paulus Sankichi, Ioannes Yago, Ioannes Nagata Matakichi, Bartholomæus Mohioye.

18. Monte Acúto in Navárra Hispániæ, natális sancti Ezechiélis Moreno Díaz, epíscopi Pastopolitáni in Colúmbia, ex Ordine Recollectórum Sancti Augustíni, qui tam in Insulis Philippínis quam in América Austráli Evangélio nuntiándo óperam vitámque dedit.

19*. In vico *Llosa de Ranes* in pago Valentíno item in Hispánia, beáti Francísci Ibáñez Ibáñez, presbýteri et mártyris, qui, persecutióne erga fidem sæviénte, Christo adúsque mortem adhǽrens vitam complévit.

20*. In civitáte *Gandía* in eódem pago Hispániæ, beáti Thomæ Sitjar Fortiá, presbýteri e Societáte Iesu et mártyris, qui in eádem persecutióne sánguinem pro Christo effúdit.

21*. In loco *El Saler* nuncupáto item in pago Valentíno, beatárum Elvíræ a Nativitáte Dóminæ Nostræ Torrentallé Paraire et sociárum,[8] vírginum ex Institúto Sorórum Carmelitárum a Caritáte et mártyrum, quæ pro Christo Sponso certámine fídei fructum attulérunt ætérnum.

Die 20 augusti

Tertiodécimo Kaléndas septémbris. Luna:

a	b	ç	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
26	**27**	**28**	**29**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
16	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**

Memória sancti Bernárdi, abbátis et Ecclésiæ doctóris, qui cum trigínta sóciis novum monastérium Cistércii ingréssus, póstea Claravallénsis monastérii fundátor et primus abbas, vita, doctrína et exémplo mónachos in viam mandatórum Dei sapiénter diréxit, Európam ad pacem unitatémque restituéndas peragrávit atque univérsam Ecclésiam scriptis et mónitis sédulis

[8] Quarum nomina: Rosæ a Domina Nostra a Bono Consilio Pedret Rull, Maria a Domina Nostra Providentiæ Calaf Miracle, Francisca a Sancta Teresia de Amezúa Ibaibarriaga, Maria a Derelictis a Sanctissimo Sacramento Giner Lister, Teresia a Matre Divini Pastoris Chambó Palés, Agatha a Domina Nostra Virtutum Hernández Amorós, Maria a Doloribus a Sancto Francisco Xaverio Vidal Cervera et Maria a Nivibus a Sanctissima Trinitate Crespo López.

illustrávit, donec in território Gálliæ Lingonénsi in Dómino quiévit.

2. Commemorátio sancti Samuélis, prophétæ, qui puer a Deo vocátus, dein iúdicis in Israel múnere fungens, Deo iubénte, Saulem unxit regem super pópulum, sed, illo póstea a Dómino ob infidelitátem reiécto, regálem unctiónem cóntulit étiam David, cuius ex sémine Christus erat nascitúrus.

3. Apud castrum Cainónum in pago Turonénsi Aquitániæ, sancti Máximi, discípuli sancti Martíni, qui, primum mónachus in ínsula Bárbara apud Lugdúnum, dein ad Vigénnam flúvium monastérium cóndidit, in quo iam plenus diérum óbiit.

4. Nigri Monastérii in Hério ínsula item ad oram Aquitániæ, sancti Philibérti, abbátis, qui, in cúria Dagobérti regis educátus, adhuc adoléscens mónachus factus, primum Gemmeticénse cœnóbium, deínde Heriénse fundávit ac rexit.

5. Córdubæ in Vandalícia Hispániæ regióne, sanctórum mártyrum Leovigíldi et Christóphori, monachórum, qui, in Maurórum persecutióne, sponte coram iúdice Christum proféssi sunt, quaprópter cápitis abscissióne martýrii palmam accepérunt.

6*. Senis in Etrúria, tránsitus beáti Bernárdi Tolomei, abbátis, qui, Congregatiónis Olivetánæ sub Régula sancti Benedícti fundátor, disciplínæ monásticæ valde stúduit et, peste per Itáliam grassánte, apud mónachos Senénses periclitántes óbiit.

7*. In actuária in salo deligáta ante Rupifórtium ad oram Gálliæ, beatórum Ludovíci Francísci Le Brun et Gervásii Brunel, presbyterórum et mártyrum, qui, alter mónachus e Congregatióne Benedictína Sancti Mauri, alter vero prior abbátiæ Cisterciénsis Trappénsis, ambo témpore gállicæ perturbatiónis inhumáne deténti, morbo martýrium consummavérunt.

8. Romæ, sanctæ Maríæ de Mattias, vírginis, quæ Congregatiónem Sorórum ab Adoratióne Pretiosíssimi Sánguinis Christi fundávit.

9. Romæ, natális sanctii Pii papæ Décimi, cuius memória cras recólitur.

10*. Vallibónæ in pago Castellionénsi in Hispánia, beáti Matthíæ Cardona, presbýteri ex Ordine Clericórum Regulárium Scholárum Piárum et mártyris in persecutióne religiósa.

11*. In civitáte *Xàtiva* in pago Valentíno item in Hispánia, beátæ Maríæ Climent Mateu, vírginis et mártyris, quæ témpore eiúsdem persecutiónis ob perseverántiam fídei Christo méruit conformári.

12*. Intra castra detentiónis Dachâni prope Monáchium Baváriæ in Germánia, beáti Ladisláі Mączkowski, presbýteri et mártyris, qui, polónus natióne, témpore belli deportátus, fidem coram persecutóribus humánæ et christiánæ dignitátis per supplícia ad mortem usque deféndit.

Die 21 augusti

Duodécimo Kaléndas septémbris. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
27	**28**	**29**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
17	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**

Memória sancti Pii papæ Décimi, qui, sacérdos in cura parœciáli, Mantuánus epíscopus dein Venetiárum Patriárcha, tandem Póntifex Románus eléctus, ratiónem regíminis, ut ómnia in Christo instauráret, suscépit, quam in simplicitáte ánimi, paupertáte et fortitúdine complévit, inter fidéles vitam christiánam per Eucharístiæ participatiónem, dignitátem sacræ Litúrgiæ et integritátem doctrínæ éxcitans.

2. In Thrácia, sanctórum Agathoníci, Zótici et aliórum, mártyrum, qui Selýmbriæ et áliis in locis martýrium subiísse tradúntur.

3. Romæ in agro Veráno, sanctæ Cyríacæ, quæ nomen relíquit cœmetério via Tiburtína, quod Ecclésiæ donáverat.

4. Uticæ in Africa, sancti Quadráti, epíscopi et mártyris, qui cum tota plebe sua, cléricis et láicis, Christum conféssus est et, quem páverat gregem, post quatríduum pastor secútus est.

5. Verónæ in Venétia, sancti Euprépii, qui primus epíscopus huius civitátis habétur.

6. Fori Traiáni in Sardínia, sancti Luxórii, mártyris.

7. Commemorátio sanctórum mártyrum Bassæ ac trium eius filiórum Theógnii, Agápii et Pístii, quorum Bassa in ínsula Halóna, céteri autem Edéssæ in Héllade martýrium subiísse ferúntur.

8. Apud Gábalos in Gállia, sancti Priváti, epíscopi et mártyris, qui, Vándalis in Gálliam irrumpéntibus, in crypta, ubi ieiúniis orationibúsque vacábat, repértus, cum oves suas trádere et idólis immoláre noluísset, fústibus cæsus occúbuit.

9. Arvérnæ in Aquitánia, sancti Sidónii Apollináris, qui ex præfécto Urbi Romæ epíscopus Claromontánus ordinátus, tam divínis quam humánis imbútus, christiáno vigóre pollens, bárbaræ ferocitáti cathólicus pater et doctor insígnis óbstitit.

10*. Alzíræ in território Valéntiæ in Hispánia, commemorátio sanctórum mártyrum Bernárdi, ántea ‘Ahmed vocáti, mónachi ex Ordine Cisterciénsi, et sorórum eius Maríæ (Záidæ) et Grátiæ (Zoráidæ), quas ex mahometána religióne ille ad Christi fidem addúxerat.

11. In urbe *H*ưng Yên in Tunquíno, sancti Ioséphi Đặng Đình (Niên) Viên, presbýteri et mártyris sub imperatóre Minh Mạng.

12*. Tananarívi in ínsula Madagascária, beátæ Victóriæ Rasoamanarivo, quæ, post matrimónium cum violénto viro vídua effécta, missionáriis de ínsula depúlsis, omni sollicitúdine christiánis subvénit et Ecclésiam apud públicos magistrátus defendit.

13*. In vico *Alberic* in pago Valentíno Hispániæ, beáti Salvatóris Estrugo Solves, presbýteri et mártyris, qui, témpore persecutiónis, pro amóre Christi ómnia advérsa ad palmam usque tolerávit.

14*. In loco *El Morrot* prope Barcinónem item in Hispánia, beáti Raymúndi Peiró Victorí, presbýteri ex Ordine Prædicatórum et mártyris, qui in eádem persecutióne, Christi verba fidéliter excípiens, per mortem in vitam transívit gloriósam.

15*. Prope Monáchium Baváriæ in Germánia, beáti Brunónis Zembol, mártyris, qui, e Polónia sub regímine Deo advérso coácta in castra detentiónis Dacháni propter fidem ablátus, torméntis fractus gloriόse occúbuit.

Die 22 augusti

Undécimo Kaléndas septémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
18	19	20	21	22	23	22	23	24	25	26	27

Memória beátæ Maríæ Vírginis Regínæ, quæ Fílium Dei génuit, príncipem pacis, cuius regni non erit finis, et a pópulo christiáno Regína cæli et Mater misericórdiæ salutátur.

2. Augustodúni in Gállia Lugdunénsi, sancti Symphoriáni, mártyris, quem, dum ad supplícium ducebátur, de muro urbis mater commónuit dicens: « Nate, nate, Symphoriáne, in mente habe Deum vivum. Hódie tibi vita non tóllitur, sed mutátur in mélius ».

3. Romæ via Ostiénsi in cœmetério eiúsdem, sancti Timóthei, mártyris.

4. Tudérti in Umbria, sancti Philíppi Benizi, presbýteri Florentíni, qui, vir exímiæ humilitátis et Ordinis Servórum Maríæ propagátor, Christum crucifíxum únicum librum suum existimábat.

5*. Mevániæ in Umbria, beáti Iacóbi Bianconi, presbýteri ex Ordine Prædicatórum, qui ibídem convéntum fundávit et Nicolaitárum erróres árguit.

6*. Ocræ apud Fossam in Aprútio, beáti Timóthei de Montículo, presbýteri ex Ordine Minórum, vitæ austeritáte et oratiónis fervóre conspícui.

7*. Eboráci in Anglia, beáti Thomæ Percy, mártyris, qui, comes Northúmbriæ sub Elísabeth regína Prima ob fidelitátem Ecclésiæ Románæ servátam abscísso cápite palmam martýrii consecútus est.

8*. Ibídem, sub eádem regína, beatórum Guliélmi Lacey et Richárdi Kirkman, presbyterórum et mártyrum, qui, cápite damnáti quod sacerdótes in Angliam ingréssi essent, ad patíbuli supplícia ducti sunt.

9. Vigórniæ item in Anglia, sancti Ioánnis Wall, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum et mártyris, qui, vigínti ámplius annos pastóris munéribus occúlte explétis, sub Cárolo rege Secúndo propter sacerdótium láqueo suspénsus ferróque laniátus occúbuit.

10. Herefórdiæ item in Anglia, eódem die et anno, sancti Ioánnis Kemble, presbýteri et mártyris, qui quinquagínta ámplius annos curam pastorálem témpore persecutiónis exércuit, donec octogenárius propter sacerdótium fune suspénsus passiónem consummávit.

11*. Ophydæ in Picéno Itáliæ, beáti Bernárdi (Domínici) Peroni, religiósi ex Ordine Fratrum Minórum Capuccinórum, cordis simplicitáte, vitæ innocéntia et mira erga páuperes caritáte clari.

12*. In mari ante Rupifórtium in Gállia, beáti Elíæ Leymarie de Laroche, presbýteri et mártyris, qui, in gállica perturbatióne in squálidam corbítam in salo constitútam coniéctus et dire ibi mulcátus, morbo corréptus spíritum exhalávit.

13*. In vico *Starunya* in pago Stanislaopolitáno Ucraínæ, beáti Simeónis Lukač, epíscopi et mártyris, qui, sub regímine fídei inféenso gregi catholicórum Ritus byzantíni clandestíne minístrans, per fidélem mortem Christi Dómini ac Dei glóriam et honórem proclamávit.

Die 23 augusti

Décimo Kaléndas septémbris. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
29	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
19	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**

Sanctæ Rosæ, vírginis, quæ, iam puéllula exímiæ austeritátis, Limæ in Perúvia hábitu Sorórum Tértii Ordinis reguláris Prædicatórum assúmpto, pæniténtiæ ac oratióni dédita atque zelo ardens peccatórum et Indiórum salútis, pro quibus vitam donáre cupiébat, ómnibus afflictiónibus sponte se subiciébat, ut eos Christo lucrifáceret. Eius óbitus postrídie huius diéi evénit.

2. Commemorátio sancti Zachǽi, epíscopi, qui quartus a sancto Iacóbo, fratre Dómini, Hierosolymitánam Ecclésiam rexísse tráditur.

3. Romæ in cœmetério sancti Lauréntii via Tiburtína, sanctórum Abúndii et Irenǽi, mártyrum.

4. Apud Ostia Tiberína, sanctórum Cyríaci et Archelái, mártyrum.

5. Novis in Mœsia Inferióre, sancti Luppi, mártyris, qui gládio libertátem Christi adéptus esse fertur.

6. Ægéis in Cilícia, sanctórum mártyrum Cláudii, Astérii et Neónis fratrum, qui, christiánæ religiónis a novérca accusáti, sub Diocletiáno imperatóre et Lýsia præside decolláti esse ferúntur.

7. Augustodúni in Gállia Lugdunénsi, sancti Flaviáni, epíscopi, qui tempóribus Clodovéi regis flóruit.

8*. Dériæ in Hibérnia, sancti Eugénii, primi epíscopi Ardstraténsis.

9*. In monastério Sancti Philíppi prope Locros in Calábria inferióre, sancti Antónii de Hierácio, eremítæ.

10*. Ad áncoras longe in mari ante Rupifórtium ad oram Gálliæ, beáti Ioánnis (Protásii) Bourdon, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum Capuccinórum et mártyris, qui, témpore gállicæ perturbatiónis una cum plúribus sacerdótibus in captivitátem circumclúsus, levámen concaptívis afferébat, donec contagióne consúmptus est.

11*. In loco *Tavernes de Valldigna* in pago Valentíno in Hispánia, beatórum mártyrum Constantíni Carbonell Sempere, presbýteri, Petri Gelabert Amer et Raymúndi Grimaltós Monllor, religiosórum, e Societáte Iesu, qui in persecutióne erga fidem martýrium passi sunt.

12*. Prope óppidum Vallibónam item in pago Valentíno Hispániæ, beatórum mártyrum Florentíni Pérez Romero, presbýteri, et Urbáni Gil Sáez, religiósi, e Tértio Ordine Sancti Francísci Capulatórum a beáta Vírgine Perdolénti, qui, témpore eiúsdem persecutiónis, certámen pro fide complevérunt.

13*. In óppido *Silla* in eódem pago, beáti Ioánnis Maríæ a Cruce (Mariáni) García Méndez, presbýteri e Congregatióne Sacerdótum a Sacro Corde Iesu et mártyris, qui in eádem persecutióne religiósa Christi fidem ad mortem usque servávit.

14*. In vico *Puzol* item prope Valéntiam in Hispánia, beatárum Rosáriæ (Petræ Maríæ Victóriæ) Quintana Argos et Seraphínæ (Emmanuélæ Iustæ) Fernández Ibero, vírginum e Tértio Ordine Capuccinárum a Sacra Família et mártyrum, quæ, eádem persecutióne sæviénte, grátiam martýrii consecútæ sunt.

15*. Intra castra detentiónis Dacháni prope Monáchium Baváriæ in Germánia, beáti Francísci Dachtera, presbýteri et mártyris, qui, polónus natióne, belli témpore, atrocitátibus fractus a médicis patrátis nullo salvo humánæ dignitátis respéctu, pro Christo occúbuit.

Die 24 augusti

Nono Kaléndas septémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
1	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
20	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**

Festum sancti Bartholomǽi, Apóstoli, qui idem ac Nathánael plerúmque créditus, Canæ Galilǽæ ortus, apud Iordánem a Philíppo ad Christum Iesum ductus est; póstea Dóminus ad se sequéndum eum vocávit et Duódecim aggregávit; post Ascensiónem Dómini Evangélium in India ipse prædicásse tráditur ibíque martýrio coronátus esse.

2. Claudiópoli in Honoríade, sancti Tatiónis, mártyris.

3. Clippíaci in agro Parisiénsi, tránsitus sancti Audœni, epíscopi Rothomagénsis, qui, ex regis Dagobérti referendário ad episcopátum ordinátus, Ecclésiam suam felíciter rexit annos tres et quadragínta, plúrimas ecclésias condens et monastéria fovens.

4. In monte Olýmpo in Bithýnia, sancti Geórgii Limniótæ, mónachi, qui, cum ímpium Leónem imperatórem Tértium reprehendísset, quod sacras Imágines frángeret sanctorúmque relíquias combúreret, hanc ob causam, eius iussu náribus abscíssis et cápite incénso, martyr migrávit ad Dóminum.

5. Limæ in Perúvia, natális sanctæ Rosæ, cuius memória prídie huius diéi recólitur.

6*. Andégavi in Gállia, beáti Andréæ Fardeau, presbýteri et mártyris, qui tempóribus gállicæ perturbatiónis in ódium sacerdótii decollátus est.

7. Neápoli in Campánia, sanctæ Ioánnæ Antídæ Thouret, vírginis, quæ vitam religiósam, témpore gállicæ perturbatiónis interrúptam, alíquibus cum sóciis prosecúta est, quas Vesontióne in novam Societátem Sorórum a Caritáte sibi aggregávit, christiánæ ac civíli iuventútis

institutióni et caritáti erga párvulos derelíctos, páuperes ægrotósque dicátas, donec magnis affécta tribulatiónibus óbiit.

8. Massíliæ in Gállia, sanctæ Æmíliæ de Vialar, vírginis, quæ, de Evangélio in regiónes longínquas diffundéndo molíta, Congregatiónem Sorórum a Sancto Ioseph ab Apparitióne instítuit et magnópere disseminávit.

9. Valéntiæ in Hispánia, sanctæ Maríæ Michaélæ a Sanctíssimo Sacraménto Desmaisières, vírginis, fundatrícis Congregatiónis Ancillárum a Sanctíssimo Sacraménto et a Caritáte, quæ, tenáci stúdio ac desidério ánimas Deo lucrándi inflammáta, puéllis deviátis et meretrícibus rediméndis vitam dicávit.

10*. Tulcániæ in Æquatória, beátæ Maríæ ab Incarnatióne (Maríæ Vincéntiæ) Rosal, vírginis, quæ Bethlehemítas Soróres instaurávit, præsértim ad mulíerum dignitátem vindicándam atque puéllas christiáne instituéndas.

11*. Prope Monáchium Baváriæ in Germánia intra castra detentiónis Dacháni, beáti Maximiáni Binkiewicz, presbýteri et mártyris, qui, in bello ob Christi fidem e pátria Polónia a milítibus invasóribus eréptus, torméntis cruciatibúsque laborátus óbiit.

12*. Dresdæ in Germánia, beatórum Ceslái Jóżwiak, Eduárdi Kaźmierski, Francísci Kęsy, Eduárdi Klinik et Iarogniévi Wojciechowski, mártyrum, qui, polóni génere, in eádem tempestáte in cárcerem coniécti, secúris íctibus martýrium consummavérunt.

Die 25 augusti

Octávo Kaléndas septémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
21	22	23	24	25	26	25	26	27	28	29	1

Sancti Ludovíci Noni, quem, regem Gálliæ, vel domi vel belli in christianórum defensiónem gesti actuósa fides, iustítia in

regéndo, amor in páuperes et constántia in advérsis illustravérunt. Matrimónio contrácto, úndecim hábuit fílios, quos óptime piéque educávit. In coléndam vero crucem, corónam ac sepúlcrum Dómini opes virésque et ipsam vitam impéndit, donec peste corréptus in castris apud Tunétem ad oram Africæ septemtrionális óbiit.

Sancti Ioséphi de Calasanz, presbýteri, qui ad erudiéndos púeros atque adulescéntes in amóre et sapiéntia Evangélii scholas populáres instítuit Ordinémque Clericórum Regulárium Páuperum Matris Dei Scholárum Piárum Romæ fundávit.

3. Areláte in Província, sancti Genésii, mártyris, qui, adhuc catechúmenus, exceptóris offício fungens, cum contra christiános ágere recusavísset, fuga salútem petívit, sed a milítibus comprehénsus próprio cruóre baptizátus est.

4. Itálicæ prope Híspalim in Bætica Hispániæ, sancti Gerúntii, epíscopi, qui in cárcere tráditur obiísse.

5*. Agathæ in Gállia Narbonénsi, sancti Sevéri, abbátis monastérii ab ipso in hac urbe cónditi.

6. Constantinópoli, sancti Menæ, epíscopi, qui a sancto Agapíto papa ordinátus, communióne intérdum suspénsa cum Vigílio papa reconciliáta, magnam ecclésiam ab imperatóre Iustiniáno ædificátam divínæ Sóphiæ dedicávit.

7*. Attáni in pago Lemovicénsi Aquitániæ, sancti Arédii, abbátis, qui pro cœnóbio, quod fundáverat, sapiéntem régulam compósuit e præcéptis haustam variórum monásticæ vitæ institutórum.

8. Ultraiécti in Géldria Austrásiæ, sancti Gregórii, abbátis, qui adhuc aduléscens sanctum Bonifátium ad Hássiæ et Thuríngiæ conversiónem pergéntem contínuo secútus est, dein de ipsíus mandáto monastérium Sancti Martíni abbas rexit et Ecclésiam Ultraiecténsem gubernávit.

9. Apud Montem Faliscórum in Túscia, tránsitus sancti Thomæ Cantelupe, epíscopi Herefordiénsis in Anglia, qui, eruditióne cla-

rus, in se sevérum, erga páuperes vero largitórem muníficum se exhíbuit.

10*. Scimabáræ in Iapónia, beatórum mártyrum Michaélis Carvalho, e Societáte Iesu, Petri Vázquez, ex Ordine Prædicatórum, Ludovíci Sotelo et Ludovíci Sasanda, presbyterórum, atque Ludovíci Baba, religiósi ex Ordine Fratrum Minórum, qui pro Christi fide vivi combústi sunt.

11*. In fœda actuária in salo constitúta ante oram Rupifórtii in Gállia, beáti Pauli Ioánnis Charles, presbýteri et mártyris, qui, prior Cisterciénsis, gállica perturbatióne sæviénte, a sectatóribus propter sacerdótium de monastério Septem Fóntium ad navália víncula ablátus, inédia morbóque corréptus occúbuit.

12*. Córdubæ in Argentína, beátæ Maríæ a Tránsitu Iesu Sacraménti, vírginis, quæ christiánæ institutióni páuperis derelictǽque infántiæ summam dedit óperam et Soróres missionárias e Tértio Ordine Sancti Francísci in Argentína instítuit.

13*. Valéntiæ in Hispánia, beáti Aloýsii Urbano Lanaspa, presbýteri ex Ordine Prædicatórum et mártyris, qui pro Christo egrégium perégit certámen.

Die 26 augusti

Séptimo Kaléndas septémbris. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
3	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
22	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**26**	**27**	**28**	**29**	**1**	**2**

1. Commemorátio sancti Melchísedech, regis Salem et sacerdótis Dei altíssimi, qui Abraham benedícens salutávit a victória regréssum, Dómino sanctum sacrifícium, immaculátam hóstiam, ófferens, atque in præfiguratióne Christi rex pacis et iustítiæ interpretátus est et, licet genealógiæ expers, sacérdos in ætérnum.

2. Romæ in cœmetério Basíllæ via Salária Vétere, sancti Maximiliáni, mártyris.

3. Salónæ in Dalmátia, sancti Anastásii fullónis, mártyris.

4. Cæsaréæ in Mauretánia, sancti Victóris, mártyris, qui, cápite damnátus, crucifíxus esse fertur die sábbato.

5. Bérgomi in Transpadána, sancti Alexándri, mártyris.

6. Autissiodóri in Gállia Lugdunénsi, sancti Eleuthérii, epíscopi.

7*. In freto apud Rupifórtium ad litus Gálliæ, beáti Iacóbi Retouret, presbýteri ex Ordine Carmelitárum et mártyris, qui, gállica perturbatióne grassánte, de convéntu Lemovicénsi in squálidam corbítam tractus est, ubi nocte paucis cum vestiméntis relíctus frígore óbiit.

8. Pódii apud Pictávium item in Gállia, sanctæ Ioánnæ Elísabeth Bichier des Âges, vírginis, quæ in gállica perturbatióne sanctum Andréam Hubértum Fournet ministérium clandestíne agéntem adiúvit et, pace Ecclésiæ restitúta ad páuperes instituéndos ægrotósque sublevándos Congregatiónem Filiárum a Cruce fundávit.

9*. In civitáte Béthlehem in Terra Sancta, beátæ Maríæ a Iesu Crucifíxo (Maríæ) Baouardy, vírginis ex Ordine Carmelitárum Discalceatárum, quæ, mysticórum charísmatum cópia reférta, vitam contemplatívam singulári cum caritáte duxit.

10. Líriæ in Hispánia, sanctæ Terésiæ a Iesu Jornet Ibars, vírginis, quæ ad vétulis assidéndum Institútum fundávit Parvárum Sorórum Senum Derelictórum.

11*. Valéntiæ item in Hispánia, beáti Ambrósii (Aloýsii) Valls Matamales, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum Capuccinórum et mártyris, qui, témpore persecutiónis, ad magnum convívium, effúso sánguine, íngredi méruit.

12*. Hemeroscópii in pago Lucentíno item in Hispánia, beáti Petri (Alexándri) Max Ginestar, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum

Capuccinórum et mártyris, qui in eádem persecutióne pro Christo coronátus est.

13*. In civitáte *Esplugues* prope Barcinónem item in Hispánia, beáti Felícis Vivet Trabal, religiósi e Societáte Salesiána et mártyris, qui, témpore eiúsdem persecutiónis, ad magnum convívium íngredi méruit.

14*. In óppido *Kharsk* prope Tomíscum in Sibiriána Rússiæ província, beátæ Lauréntiæ (Leucádiæ) Harasymiv, vírginis e Congregatióne Sorórum Sancti Ioseph, quæ, pátria a persecutóribus fídei oppréssa, in campum detentiónis alláta est, ubi constántiam fídei puritáti vitæ gloriósa morte cumulávit.

15*. Romæ, beátæ Maríæ Beltrame Quattrocchi, quæ, materfamílias, vitam cum viro suo agens altæ ac lætæ communiónis fídei caritatísque in próximum, Christi luce famíliam et societátem collustrávit.

Die 27 augusti

Sexto Kaléndas septémbris. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
4	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
23	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**27**	**28**	**29**	**1**	**2**	**3**

Memória sanctæ Mónicæ, quæ, adhuc adulescéntula Patrício nuptum trádita, fílios génuit, inter quos Augustínum, pro cuius conversióne multas lácrimas fudit precésque Deo adhíbuit et in Africam progrédiens apud Ostia Tiberína, cæléstia valde desíderans, e vita migrávit.

2. Cápuæ in Campánia, sancti Rufi, mártyris.

3. Tomis in Scýthia, sanctórum mártyrum Marcellíni, tribúni, et Mannéæ, cóniugum, atque Ioánnis, fílii eórum, Serapiónis, clérici, et Petri, mílitis.

4. Bérgomi in Ligúria, sancti Narni, qui primus civitátis epíscopus habétur.

5. In Thebáide Ægýpti, sancti Pœ́menis, abbátis, de quo, ex anachorétis spectatíssimo, plura referúntur apophtégmata sapiéntia instrúcta.

6. Conseráni in Aquitánia, sancti Licérii, epíscopi, qui, hispánus natióne et sancti Fausti Reiénsis epíscopi discípulus, civitátem a Visigothórum eversióne oratiónibus protéxit.

7. Areláte in Província, sancti Cæsárii, epíscopi, qui, post vitam monásticam in ínsula Lirinénsi ductam, episcopátum invítus suscípiens, sermónes festivitátibus cóngruos ad catechizándum pópulum presbýteris legéndos parávit collegítque et régulas quoque tam pro viris quam pro virgínibus conscrípsit ad monásticam moderándam conversatiónem.

8. Pápiæ in Langobárdia, sancti Ioánnis, epíscopi.

9*. In monastério Petrishusénsi, quod condíderat, in Suévia, depósitio sancti Gebhárdi, epíscopi Constantiénsis.

10*. In monastério Alpénsi Sabáudiæ, tránsitus sancti Guaríni, epíscopi Sedunénsis, qui, mónachus Molisménsis témpore sancti Robérti, cœnóbium hoc cóndidit, quod sancte rexit et in Ordinem Cisterciénsem aggregávit.

11*. Lausónii apud Helvétios, sancti Amadéi, epíscopi, qui, mónachus Claravallénsis, abbas præféctus est cœnóbio Altæ Cumbæ, deínde, epíscopus eléctus, iúvenes sollérter instítuit, clerum pium et purum informávit atque beátam Vírginem Maríam prædicatióne celebrávit.

12*. Fulgínii in Umbria, beáti Angeli Conti, presbýteri ex Ordine Eremitárum Sancti Augustíni, pæniténtiis et humilitáte insígnis et iniuriárum patientíssimi.

13*. Leomonastérii in Anglia, beáti Rogérii Cadwallador, presbýteri et mártyris, qui, Vallisoléti in Hispánia ordinátus et sciéntia clarus, sédecim annos in pátria clam ministrávit, tandem, sub Iacóbo rege

Primo propter sacerdótium damnátus, post áspera torménta patíbuli supplíciis occúbuit.

14*. Nagasákii in Iapónia, beatórum Francísci a Sancta María, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum, et quattuórdecim sociórum,[9] mártyrum, qui iussu Kawachi Dono præfécti urbi in ódium nóminis christiáni passi sunt.

15. In óppido *Usk* in Cámbria, sancti Dávidis Lewis, presbýteri e Societáte Iesu et mártyris, qui, Romæ sacérdos ordinátus, trigínta ámplius annos in pátria sacraménta occúlte celebrávit pauperibúsque subvénit, donec sub Cárolo rege Secúndo propter sacerdótium patíbulo suspénsus est.

16*. In salo ad litus Rupifórtii in Gállia in tabe navis ad áncoras deligátæ, beatórum mártyrum Ioánnis Baptístæ de Souzy, presbýteri, et Udalríci (Ioánnis Baptístæ) Guillaume, fratris Scholárum Christianárum, mártyrum, qui, persecutióne erga Ecclésiam sæviénte, inhumáne deténti sunt et fame ac gravi morbo affécti pro Christo occubuérunt.

17*. Radíngæ in Anglia, beáti Domínici a Matre Dei Barberi, presbýteri e Congregatióne Passiónis, qui, unitáti christianórum redintegrándæ studens, non paucos in Ecclésiam cathólicam recépit.

18*. In vico *Picassent* in pago Valentíno Hispániæ, beáti Ferdinándi González Añón, presbýteri et mártyris, qui, témpore persecutiónis, ad beatitúdinem ætérnam méruit transíre.

19*. In itínere inter óppida *Godella* et *Bétera* in eódem pago Hispániæ, beáti Raymúndi Martí Soriano, presbýteri et mártyris, qui, eádem persecutióne erga fidem furénte, sánguinem pro Christo effúdit.

20*. Sebastianópoli in Hispánia, beátæ Maríæ a Colúmna Izquierdo Albero, vírginis, quæ, paupertáte ac grávibus morbis diu vexáta,

[9] Quorum nomina: beati Bartholomæus Laurel et Antonius a Sancto Francisco, religiosi ex Ordine Fratrum Minorum; Gaspar Vaz et Maria, coniuges; Magdalena Kiyota, vidua; Caius Jiyemon, Francisca, Franciscus Kurobioye, Franciscus Kuhioye, Ludovicus Matsuo Soyemon, Martinus Gómez, Thomas Wo Jinyemon, Lucas Kiyemon et Michael Kizayemon.

Deum in actuósa dilectióne páuperum afflictorúmque cóluit, pro quibus ministrándis Operam Missionáriam a Iesu et María constítuit.

Die 28 augusti

Quinto Kaléndas septémbris. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
5	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
24	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**28**	**29**	**1**	**2**	**3**	**4**

Memória sancti Augustíni, epíscopi et Ecclésiæ doctóris exímii, qui, post adulescéntiam doctrínis et móribus inquiétam ad cathólicam fidem convérsus, a sancto Ambrósio Medioláni baptizátus est et, in pátriam revérsus, vitam ascéticam cum amícis quibúsdam duxit Deo et Scripturárum stúdio déditam; mox, epíscopus Hipponénsis in Africa eléctus, trigínta quáttuor annos forma gregis factus, eum erudívit sermónibus et scriptis copiósis, quibus étiam strénue contra erróres sui témporis dimicávit vel rectam fidem erudíte illustrávit.

2. Romæ in cœmetério Basíllæ via Salária Vetere, sancti Hermétis, mártyris, quem, ut refert sanctus Dámasus papa, Grǽcia misit, Urbs civem ténuit pro sancto nómine passum.

3. Constántiæ in Suévia, commemorátio sancti Pelágii, mártyris.

4. Briváte apud Arvérnos in Aquitánia, sancti Iuliáni, mártyris, qui témpore persecutiónis, cum hortátu sancti Ferréoli in hos fines venísset, ibídem palmam martýrii adéptus esse tráditur.

5. Constantinópoli, sancti Alexándri, epíscopi, cuius apostólica precátio, ut scribit sanctus Gregórius Nazianzénus, ariánæ impietátis ducem oppréssit.

6. Cartthágine, sancti Restitúti, epíscopi, in cuius festivitáte sanctus Augustínus de illo ad pópulum sermónem hábuit.

7*. Sársinæ in Flamínia, sancti Vicínii, primi epíscopi huius civitátis.

8. Apud Sántonas in Gállia, sancti Viviáni, epíscopi.

9. In Ægýpto, sancti Móysis Æthíopis, qui, ex insígni latróne insígnis anachoréta efféctus, multos gregis sui convértit et secum duxit ad monastérium.

10. Híspali in Vandalícia Hispániæ regióne, sanctæ Florentínæ, vírginis, cui, ecclesiasticárum disciplinárum valde perítæ, Isidórus et Leándrus fratres tractátus exímiæ doctrínæ despondérunt.

11*. Londínii in Anglia, beatórum mártyrum Guliélmi Dean, presbýteri, et septem sociórum,[10] qui pro regno Dei sub Elísabeth regína Prima eódem die, sed in divérsis locis civitátis vel in propínquis, suspéndio martýrium consummárunt.

12. Lancástriæ item in Anglia, sancti Edmúndi Arrowsmith, presbýteri e Societáte Iesu et mártyris, ex eódem ducátu oriúndi, qui post plures annos in pátria curæ pastorái addíctus, cum sacérdos esset et ad cathólicam fidem multos induxísset, ipsis protestántibus loci invítis, sub Cárolo rege Primo fune suspénsus occúbuit.

13*. Monte Regáli in Califórnia, beáti Iuníperi (Michaélis) Serra, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum, qui in tríbubus illíus regiónis adhuc pagánis, multis incómmodis ærumnísque gravátus, Evangélium Christi idiómate populórum loci prædicávit atque páuperum et humílium iura strénue defféndit.

14*. Ad áncoras ante Rupifórtium ad oram Gálliæ, beáti Cároli Arnáldi Hanus, presbýteri et mártyris, qui, témpore gállicæ perturbatiónis propter sacerdótium in navi actuária reclúsus, defectióne vírium et mox morbo corréptus martýrium consummávit.

[10] Quorum nomina: beati Gulielmus Gunter, Robertus Morton, Thomas Holford et Iacobus Claxton, presbyteri; Thomas Felton, clericus ex Ordine Fratrum Minorum; Henricus Webley et Hugo More, laici.

15. Barcinóne in Hispánia, sanctæ Ioachímæ de Vedruna, quæ, materfamílias, novem púeros pie educávit et, vídua effécta, Institútum Carmelitárum a Caritáte fundávit, omne genus vexatiónum æquo ánimo tólerans, donec choléra corrépta óbiit.

16*. In pago Valentíno item in Hispánia, beatórum mártyrum Ioánnis Baptístæ Faubel Cano et Arthúri Ros Montalt, qui, patresfamílias, témpore persecutiónis erga Ecclésiam, ab homínibus mortem, a Deo vero vitam accepérunt ætérnam.

17*. Prope vicum Vinalésam in eódem pago Hispániæ, beáti Aurélii (Ioséphi) Ample Alcaide, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum Capuccinórum et mártyris, qui in eádem tempestáte per certámen fídei fructum áttulit gloriósum.

18*. Intra óppidum *Nawojowa Góra* in Polónia, beáti Alphónsi Maríæ Mazurek, presbýteri et mártyris, qui, témpore belli, a pátriæ invasóribus propter christiánam confessiónem interféctus est.

Die 29 augusti

Quarto Kaléndas septémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
25	26	27	28	29	30	29	1	2	3	4	5

Memória passiónis sancti Ioánnis Baptístæ, quem Heródes Antípas rex in arce Macheróntis in cárcere ténuit et in anniversário suo, fília Herodíadis rogánte, decollári præcépit; ídeo, Præcúrsor Dómini, sicut lucérna ardens et lucens, tam in morte quam in vita testimónium perhíbuit veritáti.

2. Apud Sírmium in Pannónia, sanctæ Basíllæ.

3. Romæ, commemorátio sanctæ Sabínæ, cuius títulus in Aventíno cónditus eius nomen præbet venerándum.

4. Metis in Gállia Bélgica, sancti Adélphi, epíscopi.

5*. In pago Nanneténsi Británniæ Minóris, sancti Victóris, solitárii, qui in parvo oratório ab ipso exstrúcto apud Campum Bonum reclúsus vixit.

6. Londínii in Anglia, commemorátio sancti Sebbi, qui, rex Sáxonum orientálium Deo devotíssimus, regno depósito, in monástico hábitu, quem diu desideráverat, obíre vóluit.

7. Parísiis in Néustria, sancti Mederíci, presbýteri et abbátis Augustodunénsis, qui in recéssu prope civitátem vixit.

8*. Valéntiæ in Hispánia, beatórum mártyrum Ioánnis de Perúsia, presbýteri, et Petri de Saxoferráto, religiósi, ambórum ex Ordine Minórum, qui, ob fídei prædicatiónem apud Mauros Valentínos, in pública platéa iussu regis cápite detruncáti, martýrii palmam accepérunt.

9*. Apud Cracóviam in Polónia, beátæ Bronislávæ, vírginis ex Ordine Præmonstraténsium, quæ vitam húmilem et abscónditam dégere vóluit et, monastério suo a Tártaris díruto, in tugúrio mansit cum Deo sola.

10*. Lancástriæ in Anglia, beáti Richárdi Herst, mártyris, qui, paterfamílias et agrícola, crímine homicídii falso insimulátus, sub Iacóbo rege Primo pro Christo láquei supplício damnátus est.

11*. In æquóribus ponti ante Rupifórtium in Gállia, beáti Ludovíci Vulfilácii Huppy, presbýteri et mártyris, qui témpore gállicæ perturbatiónis propter sacerdótium in fœtida navi inhumáne deténtus ægrótus óbiit.

12*. Vaterfórdii in Hibérnia, beáti Edmúndi Ignátii Rice, qui omni fervóre ac perseverántia puerórum iuvenúmque institutióni se trádidit in dimíssis condiciónibus, ad quod opus augéndum Congregatiónes Fratrum Christianórum necnon Fratrum a Præsentatióne cóndidit.

13*. Apud Rhédones in Gállia, beátæ Maríæ a Cruce (Ioánnæ) Jugan, vírginis, quæ ad stipem pro paupéribus et Deo emendicándam Congregatiónem fundávit Parvulárum Sorórum Páuperum, at ex Institúti moderatióne iníque eiécta, réliquos vitæ annos in oratióne et humilitáte duxit.

14*. Valéntiæ in Hispánia, beáti Constantíni Fernández Álvarez, presbýteri ex Ordine Prædicatórum et mártyris, qui, témpore persecutiónis, certámen pro fide complévit.

15*. In vico *Híjar* prope Terúlium item in Hispánia, beáti Francísci Monzón Romeo, presbýteri ex Ordine Prædicatórum et mártyris, qui in eádem persecutióne sánguine suo fidelitátem Dómino confirmávit.

16*. Intra castra detentiónis Dacháni prope Monáchium Baváriæ in Germánia, beáti Domínici Jędrzejewski, presbýteri et mártyris, qui, bello furénte e Polónia in aliénum cárcerem detráctus, torméntis excruciátus pro Christo occúbuit.

17*. Posnániæ in Polónia, beátæ Sánciæ (Ioannínæ) Szymkowiak, vírginis e Congregatióne Filiárum Beátæ Maríæ Vírginis Perdoléntis, quæ, belli tempestátibus sæviéntibus, omni stúdio in cárcere reclúsis consuléndo dedit óperam.

18*. In pago Sanctæ Iúliæ in Subalpínis Itáliæ, beátæ Terésiæ Bracco, vírginis et mártyris, quæ operária in agris, áltero totíus mundi bello grassánte, strénue castitátem túita, mílitum íctibus percússa occúbuit.

Die 30 augusti

Tértio Kaléndas septémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
26	27	28	29	30	1	1	2	3	4	5	6

1. Romæ in cœmetério Commodíllæ via Ostiénsi, sanctórum mártyrum Felícis et Adáucti, qui, pro intemeráta fide páriter Christum conféssi, victóres páriter ad cælum properárunt.

2. Commemorátio sanctórum sexagínta mártyrum, qui, Colóniæ Sufetánæ in Africa Byzacéna, destrúcto Hermétis simulácro, furóre gentílium cæsi sunt.

3. Romæ, commemorátio sancti Pammáchii senatóris, sollértia in fide et largitáte in páuperes exímii, cuius pietáte in Deum títulus Cælimontánus cónditus est.

4*. In monastério Resbacénsi in pago Meldénsi Néustriæ, sancti Agíli, primi abbátis.

5. Brióli item in pago Meldénsi, sancti Fiácrii, eremítæ, qui ex Hibérnia oriúndus vitam duxit solitáriam.

6*. Thessaloníсæ in Macedónia, sancti Fantíni, Iunióris nuncupáti, eremítæ, ieiúniis, vigíliis ac labóribus pro Christo consummáti.

7. Lucédii in Subalpínis, sancti Bonónii, abbátis, qui primum in Ægýpto, dein in Monte Sina vitam eremíticam duxit.

8. Trébiæ in Látio, sancti Petri, qui, litterárum expers, Evangélii sapiéntiam in solitudíne cóluit.

9. Londínii in Anglia, sanctæ Margarítæ Ward, mártyris, quæ, uxor, sub Elísabeth regína Prima cápite damnáta quod sacerdótem adiuvísset, Tybúrni láqueo suspénsa martýrium libénti ánimo suscépit. Ibídem, cum ea passiónem consummavérunt beáti mártyres Richárdus Leigh, présbyter, et láici Eduárdus Shelley ac Richárdus Martin, angli, Ioánnes Roche, hibérnus, et Richárdus Lloyd, cambriénsis, primus quod sacérdos esset, álii vero quod sacerdótes recepíssent.

10*. Salútiis in Subalpínis, beáti Ioánnis Iuvenális Ancina, epíscopi, qui, olim médicus, in Oratórium sancti Philíppi Neri inter primos venit.

11*. Cæsaraugústæ in Hispánia, beátæ Maríæ Ráfols, vírginis, quæ Congregatiónem Sorórum a Caritáte Sanctæ Annæ apud valetudinárium huius civitátis instítuit et forti ánimo multas inter ærúmnas rexit.

12*. Almériæ item in Hispánia, pássio beatórum mártyrum Dídaci Ventaja Milán, epíscopi Almeriénsis, et Emmanuélis Medina Olmos, Guadicénsis, qui, in ódium nóminis christiáni in cárcerem ducti, iniúrias ac contumélias patiénter tulérunt, donec noctu trucidáti sunt.

13*. In itínere inter *Puebla Tornesa* et *Villafamés* prope Castáliam item in Hispánia, beáti Ióachim (Ioséphi) Ferrer Adell, presbýteri

ex Ordine Fratrum Minórum Capuccinórum et mártyris, qui per martýrium promíssa perseverántibus consecútus est.

14*. Flaviobrígæ item in Hispánia, beáti Vincéntii Cabanes Badenas, presbýteri e Tértio Ordine Sancti Francísci Capulatórum a beáta Vírgine Perdolénti et mártyris, qui, témpore eiúsdem persecutiónis erga fidem, ad magnum convívium íngredi méruit.

15*. Venegóni prope Varésium in Itália, tránsitus beáti Alaphrídi Hildephónsi Schuster, epíscopi, qui, ex abbáte Sancti Pauli de Urbe ad sedem Mediolanénsem evéctus, mira sapiéntiæ doctrína munus pastóris pro bono pópuli sui impensíssime explévit.

Die 31 augusti

Prídie Kaléndas septémbris. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
8	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
27	**28**	**29**	**30**	**1**	**2**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**

1. Hierosólymæ, commemorátio sanctórum Ioseph de Arimathǽa et Nicodémi, qui corpus Iesu a cruce depósitum accepérunt, involvérunt in síndone et posuérunt in monuménto. Ioseph, nóbilis decúrio et discípulus Dómini, regnum Dei exspectábat; Nicodémus autem, ex Pharisǽis, princeps Iudæórum, ad Iesum nocte vénerat intérrogans de missióne eius atque coram pontifícibus et Pharisǽis, qui volébant Iesum apprehéndere, causam eius deféndit.

2. Athénis, sancti Aristídis philósophi, fídei et sapiéntia claríssimi, qui Adriáno príncipi de religióne christiána libros óbtulit.

3. Tréviris in Gállia Bélgica, sancti Paulíni, epíscopi et mártyris, qui témpore ariánæ infestatiónis verus veritátis præco fuit et in Sýnodo Arelaténsi, a Constántio imperatóre ariáno congregáta, nec minis nec adulatiónibus addúci pótuit, ut sanctum Athanásium damnáret et a fide orthodóxa declináret. Quare relegátus est in Phrýgiam, ubi post quinquénnium in exsílio martýrium complévit.

4. Lindisfárnæ in Northúmbria, sancti Aidáni, epíscopi et abbátis, qui, vir summæ mansuetúdinis, pietátis et recti moderáminis, ex Hiénsi monastério a sancto Oswáldo rege vocátus sedem episcopálem et monastérium ibídem constítuit, ut ad illud regnum efficáciter evangelizándum incúmberet.

5. Cardónæ in Cataláunia, sancti Raymúndi Nonnáti, qui, inter primos sancti Petri Nolásci sócios in Ordine Beátæ Maríæ Vírginis a Mercéde, multa pro Christi nómine in redemptiónem captivórum passus esse tráditur.

6*. In erémo Vallúcolæ in Etrúria, beáti Andréæ de Burgo Sancti Sepúlcri, presbýteri ex Ordine Servórum Maríæ, austeritátibus et contemplatióni déditi.

7*. Almériæ in Hispánia, beatórum Edmígii (Isidóri) Primo Rodríguez, Amálii (Iusti) Zariquiegui Mendoza et Valérii Bernárdi (Martiáni) Herrero Martínez, mártyrum, qui, fratres Scholárum Christianárum, persecutióne verténte, in ódium fídei occísi sunt.

SEPTEMBER

Die 1 septembris

Kaléndis septémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
28	29	30	1	2	3	3	4	5	6	7	8

1. Commemorátio sancti Iósue, fílii Nun, servi Dómini, qui, cum Móyses manus ei imposuísset, replétus est spíritu sapiéntiæ et post Móysis mortem pópulum Israel per Iordánis álveum in terram promissiónis mirabíliter introdúxit.

2. Remis in Gállia Bélgica, sancti Sixti, qui primus huius civitátis epíscopus habétur.

3. Cápuæ via Aquária in Campánia, sancti Prisci, mártyris.

4. Tudérti in Umbria, sancti Terentiáni, epíscopi.

5. Ad Aquas Augústas in Aquitánia, sancti Vincéntii, qui epíscopus et martyr celebrátur.

6. Zurzáci ad Rhenum flumen in pago Tiguríno Germániæ, sanctæ Verénæ, vírginis.

7. Cenómani in Gállia Lugdunénsi, sancti Victórii, epíscopi, de quo sanctus Gregórius Turonénsis refert.

8. Apud Aquínum in Látio, sancti Constántii, epíscopi, cuius sanctus Gregórius papa Magnus donum prophetíæ laudat.

9. In pago Nemausénsi Gálliæ Narbonénsis, sancti Ægídii, cuius nómine vocátum est óppidum, quod póstea in Camária excrévit, ubi

ipse monastérium erexísse et mortális vitæ cursum absolvísse tráditur.

10. Apud Sénones in Néustria, sancti Lupi, epíscopi, qui, cum plebem a sacerdóte regi oportére et Deo obœdíre pótius quam princípibus audácter coram præstánti hómine loci proféssus esset, exsílium passus est.

11*. Venétiis, beátæ Iuliánæ de Collálto, abbatíssæ ex Ordine Sancti Benedícti.

12*. Floréntiæ in Etrúria, beátæ Ioánnæ, vírginis e Tértio Ordine Servórum Maríæ, oratióne et austeritáte claræ.

13*. Apud Matrítum in Hispánia, beatórum Christíni (Michaélis) Roca Huguet, presbýteri, et úndecim sociórum,[1] mártyrum, qui, omnes ex Ordine Sancti Ioánnis a Deo, bello civíli furénte, in ódium religiónis interémpti sunt.

14*. In civitáte *Paterna* in pago Valentíno item in Hispánia, beáti Alphónsi Sebastiá Viñals, presbýteri et mártyris, qui, præpósitus scholæ institutiónis sociális Valentínæ, in persecutióne erga fidem gloriósam accépit corónam.

15*. Barcinóne item in Hispánia, beatórum mártyrum Petri Rivera, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum Conventuálium, Maríæ a Monte Carmélo Moreno Benítez et Maríæ a Refúgio Carbonell Muñoz, vírginum ex Institúto Maríæ Auxiliatrícis, quæ in eádem persecutióne, passióni Christi Sponsi configurátæ, ad perpétuæ pacis fructum pervenérunt.

[1] Quorum nomina: beati Processus (Ioachim) Ruiz Cascales, Euthymius (Nicolaus) Aramendía García, Canutus (Iosephus) Franco Gómez, Dosithæus (Gulielmus) Rubio Alonso, Cæsarius (Marianus) Niño Pérez, Beniamin (Alexander) Cobos Celada, Carmelus (Isidorus) Gil Arano, Cosmas (Simon) Brun Arará, Cæcilius (Henricus) López López, Rufinus (Crescentius) Lasheras Aizcorbe et Faustinus (Antonius) Villanueva Igual, religiosi.

Die 2 septembris

Quarto Nonas septémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
10	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
29	**30**	**1**	**2**	**3**	**4**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**

1. Nicomedíæ in Bithýnia, sancti Zenónis, mártyris.

2. Nicǽæ item in Bithýnia, pássio sanctæ Theódotæ cum filiis Evódio, Hermógene et Callísto.

3. Edéssæ in Osrhoéne, sancti Habib, diáconi et mártyris, qui, sub Licínio imperátore, a Lysánia prǽside in ignem cónici iussus, egrégium certámen perfécit.

4. Apaméæ in Sýria, sancti Antoníni, mártyris, qui, lapicída, cum idóla géntium destruxísset, vicésimo ætátis anno propter fídei stúdium a pagánis necátus esse fertur.

5*. Tarracóne in Hispánia, sancti Prósperi, epíscopi.

6. Lugdúni in Gállia, depositio sancti Iusti, epíscopi, qui, cum episcopátum post Aquileiénse Concílium dimisísset, una cum Viatóre lectóre in erémum Ægýpti secéssit, ubi áliquot annos mónachis consociátus húmilem egit vitam; cuius sanctum corpus cum óssibus sancti Viatóris Lugdúnum póstea delátum est.

7. In monte Sorácte ad viam Flamíniam in Látio, sancti Nonnósi, abbátis.

8. Augustodúni in Burgúndia, sancti Syágrii, epíscopi, qui in concíliis quibus intérfuit sciéntia et zelo prælúxit.

9*. Avenióne in Província, sancti Agrícolæ, epíscopi, qui, post vitam monásticam in ínsula Lirinénsi ductam, sancto Magno, patri suo, auxílio fuit eíque in episcopátu succéssit.

10. In Picéno Itáliæ, sancti Elpídii, cuius nómine óppidum, ubi corpus eius asservátur, appellátum est.

11*. Pontídæ in pago Bergoménsi Langobárdiæ, sanctórum Albérti et Viti, monachórum, quorum prior milítiam Christi armis honoribúsque sǽculi præpósuit et in própria civitáte iuxta consuetúdines Cluniacénses monastérium cóndidit, cui alter prǽfuit.

12*. In monte Carmélo in Palæstína iuxta fontem Elíæ, beáti Brochárdi, prióris eremitárum quibus sanctus Albértus, Hierosolymitánus epíscopus, vitæ formam trádidit, ut die ac nocte permanérent in lege Dómini cogitántes et in oratiónibus vígiles.

13*. Skeníngiæ in Suécia, beátæ Ingrídis Elofsdotter, quæ, vídua efiécta, ómnia bona sua in Dei honórem dicávit et post peregrinatiónem in Terram Sanctam hábitum moniálium Ordinis Prædicatórum índuit.

14*. Parísiis in Gállia, pássio beatórum mártyrum Ioánnis Maríæ du Lau d'Allemans, Francísci Ioséphi et Petri Ludovíci de la Rochefoucauld, episcopórum, atque nonagínta et trium sociórum,[2] clericórum

[2] Quorum nomina: beati Vincentius Abraham, Andreas Angar, Ioannes Baptista Claudius Aubert, Franciscus Balmain, Ioannes Petrus Bangue, Ludovicus Franciscus Andreas Barret, Iosephus Bécavin, Iacobus Iulius Bonnaud, Ioannes Antonius Hyacinthus Boucharène de Chaumeils, Ioannes Franciscus Bosquet, Claudius Cayx seu Dumas, Ioannes Charton de Millon, Claudius Chaudet, Nicolaus Clairet, Claudius Colin, Franciscus Dardan, Gulielmus Antonius Delfaut, Maturinus Victor Deruelle, Gabriel Desprez de Roche, Thomas Nicolaus Dubray, Thomas Renatus Dubuisson, Franciscus Dumasrambaud de Calandelle, Henricus Hippolytus Ermès, Armandus de Foucauld de Pontbriand, Iacobus Friteyre-Durvé, Claudius Franciscus Gagnières des Granges, Ludovicus Laurentius Gaultier, Ioannes Goizet, Andreas Grasset de Saint-Sauveur, Ioannes Antonius Guilleminet, Ioannes Baptista Jannin, Ioannes Lacan, Petrus Landry, Claudius Antonius Radulphus de Laporte, Robertus le Bis, Maturinus Nicolaus Le Bous de Villeneuve de la Villecrohain, Oliverius Lefèvre, Carolus Franciscus Legué, Iacobus Iosephus Lejardinier Deslandes, Iacobus Ioannes Lemeunier, Vincentius Iosephus le Rousseau de Rosencoat, Franciscus Cæsar Londiveau, Ludovicus Longuet, Iacobus Franciscus de Lubersac, Gaspar Claudius Maignien, Ioannes Philippus Marchand, Ludovicus Mauduit, Franciscus Ludovicus Méallet de Fargues, Iacobus Alexander Menuret, Ioannes Baptista Nativelle, Renatus Nativelle, Matthias Augustinus Nogier, Iosephus Thomas Pazery de Thorame, Iulius Honoratus Cyprianus Pazery de Thorame, Petrus Franciscus Pazery de Thorame, Petrus Ploquin, Renatus Nicolaus Poret, Iulianus Poulain-Delaunay, Ioannes Robertus Quéneau, Franciscus Urbanus Salins de Niart, Ioannes Henricus Ludovicus Samson, Ioannes Antonius de Savine, Ioannes Antonius Barnabas Séguin, Ioannes Baptista Maria Tessier, Lupus Thomas seu Bonnotte, Franciscus Vareilhe-Duteil, Petrus Ludovicus Iosephus Verrier; atque Ludovicus Barreau de la Touche, e Congregatione Sancti Mauri Ordinis Sancti Benedicti; Ioannes Franciscus Burté, ex Ordine Fratrum Minorum; Apollinaris (Ioannes Iacobus) Morel, ex Ordine Fratrum Minorum Capuccinorum; Ambrosius Augustinus Chevreux et Renatus Iulianus Massey, ex Ordine Sancti Benedicti; Bernardus Franciscus de Cucsac, Iacobus Gabriel Galais,

vel religiosórum, qui, cum iusiurándum nefárie témpore gállicæ perturbatiónis clérícis impósitum renuíssent, in convéntum Carmelitárum coácti in ódium religiónis pro Christo trucidáti sunt.

15*. Ibídem, eódem die et anno, beáti Petri Iacóbi Maríæ Vitalis, presbýteri, et vigínti sociórum,[3] mártyrum, qui in eádem tempestáte in abbátia Sancti Germáni Praténsi in ódium Ecclésiæ interfécti sunt.

Die 3 septembris

Tértio Nonas septémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
30	1	2	3	4	5	5	6	7	8	9	10

Memória sancti Gregórii Magni, papæ et Ecclésiæ doctóris, qui, vita monástica ínita, múnere legáti Constantinópoli functus est et, ad Sedem Románam hac die tandem eléctus, et terréna compósuit et sacra servus servórum curávit. Verum se exhíbuit pastórem in rebus regéndis, in egénis omnímodo subveniéndo, in vita monástica fovénda, necnon in fide ubíque firmánda vel propagánda, quaprópter multa étiam de re moráli ac pastoráli egrégie scripsit. Obiit vero die duodécima mártii.

Petrus Gauguin, Petrus Michael Guérin, Iacobus Stephanus Philippus Hourrier, Henricus Augustus Luzeau de la Mulonnière, Ioannes Baptista Michael Pontus, Petrus Nicolaus Psalmon et Claudius Rousseau, e Societate a Sancto Sulpitio; Carolus Ieremias Bérauld du Pérou, Franciscus Ludovicus Hébert et Franciscus Lefranc, e Societate Iesu et Mariæ, Urbanus Lefèvre, e Societate Parisiensi Missionum ad exteras gentes; Severinus (Georgius) Girauld, e Tertio Ordine Regulari Sancti Francisci, omnes presbyteri; Ludovicus Alexius Matthias Boubert, Stephanus Franciscus Deusdedit de Ravinel et Iacobus Augustinus Robert de Lézardières, diaconi; Salomon (Gulielmus Nicolaus Ludovicus) Leclercq, religiosus Scholarum Christianarum; Augustus Nézel, clericus, atque Carolus Regis Matthæus de la Calmette.

[3] Quorum nomina: beati Daniel Ludovicus André des Pommerayes, Ludovicus Remigius Benoist, Ludovicus Renatus Nicolaus Benoist, Antonius Carolus Octavianus du Bouzet, Ioannes Andreas Capeau, Armandus Chapt de Rastignac, Claudius Fontaine, Petrus Ludovicus Gervais, Sanctus Huré, Ioannes Ludovicus Guyard de Saint-Clair, Alexander Carolus Lenfant, Laurentius, Ludovicus le Danois, Thomas Ioannes Monsaint, Franciscus Iosephus Pey, Ioannes Iosephus Rateau, Marcus Ludovicus Royer, Ioannes Petrus Simon, necnon Carolus Ludovicus Hurtrel, ex Ordine Minimorum, omnes presbyteri, et Ludovicus Beniamin Hurtrel, diaconus.

2. Commemorátio sanctæ Phœbes, ancíllæ Dómini inter fidéles Cenchrénses, quæ beáto Paulo Apóstolo multísque ástitit, ipso testánte in epístula ad Romános.

3. Nicomedíæ in Bithýnia, sanctæ Basilíssæ, vírginis et mártyris.

4. Córdubæ in Hispánia Bǽtica, sancti Sandálii, mártyris.

5. Tulli in Gállia Bélgica, sancti Mansuéti, primi epíscopi huius civitátis.

6. In monte Titáno prope Aríminum in Flamínia, sancti Maríni, diáconi et anachorétæ, qui plebem adhuc gentílem ad lucem Evangélii et libertátem Christi créditur perduxísse.

7*. In Hibérnia, sancti Macanísii, epíscopi.

8. Medioláni in Langobárdia, sancti Auxáni, epíscopi.

9*. Cáudii in Campánia, sancti Vitaliáni, epíscopi.

10*. In monastério Stabulénsi in Brabántia, sancti Rimágili, epíscopi et abbátis, qui post Sollemniacénse duplex monastérium Stabuléti et Malmundárii cóndidit in Arduennénsis silvæ solitúdine.

11. In ínsula Lirinénsi in Província, sancti Aigúlphi, abbátis, et sociórum monachórum, qui a Saracénis incursiónem faciéntibus martýrium subiísse censéntur.

12*. Ságii in Néustria, sancti Chrodogángi, epíscopi et mártyris.

13*. In pago Astinénsi Vallis Camúnicæ in Langobárdia, beáti Guálæ, epíscopi Brixiénsis, ex Ordine Prædicatórum, qui pro bono pacis Ecclésiæ et rei públicæ, témpore Friderici imperatóris Secúndi, prudénter óperam dedit et exsílium passus est.

14*. Nagasákii in Iapónia, beatórum Bartholomǽi Gutiérrez, presbýteri ex Ordine Eremitárum Sancti Augustíni, et quinque sociórum,[4]

[4] Quorum nomina: beati presbyteri Vincentius Carvalho et Franciscus Terrero, ex Ordine Eremitarum Sancti Augustini; Antonius Ishida, e Societate Iesu; Hieronymus Jo; Gabriel a Magdalena, religiosus ex Ordine Fratrum Minorum.

mártyrum, qui in ódium fídei christiánæ in aquas sulphúreas ferventes primum immérsi sunt, deínde igni tráditi.

15*. Placéntiæ in Æmília, beátæ Birgíttæ a Iesu Morello, quæ, vídua effécta, Dómino se consecrávit pæniténtiæ, opéribus caritátis omni stúdio desérviens et Congregatiónem fundávit Sorórum Ursulinárum Maríæ Immaculátæ pro puellárum christiána institutióne.

16*. Parísiis in Gállia, pássio beatórum Andréæ Abel Alricy, presbýteri, atque unius et septuagínta sociórum,[5] mártyrum, quorum pleríque presbýteri, qui post pridiánam cædem in Seminário Sancti Firmíni tamquam in cárcere reclúsi in ódium Ecclésiæ trucidáti sunt.

17*. Ibídem, eódem die et anno, beatórum mártyrum Ioánnis Baptístæ Bottex, Michaélis Maríæ Francísci de la Gardette, Francísci Hyacínthi le Livec de Trésurin, qui in eádem tempestáte in cárcere « La Force » nuncupáto pro Christo occubuérunt.

[5] Quorum nomina: beati Renatus Maria Andrieux, Petrus Paulus Balzac, Ioannes Franciscus Maria Benoît seu Vourlat, Michael Andreas Silvester Binard, Nicolaus Bize, Petrus Bonzé, Petrus Briquet, Petrus Brisse, Carolus Carnus, Bertrandus Antonius de Caupenne, Iacobus Dufour, Dionysius Claudius Duval, Iosephus Falcoz, Gilbertus Ioannes Fautrel, Philibertus Fougère, Petrus Ioannes Garrigues, Nicolaus Gaudreau, Stephanus Michael Gillet, Georgius Hieronymus Giroust, Iosephus Maria Gros, Petrus Guérin du Rocher, Robertus Franciscus Guérin du Rocher, Ivo Andreas Guillon de Keranrun, Iulianus Franciscus Hédouin, Petrus Franciscus Hénocq, Eligius Herque seu du Roule, Petrus Ludovicus Joret, Iacobus de la Lande, Ægidius Ludovicus Symphorianus Lanchon, Ludovicus Ioannes Matthæus Lanier, Ioannes Iosephus de Lavèze-Belay, Michael Leber, Petrus Florentius Leclercq, Ioannes Carolus Legrand, Ioannes Petrus Le Laisant, Iulianus le Laisant, Ioannes Lemaître, Ioannes Thomas Leroy, Martinus Franciscus Alexius Loublier, Claudius Ludovicus Marmotant de Savigny, Claudius Silvanus Mayneaud de Bizefranc, Henricus Ioannes Millet, Franciscus Iosephus Monnier, Maria Franciscus Mouffle, Iosephus Ludovicus Oviefre, Ioannes Michael Philippot, Iacobus Rabé, Petrus Robertus Régnet, Ivo Ioannes Petrus Rey de Kervizic, Nicolaus Claudius Roussel, Petrus Saint-James, Iacobus Ludovicus Schmid, Ioannes Antonius Seconds, Petrus Iacobus de Turménies, Renatus Iosephus Urvoy, Nicolaus Maria Verron, Carolus Victor Véret, omnes presbyteri, necnon Ioannes Carolus Maria Bernard du Cornillet, canonicus ex abbatia Sancti Victoris Parisiensi; Ioannes Franciscus Bonnel de Pradel et Claudius Pons, canonici ex abbatia Sanctæ Genovefæ Parisiensi; Ioannes Carolus Caron, Nicolaus Colin, Ludovicus Iosephus François et Ioannes Henricus Gruyer, e Congregatione Missionis; Claudius Bochot et Eustachius Félix, e Congregatione Patrum a Doctrina Christiana; Cosmas (Ioannes Petrus) Duval, ex Ordine Fratrum Minorum Capuccinorum; Petrus Claudius Pottier, e Societate Iesu et Mariæ; atque Sebastianus Desbrielles, magister scholæ Parisiis, Ludovicus Franciscus Rigot et Ioannes Antonius Iosephus de Villette.

18. Seuli in Coréa, pássio sanctórum Ioánnis Pak Hu-jae et quinque sociárum,[6] mártyrum, qui, sæviénte persecutióne, ad críminum tribúnal ducti ut christiáni, dira supplícia pro fide perpéssi, decollatióne interfécti sunt.

Die 4 septembris

Prídie Nonas septémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
1	2	3	4	5	6	6	7	8	9	10	11

1. Commemorátio sancti Móysis, prophétæ, quem Deus elégit, ut pópulum in Ægýpto opprèssum liberáret et in terram promissiónis addúceret; cui étiam in monte Sina sese revelávit dicens: « Ego sum qui sum », atque legem propósuit, quæ vitam pópuli elécti régeret. Ille servus Dei in monte Nebo terræ Moab coram terra promissiónis plenus diérum óbiit.

2. Cabillóni in Gállia Lugdunénsi, sancti Marcélli, mártyris.

3. Romæ in cœmetério Máximi via Salária, depositio sancti Bonifátii papæ Primi, qui multas de disciplína ecclesiástica controvérsias compósuit.

4*. Carnúti in Néustria, sancti Caletrícis, epíscopi.

5*. Heresféldæ in Saxónia, sanctæ Idæ, Ecbérti ducis víduæ, caritáte in páuperes et oratiónis assiduitáte insígnis.

[6] Quarum nómina: sanctæ Maria Pak Kun-a-gi Hui-sun, soror sanctæ Luciæ Pak Hui-sun; Barbara Kwŏn-hŭi, uxor sancti Augustini Yi Kwang-hŏn; Barbara Yi Chŏng-hŭi; Maria Yi Yŏn-hŭi, uxor sancti Damiani Nam Myŏng-hyŏg; Agnes Kim Hyo-ju.

6*. Mímati in Aquitánia, sancti Fredáldi, epíscopi et mártyris.

7*. Colóniæ Agrippínæ in Lotharíngia, sanctæ Irmgárdis, quæ, comitíssa de *Süchteln*, bona sua impéndit pro ecclésiis condéndis.

8. Panórmi in Sicília, sanctæ Rosáliæ, vírginis, quæ in monte Pellegríno solitáriam vitam duxísse créditur.

9*. Caramániæ in Subalpínis, beátæ Catharínæ Mattei, vírginis, soróris de Pæniténtia Sancti Domínici, quæ perpétuam malam valetúdinem, hóminum calúmnias et omnes temptatiónes mira caritáte et virtútum cópia tolerávit.

10*. In freto maris ad áncoras ante Rupifórtium ad litus Gálliæ, beáti Scipiónis Hierónymi Brigéat de Lambert, presbýteri et mártyris, qui, canónicus Abrincénsis, in persecutióne tempóribus gállicæ perturbatiónis propter sacerdótium in navem actuáriam inhumáne coniéctus, fame afféctus occúbuit.

11*. In urbe *Sillery* in Quebéco Cánadæ província, beátæ Maríæ a sancta Cæcília Romána (Dinæ) Bélanger, vírginis, ex Congregatióne Religiosárum Iesu et Maríæ, quæ gravis morbi vim haud paucos annos soli Deo confísa tolerávit.

12*. In urbe *Oropesa* apud Castáliam ad litus Hispániæ, beáti Ioséphi Paschális Carda Saporta, presbýteri e Sodalitáte sacerdótum operariórum diœcesanórum et mártyris, qui, persecutióne erga Ecclésiam sæviénte, in ódium religiónis ad gloriósum martýrium tractus est.

13*. In vico *Teulada* prope Lucéntum item in Hispánia, beáti Francísci Sendra Ivars, presbýteri et mártyris, qui in eádem persecutióne erga fidem martýrium passus est.

14*. Prope vicum *Genovés* in pago Valentíno item in Hispánia, beáti Bernárdi (Ioséphi) Bieda Grau, religiósi ex Ordine Fratrum Minórum Capuccinórum et mártyris, qui in eádem tempestáte pro Christo egrégium perégit certámen.

Die 5 septembris

Nonis septémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
2	3	4	5	6	7	7	8	9	10	11	12

1. In Portu Románo, sanctórum Acónti, Nonni, Herculáni et Tauríni, mártyrum.

2. Cápuæ in Campánia, sancti Quinti, mártyris.

3. Nicomedíæ in Bithýnia, sanctórum mártyrum Urbáni, Theodóri, Menedémi et sociórum, tum clericórum cum laicórum, qui a Valénte imperatóre, pro fide cathólica in navígium impósiti, in mari combúri iussi sunt.

4. In pago Taruannénsi in Flándria, sancti Bertíni, abbátis Sithivénsis, qui depósitus est in monastério, quod una cum sancto Mummolíno condíderat et eius nómine vocátum est.

5*. Derthónæ in Ligúria, sancti Alpérti, qui cónditor et primus abbas Butriénsis monastérii habétur.

6*. In Dalmátia, beáti Ioánnis Boni de Sipónto, abbátis, qui monastérium Sancti Michaélis in lítore Dalmátiæ ædificávit, in conspéctu montis Gargáni.

7*. Ripóniæ in Anglia, beáti Guliélmi Browne, mártyris, qui, sub Iacóbo rege Primo cápite damnátus quod álios ad fidem cathólicam excipiéndam induxísset, láqueo suspénsus est et dire disséctus.

8*. In sórdido navígio áncoris deligáto in salo ante Rupifórtium in Gállia, beáti Floréntii Dumontet de Cardaillac, presbýteri et mártyris, qui, témpore gállicæ perturbatiónis propter sacerdótium damnátus, caritátis zelíque sui in concaptívis ægrótis assidéndis víctima morbo martýrium complévit.

9. In urbe *Ninh Tai* in Tunquíno, sanctórum mártyrum Petri Nguyễn Văn Tự, presbýteri ex Ordine Prædicatórum, et Ioséphi Hoàng Lưỏng Cảnh, médici, qui in ódium nóminis christiáni decolláti sunt.

10*. Calcúttæ in India, beátæ Terésiæ (Agnétis) Gonhxa Bojaxhiu, vírginis, quæ, ex Epíro nata, sitim Christi in cruce derelícti exímia caritáte in paupérrimos fratres restínxit et Congregatiónes Missionariárum et Missionariórum a Caritáte in plenum servítium ægrotórum derelictorúmque instítuit.

Die 6 septembris

Octávo Idus septémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
3	4	5	6	7	8	8	9	10	11	12	13

1. Commemorátio sancti Zacharíæ, prophétæ, qui pópulum de exsílio in terram promissiónis reversúrum prophetávit eíque regis pacífici núntium áttulit, quod Christus Dóminus triumpháli suo ingréssu in Sanctam Civitátem Ierúsalem mire implévit.

2. Item commemorátio sancti Onesíphori, qui beátum Paulum Apóstolum Ephesi sæpe refrigerávit et caténam eius non erúbuit, sed Romam advéctus eum sollícite quæsívit et invénit.

3. Commemorátio sanctórum Donatiáni, Præsídii, Mansuéti, Germáni et Fúsculi, episcopórum in Africa, qui in persecutióne vandálica, iussu Hunneríci regis ariáni, pro assertióne cathólicæ veritátis, fústibus toríssime cæsi et exsílio affécti sunt; quibúscum étiam Lætus, epíscopus Nepténsis in Byzacéna, strénuus atque doctíssimus vir, qui post diutúrnos cárceris squalóres incéndio concremátus est.

4. Spoléti in Umbria, sancti Eleuthérii, abbátis, cuius simplicitátem et cordis compunctiónem sanctus Gregórius papa Magnus laudat.

5*. Laudúni in Gállia, sancti Cagnoáldi, epíscopi, qui sancti Columbáni discípulus eiúsque in erémo prope Brigántium únicus miníster fuit.

6*. Ad litus Cúmbriæ Angliæ regióne, in óppido póstea eius nómine vocáto, sanctæ Begæ, moniális.

7*. In monastério Faucénsi in Bavária, sancti Magni, abbátis.

8*. In monastério Cisterciénsi Bosquéti prope Arausiónem in Província Gálliæ, commemorátio beáti Bertrándi de Garrigues, presbýteri, qui, ex primis discípulis sancti Domínici, se ad exémplum magístri semper accommodáre stúduit.

9*. In vico *Gata de Gorgos* in pago Lucentíno Hispániæ, beáti Dídaci Llorca Llopis, presbýteri et mártyris, qui in persecutióne erga Ecclésiam ob Christi testimónium coronátus est.

10*. In vico *Carcaixent* in pago Valentíno item in Hispánia, beáti Paschális Torres Lloret, mártyris, qui, paterfamílias, Christi gestans crucem, ad mercédem cæléstem perveníre méruit.

11*. Varsáviæ in Polónia, beáti Michaélis Czartoryski, presbýteri ex Ordine Prædicatórum et mártyris, qui, Polónia a Dei hóstibus invása, ob fidem mínime abdicátam apud parœ́ciam loci plumbis occísus est.

Die 7 septembris

Séptimo Idus septémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
4	5	6	7	8	9	9	10	11	12	13	14

1. Alésiæ apud Æduos in Gállia, sanctæ Regínæ, mártyris.

2. Pompeiópoli in Cilícia, sancti Sozóntis, mártyris.

3. Benevénti in Campánia, sanctórum mártyrum Festi, diáconi, et Desidérii, lectóris.

4. Aureliáni in Gállia Lugdunénsi, sancti Evúrtii, epíscopi.

5*. Augústæ Prætóriæ in Alpibus Graiis, sancti Grati, epíscopi.

6. Brólii in pago Gálliæ Trecénsi, sanctórum Memórii et sociórum, mártyrum, qui ab Attila, rege Hunnórum, interfécti esse credúntur.

7*. Cataláuni in Gállia Lugdunénsi, sancti Alpíni, epíscopi, qui discípulus fuit sancti Lupi Trecénsis.

8. In vico Novigénto agri Parisiénsis item in Gállia, sancti Clodoáldi, presbýteri, qui, stirpe régia ortus, patre fratribúsque interféctis, a sancta Clotílda ávia suscéptus, regno terréno contémpto, clléricus factus est.

9*. Albiæ in Aquitánia, sanctæ Caríssimæ, vírginis reclúsæ.

10*. Malbódii in Hannónia Austrásiæ, sanctæ Madelbértæ, abbatíssæ, quæ sanctæ Adeltrúdæ sorórí succéssit.

11*. In Flándria Austrásiæ, commemorátio sancti Hilduárdi, epíscopi.

12*. Tulli in Lotharíngia, sancti Gauzlíni, epíscopi, qui disciplínam monásticam fovit.

13*. Eugúbii in Umbria, sancti Ioánnis Laudénsis, epíscopi, qui sócius fuit sancti Petri Damiáni in legatiónibus.

14*. Deæ Vocontiórum in Gállia, sancti Stéphani de Castellióne, epíscopi, qui, de Portárum solitúdine eréptus, sed nihil de Cartusiána austeritáte demínuens, huic Ecclésiæ summópere præfuit.

15. Cassóviæ in móntibus Carpátibus, sanctórum mártyrum Marci Crisini, presbýteri Strigoniénsis, Stéphani Pongracz et Melchióris Grodziecki, presbyterórum e Societáte Iesu, qui nec fame nec rotæ ignísque torméntis ad abiurándam fidem cathólicam addúci potuérunt.

16*. Nagasákii in Iapónia, beatórum mártyrum Thomæ Tsuji, presbýteri e Societáte Iesu, Ludovíci Maki et fílii eius Ioánnis, qui in ódium fídei christiánæ ad ignem damnáti sunt.

17*. Londínii in Anglia, beatórum Randúlphi Corby, e Societáte Iesu, et Ioánnis Duckett, presbyterórum et mártyrum, qui, Cárolo Primo rege cápite damnáti quod sacerdótes in Angliam ingréssi essent, Tybúrni láqueo palmam cæléstem nacti sunt.

18*. In actuária ante Rupifórtium ad oram Gálliæ, beatórum Cláudii Bárnabæ Laurent de Mascloux et Francísci d'Oudinot de la Boissière, presbyterórum et mártyrum, qui, témpore gállicæ perturbatiónis propter sacerdótium comprehénsi et ad naválía víncula destináti, gravi morbo ob famem corrépti pro Christo occubuérunt.

19*. In ínsula *Woodlark* Oceániæ, beáti Ioánnis Baptístæ Mazzucconi, presbýteri e Mediolanénsi Institúto pro missiónibus éxteris et mártyris, qui, post duos annos in ópere evangelizatiónis peráctos, iam fébribus et ulcéribus exháustus, in ódium fídei secúris ictu occísus est.

20*. Parmæ in Æmília Itáliæ, beátæ Eugéniæ Picco, vírginis e Congregatióne Parvárum Filiárum a Sacris Córdibus Iesu et Maríæ, quæ, voluntáti Dei summópere vota, dignitátem mulíerum promóvit et spirituáli institutióni ac liberáli doctrínæ religiosárum provídit.

21*. In óppido *Gandía* in pago Valentíno Hispániæ, beátæ Ascensiónis a Sancto Iosépho Calasanz Lloret Marco, vírginis ex Institúto Sorórum Carmelitárum a Caritáte et mártyris, quæ in persecutióne certámen pro fide complévit.

Die 8 septembris

Sexto Idus septémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
5	6	7	8	9	10	10	11	12	13	14	15

Festum Nativitátis beátæ Maríæ Vírginis, ex sémine Abrahæ, de tribu Iuda ortæ, ex progénie regis David, e qua Fílius Dei natus est, factus homo de Spíritu Sancto, ut hómines vetústa servitúte peccáti liberáret.

2. Romæ, commemorátio sancti Hadriáni, mártyris, qui Nicomedíæ in Bithýnia passus est et in cuius honóre Honórius papa Primus Senátus Románi cúriam in ecclésiam convértit.

3. Alexandríæ in Ægýpto, sanctórum Fausti, Dii et Ammónii, presbyterórum et mártyrum, qui in persecutióne Diocletiáni imperatóris cum sancto Petro epíscopo martýrii corónam accepérunt.

4. In civitáte *Bagrevand* in Arménia Maióre, sancti Isaac, epíscopi, qui ad vitam christiánam pópuli fovéndam Sacram Scriptúram atque Litúrgiam in arménum sermónem vertit; fídei in Sýnodo Ephesína confirmátæ adhǽsit, sed mox sede pulsus exsul óbiit.

5. Romæ apud sanctum Petrum, deposítio sancti Sérgii papæ Primi, génere syri, qui magnam impéndit óperam in Sáxonum Frisonúmque evangelizatiónem et multas compósuit controvérsias ac lites, mori éligens quam erróribus consentíre.

6. Frisíngæ in Bavária, sancti Corbiniáni, qui, epíscopus ordinátus et ad prædicándum Evangélium in Baváriam missus, úberes fructus rétulit.

7*. Piperáci in Aniciénsi território Gálliæ, sancti Petri de Chavanon, presbýteri, qui, ad perfectiórem vitam aspírans, in illum recéssum se ábdidit, ubi cœnóbium Canonicórum Regulárium ædificávit, cui étiam præpósitus est.

8*. Pisáuri in Picéno Itáliæ, beátæ Seraphínæ Sforza, quæ in vita coniugáli plures expérta est adversitátes et, vídua efficta, sub Régula sanctæ Claræ réliquos vitæ annos humíllime transégit.

9. Valéntiæ in Hispánia, sancti Thomæ de Villanóva, epíscopi, qui, eremíta sub Régula sancti Augustíni, cum episcopále munus ex obœdiéntia suscepísset, inter álias pastoráles virtútes tam flagránti amóre páuperum excélluit, ut ómnia pro egénis dispérderet, ne léctulum quidem sibi relínquens.

10*. Dunélmi in Anglia, beatórum mártyrum Thomæ Palaser, presbýteri, Ioánnis Norton et Ioánnis Talbot, qui, sub Elísabeth regína Prima cápite damnáti, primus quod sacérdos in Angliam revérsus esset, álii ob auxílium ipsi suffέctum, patíbuli cruciátus passi sunt.

11. Carthágine Nova in Colúmbia, natális sancti Petri Claver, presbýteri, cuius memória cras ágitur.

12*. Nagasákii in Iapónia, beatórum Antónii a Sancto Bonavéntura, ex Ordine Fratrum Minórum, Domínici Castellet, ex Ordine Prædicatórum, presbyterórum, et vigínti sociórum,[7] mártyrum, quorum céteri láici et plures infántes, qui omnes vel per ensem vel per ignem pro Christo martýrium subiérunt.

13*. Massíliæ in Gállia, tránsitus beáti Friderici Ozanam, qui, vir eruditióne et pietáte clarus, eminénti sua doctrína veritátes fídei deféndit ac propagávit, in Societáte a sancto Vincéntio de Paul nuncupáta assíduam caritátem paupéribus præbuit et, paterfamílias exímius, famíliam fecit doméstìcam ecclésiam.

14*. Almériæ ad litus Vandalíciæ Hispániæ regiónis, beatórum Iosépho Cæcílii (Bonifátii) Rodríguez González, Theodemíri Ióachim (Hadriáni) Sainz Sainz et Evéntii Richárdi (Eusébii Alphónsi) Urjurra, mártyrum, qui, Fratres Scholárum Christianárum, témpore belli civílis ob persecutiónem religiósam palmam mártyrum adépti sunt.

[7] Quorum nomina: beati Dominicus de Nagasakio, religiosus ex Ordine Fratrum Minorum; Thomas a Sancto Hyacintho et Antonius a Sancto Dominico, religiosi ex Ordine Prædicatorum; Lucia Ludovica, vidua; Ioannes Tomachi et filii eius Dominicus, Michael, Thomas et Paulus; Ioannes Imamura, Paulus Sadayu Aybara, Romanus Aybara et filius eius Leo, Iacobus Hayashida, Matthæus Alvarez, Michael Yamada et filius eius Laurentius, Ludovicus Higashi et filii eius Franciscus et Dominicus.

15*. In vico *Alcoy* prope Lucéntum item in Hispánia, beáti Maríni Blanes Giner, mártyris, qui, paterfamílias, témpore eiúsdem persecutiónis, ab homínibus mortem, a Deo vero vitam ætérnam accépit.

16*. In civitáte *Paterna* in pago Valentíno item in Hispánia, beáti Ismaélis Escrihuela Esteve, mártyris, qui, paterfamílias, per martýrium victóriæ Christi párticeps factus est.

17*. Villæ Regális Infántum in pago Castellionénsi item in Hispánia, beáti Paschális Fortuño Almela, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum et mártyris, qui ob Christi testimónium coronátus est.

18*. In civitáte *Buñol* prope Valéntiam item in Hispánia, beatárum Ioséphæ a Sancto Ioánne a Deo Ruano García et Maríæ a Dolóribus a Sancta Eulália Puig Bonany, vírginum e Congregatióne Sorórum Senum Derelictórum et mártyrum, quæ in eádem persecutióne erga fidem corónam glóriæ, effúso sánguine, accepérunt.

19*. Prope Monáchium Baváriæ in Germánia intra castra detentiónis Dacháni, beáti Adámi Bargielski, presbýteri et mártyris, qui in bello sponte pro párocho suo fídei hóstibus se trádidit et in cárcere dira perpéssus ad ætérnam glóriam invíctus migrávit.

20*. Apud locum *Groß-Rosen* in Germánia, beáti Ladislái Błądziński, presbýteri e Congregatióne Sancti Michaélis et mártyris, qui in eádem tempestáte ab inimícis Ecclésiæ e pátria Polónia in fodínis lápidis deportátus est ibíque necátus.

Die 9 septembris

Quinto Idus septémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
6	7	8	9	10	11	11	12	13	14	15	16

Sancti Petri Claver, presbýteri e Societáte Iesu, qui, Carthágine Nova in Colúmbia annos ámplius quadragínta mira

abnegatióne sui et exímia caritáte pro nigrítis in servitútem abdúctis óperam impéndens, tercénta fere mília eórum Christi sua ipsa manu baptísmo regenerávit.

2. Romæ in cœmetério ad Duas Lauros via Labicána, sancti Gorgónii, mártyris.

3. In Sabínis trigésimo ab Urbe Roma miliário, sancti Hyacínthi, mártyris.

4. In monastério Clauanénsi ad ripam Seni flúminis in Hibérnia, sancti Ciaráni, presbýteri et abbátis, eiúsdem monastérii fundatóris.

5*. In Castélla Hispániæ regióne, beátæ Maríæ de la Cabeza seu a Cápite, quæ, uxor sancti Isidóri agrícolæ, vitam eremíticam húmilem et laboriósam duxit.

6*. Monastérii in Germánia, beátæ Maríæ Euthýmiæ (Emmæ) Üffing, vírginis e Congregatióne Sorórum a Compassióne, quæ, exímia pietáte, benignitáte et neglegéntia sui, Deo inter ægrótos inservívit.

7*. Eboráci in Anglia, beáti Geórgii Douglas, presbýteri et mártyris, qui, génere scotus, ex ludimagístro sacérdos Parísiis efféctus, sub Elísabeth regína Prima, eo quod áliis persuasísset, ut cathólicam fidem amplecteréntur, per patíbuli cruciátus victor in cælum migrávit.

8*. In civitáte *Gramat* in pago Cadurcénsi Gálliæ, beáti Petri Bonhomme, presbýteri, qui missiónibus ad pópulum et evangelizatióni rurum miram dedit óperam et Congregatiónem Sorórum Dóminæ Nostræ a Monte Calvário fundávit, cui iuvénum, ægrotórum atque ínopum necessitátum commísit curam.

9*. In Portu Ludovíci ínsulæ Mauritiánæ in Océano Indico, beáti Iacóbi Desideráti Laval, presbýteri, qui, post áliquot annos in arte médica peráctos, missionárius in Congregatióne Sancti Spíritus efféctus, nigrítas nuper a servitúte liberátos ad filiórum Dei libertátem perdúxit.

10*. Flaviobrígæ in Vascónia Hispániæ, beáti Francísci Gárate Aranguren, religiósi e Societáte Iesu, qui ianitóris offício duos et quadragínta annos christiána cum humilitáte functus est.

Die 10 septembris

Quarto Idus septémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
7	8	9	10	11	12	12	13	14	15	16	17

1. Alexandríæ in Ægýpto, sancti Nemésii, mártyris, qui, primum per calúmniam quasi latro iúdici delátus eóque crímine absolútus, mox, in persecutióne Décii imperatóris, christiánæ religiónis nómine coram Æmiliáno iúdice accusátus, a quo, geminátis supplíciis excruciátus, cum latrónibus iussus est incéndi, Salvatóris déferens similitúdinem, qui una cum latrónibus pértulit crucem.

2. Commemorátio sanctórum Nemesiáni et sociórum Felícis, Lúcii, alteríus Felícis, Littéi, Poliáni, Victóris, Iadéris et Datívi, qui, epíscopi, presbýteri et diáconi, in Africa sub Valeriáno et Galliéno imperatóribus, exsurgénte persecutiónis rábie, primum pro Christo gráviter fústibus cæsi, deínde compédibus vincti et ad fodiénda metálla deputáti sunt, sancto Cypriáno epístulis adhortánte, ut fírmiter sustinérent caténas et domínica conservárent mandáta.

3. Constantinópoli, sanctæ Pulchériæ, quæ rectam fidem defendit et promóvit.

4. Nováriæ in Ligúria, sancti Agábii, epíscopi.

5. Albiæ in Aquitánia, sancti Sálvii, epíscopi, qui, e claustro edúctus, ad hanc sedem invítus ordinátus est; peste invalescénte, bonus pastor numquam ab urbe recédere vóluit.

6. Prope Spiram in Rhenánia Austrásiæ, pássio sancti Theodárdi, epíscopi Tungrénsis et mártyris, qui in itínere ad regem Childerícum occísus est.

7*. Abríncis in Néustria, sancti Autbérti, epíscopi, cuius stúdio sancti Michaélis Archángeli cultus in monte Tumba flóruit.

8*. In monastério Locediénsi apud Vercéllas in Subalpínis, beáti Oglérii, abbátis ex Ordine Cisterciénsi.

9. Tolentíni in Picéno Itáliæ, sancti Nicolái, presbýteri ex Ordine Eremitárum Sancti Augustíni, qui arctíssimæ abstinéntiæ déditus et oratióne assíduus, sevérus in se, clemens vero in céteros, pæniténtiam aliórum sæpe sibi imponébat.

10*. Nagasákii in Iapónia, beatórum Sebastiáni Kimura, e Societáte Iesu, Francísci Morales, ex Ordine Prædicatórum, presbyterórum, et quinquagínta sociórum,[8] mártyrum, qui, presbýteri, religiósi, cóniuges, iúvenes, catechístæ, víduæ et infántes, in colle coram ingénti turba sævíssimis cruciátibus pro Christo occubuérunt.

11. Londínii in Anglia, sancti Ambrósii Eduárdi Barlow, presbýteri ex Ordine Sancti Benedícti et mártyris, qui vigínti quáttuor annos in Lancástriæ regióne cathólicos in fide ac pietáte firmávit et, comprehénsus dum die Páschatis Dómini prædicábat, sub Cárolo rege Primo post cárcerem propter sacerdótium cápite damnátus, Tybúrni patíbulo suspénsus est.

12*. In æquóribus ponti ante Rupifórtium ad litus Gálliæ, beáti Iacóbi Gagnot, presbýteri ex Ordine Carmelitáno et mártyris, qui, témpore gállicæ perturbatiónis propter sacerdótium in squálidam navem inhumáne coniéctus, concaptívos ægrótos susténtans carnis tabe consúmptus est.

[8] Quorum nomina: beati Angelus Orsucci, Alphonsus de Mena, Iosephus a Sancto Hyacintho de Salvanés, Hyacinthus Orfanel, presbyteri ex Ordine Prædicatorum, atque Dominicus a Rosario et Alexius, religiosi ex eodem Ordine; Richardus a Sancta Anna et Petrus de Abula, presbyteri ex Ordine Fratrum Minorum, atque Vincentius a Sancto Iosepho, religiosus ex eodem Ordine; Carolus Spínola, presbyter e Societate Iesu, atque Gundisalvus Fusai, Antonius Kiuni, Thomas a Rosario, Thomas Akahoshi, Petrus Sampo, Michael Shumpo, Ludovicus Kawara, Ioannes Chugoku, religiosi ex eadem Societate; Leo de Satsuma, Lucia de Freitas; Antonius Sanga, catechista, et Magdalena, coniuges; Antonius Coreanus, catechista, et Maria, coniuges, cum filiis eorum Ioanne et Petro; Paulus Nagaishi et Thecla, coniuges, cum filio eorum Petro; Paulus Tanaka et Maria, coniuges; Dominicus Yamada et Clara, coniuges; Isabella Fernández, vidua beati Dominici Jorge, cum filio eius Ignatio; Maria, vidua beati Andreæ Tokuan; Agnes, vidua beati Cosmæ Takeya; Maria, vidua beati Ioannis Shoun; Dominica Ogata, Maria Tanaura, Apollonia et Catharina, viduæ; Dominicus Nakano, filius beati Matthiæ Nakano; Bartholomæus Kawano Shichiemon; Damianus Yamichi Tanda et filius eius Michael; Thomas Shichiro, Rufus Ishimoto; Clemens (Bosio) Vom et filius eius Antonius.

Die 11 septembris

Tértio Idus septémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
8	9	10	11	12	13	13	14	15	16	17	18

1. Romæ in cœmetério Basíllæ via Salária Vétere, depositio sanctórum mártyrum Proti et Hyacínthi, quos sanctus Dámasus papa, eórum túmulos terra recónditos restítuens, vérsibus exornávit. Ibídem, fere quíndecim post sǽculis, dénuo sancti Hyacínthi intáctum sepúlcrum corpúsque cremátum invéntum est.

2*. Túrici apud Helvétios, sanctórum mártyrum Felícis et Régulæ.

3. Commemorátio sancti Paphnútii, epíscopi in Ægýpto, qui unus fuit ex iis fídei confessóribus, qui sub Galério Maximíno imperatóre, dextro óculo effósso et sinístro póplite succíso, ad metálla damnáti fuérunt; deínde Concílii Nicǽni párticeps, advérsus ariános pro fide cathólica strénue decertávit.

4. Lugdúni in Gállia, sancti Patiéntis, epíscopi, qui caritáte motus, iuxta Rhódanum et Ararem flúmina civitátibus plúrimum fruménti gratis dispértiit, ut pópulis fame oppréssis subveníret, et apostolátum fuse impéndit in hæreticórum conversiónem egenorúmque curam.

5. Parísiis in Gállia, tránsitus sancti Sacerdótis, epíscopi Lugdunénsis, qui in amóre timoréque Dei vixit et, cum in hanc civitátem ad concílium advenísset, ibídem óbiit.

6*. In ínsula *Bardsey* ad oram Cámbriæ septemtrionális, sancti Daniélis (Deiniol Wyn), epíscopi et abbátis Bancorénsis.

7*. In monastério Luxoviénsi in Burgúndia, tránsitus sancti Adélphii, abbátis monastérii Romaricénsis, qui dissentiónem brevis moménti lácrimis diu profúsis luit.

8*. Tulli in Austrásia, sancti Leudíni seu Bodónis, epíscopi, qui primum uxorátus, dein ad vitam monásticam se cóntulit, Odíla cóniuge simul idem capiénte consílium.

9*. In monastério Aulinénsi in Calábria, sancti Elíæ, cognoménto Speleótæ, vitæ eremíticæ et cœnobíticæ insígnis cultóris.

10*. Nagasákii in Iapónia, beatórum Gásparis Koteda, catechístæ, Francísci Takeya et Petri Shichiemon puerórum, mártyrum qui, cum patres eórum prídie huius diéi passi essent, ibídem eádem firmitáte idem supplícium decollatiónis ipsi pro Christo subiérunt.

11*. Romæ, beáti Bonaventúræ de Barcinóne (Michaélis) Gran, fratris ex Ordine Fratrum Minórum, qui, reguláris observántiæ stúdio, plúribus in locis territórii románi convéntus instítuit ad sacros recéssus, semper máximam éxhibens austeritátem vitæ et caritátem erga páuperes.

12*. Ad litus Gálliæ apud Rupifórtium in navi ad áncoras constitúta, beáti Francísci Mayaudon, presbýteri et mártyris, qui, témpore gállicæ perturbatiónis propter sacerdótium in navi servitútis comprehénsus, novíssime carnis tabe consúmptus est.

13. In urbe Uciaménsi províncíæ *Hubei* Sinárum, sancti Ioánnis Gabriélis Perboyre, presbýteri e Congregatióne Missiónis et mártyris, qui ad prædicándum Evangélium spéciem sumpsit iuxta consuetúdines loci, sed persecutióne adveniénte, in diútino cárcere váriis cruciátibus afféctus, demum in cruce appénsus est et láqueo strangulátus.

14*. Barcinóne in Hispánia, beáti Petri de Alcántara (Lauréntii) Villanueva Larráyoz, religiósi ex Ordine Sancti Ioánnis a Deo et mártyris, qui, persecutióne erga fidem sæviénte, quod religiósus esset, martýrium assecútus est.

15*. In vico *Genovés* in pago Valentíno item in Hispánia, beáti Ioséphi Maríæ Segura Penadés, presbýteri et mártyris, qui in eádem persecutióne sánguinem pro Christo effúdit.

Die 12 septembris

Prídie Idus septémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
9	10	11	12	13	14	14	15	16	17	18	19

Sanctíssimi Nóminis beátæ Vírginis Maríæ, qua die ineffábilis diléctio Dei Genetrícis erga Prolem sanctíssimam revocátur et ante fidélium óculos propónitur figúra Matris Redemptóris pie invocánda.

2. In Bithýnia, sancti Autónomi, epíscopi et mártyris.

3. Alexandríæ in Ægýpto, sanctórum Crónidis, Leóntii et Serapiónis, mártyrum, qui sub Maximíno imperatóre ob Christi nóminis confessiónem in mare demérsi esse ferúntur.

4*. Eméliæ in Momónia Hibérniæ província, sancti Albei, epíscopi, qui peregrínus Evangélium multis prædicávit.

5. Anderláci in Brabántia, sancti Guidónis, qui primum ecclésiæ Maríæ Laci ædítuus fuit, dein liberalitáte erga páuperes conspícuus septem annos ad loca sacra peregrinátus est et tandem in terram suam revérsus pie occúbuit.

6*. Omúræ in Iapónia, beatórum Apollináris Franco, ex Ordine Fratrum Minórum, et Thomæ Zumárraga, ex Ordine Prædicatórum, presbyterórum, atque quáttuor sociórum,[9] mártyrum, qui in ódium fídei christiánæ in cárcere coniécti sunt, deínde igne cremáti.

7*. In freto maris Rupifórtii in Gállia, beáti Petri Sulpítii Christóphori Faverge, fratris Scholárum Christianárum et mártyris, qui, in gállica perturbatióne cárceri datus quod religiósus esset, omnem curam concaptívis navávit, donec contagióne consúmptus pie occúbuit.

[9] Quorum nomina: beati Franciscus a Sancto Bonaventura et Petrus a Sancta Clara, religiosi ex Ordine Fratrum Minorum, atque Dominicus Magoshichi et Matthæus a Sancto Thoma Chiwiato, religiosi ex Ordine Prædicatorum.

8. Seuli in Coréa, sancti Francísci Ch'oe Kyŏng-hwan, mártyris, qui, catechísta, ad præféctum ductus christiánam fidem denegáre nóluit atque in cárcere deténtus numquam ab oratióne et catechési tradénda desístens per tormentórum cruciátus ad martýrium pervénit.

Die 13 septembris

Idibus septémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
10	11	12	13	14	15	15	16	17	18	19	20

Memória sancti Ioánnis, epíscopi Constantinopolitáni et Ecclésiæ doctóris, qui, antiochénus génere, sacerdótio initiátus ex áurea sua eloquéntia cognómen Chrysóstomi méruit; ad sedem illam eléctus, óptimum se præbuit pastórem et fídei magístrum, sed ab inimícis in exsílium eiéctus, cum e sancti Innocéntii papæ Primi decréto inde revocarétur, in itínere, a custodiéntibus milítibus multa mala perpéssus, ánimam Deo réddidit, die décima quarta septémbris, apud Cománam in Ponto.

2. Ancýræ in Galátia, sancti Iuliáni, presbýteri et mártyris sub Licínio imperatóre.

3. Hierosólymæ, dedicátio basilicárum, quas super montem Calvárium et sepúlcrum Dómini Constantínus imperátor pie ædificári vóluit.

4. Turónis in Gállia Lugdunénsi, sancti Litórii, epíscopi, qui primus intra mœnia civitátis ecclésiam ædificávit, cum iam ántea ibídem christiáni fuíssent.

5. Iúliæ Valéntiæ in Gállia Lugdunénsi, sancti Æmiliáni, qui primus epíscopus huius civitátis cólitur.

6. Carthágine, sancti Marcellíni, mártyris, qui, tribúnus ac sanctórum Augustíni et Hierónymi familiáris, ex invídia tyránnidis Heracleánæ, ob cathólicæ fídei defensiónem ab hæréticis donatístis ínnocens occísus est.

7. Andégavi in Gállia Lugdunénsi, sancti Mauríliі, epíscopi, qui, Medioláni natus, sanctum Martínum Turonénsem ádiit, a quo présbyter ordinátus et ecclésiæ Calónnæ præpósitus est; póstea epíscopus efféctus, ut superstitiónes paganórum rurálium profligáret cavit.

8. Apud Vósegos in Néustria, sancti Amáti, presbýteri et abbátis, austeritáte, ieiúniis et solitúdinis amóre célebris, qui monastério Habendénsi, quod cum sancto Romaríco condíderat, recte præfuit.

9. In ínsula Tyro Maióre ad Lunæ Sinum in Ligúria, sancti Venérii, eremítæ.

10. Bróili in pago Gálliæ Ambianénsi, tránsitus sancti Amáti, epíscopi Sedunénsis apud Helvétios, qui iussu Theodoríci regis Tértii in exsílium pulsus, ibídem óbiit.

11*. Toléti in Hispánia, beátæ Maríæ a Iesu López de Rivas, vírginis ex Ordine Carmelitárum Discalceatárum, quæ tam in ánimo quam in córpore cum dolóribus Passiónis Dómini communicávit, semper húmilis atque ómnia sústinens.

12*. In freto Rupifórtii ad oram Gálliæ in squálido navígio áncoris deligáto, beáti Cláudii Dumonet, presbýteri et mártyris, qui, magíster ártium, in tempestátibus persecutiónis in fœdam actuáriam detrúsus, pédibus caténis obstríctus febri consúmptus pro Christo occúbuit.

13*. Almériæ in Vandalícia Hispániæ regióne, beáti Aurélii Maríæ (Benvenúti) Villalón Acebrón, fratris Scholárum Christianárum et mártyris, in ódium Ecclésiæ occísi.

Die 14 septembris

Décimo octávo Kaléndas octóbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
11	12	13	14	15	16	16	17	18	19	20	21

Festum exaltatiónis Sanctæ Crucis, quæ, postrídie dedicatiónis basílicæ Resurrectiónis super sepúlcrum Christi eréctæ, exaltátur et honorátur, sicut victóriæ eius paschális tropǽum et signum in cælo apparitúrum, álterum advéntum eius iam univérsis prænúntians.

2. Romæ via Appia in crypta Lucínæ cœmetérii Callísti, depósitio sancti Cornélii, papæ et mártyris, qui Novatiáni schísmati fórtiter óbstitit, plures de lapsis magna caritáte recépit in communiónem Ecclésiæ; a Gallo imperatóre demum Centumcéllas expúlsus, passus est, ut ait sanctus Cypriánus, quidquid pati pótuit. Eius memória peréndie celebrátur.

3. Carthágine, pássio sancti Cypriáni, epíscopi, sanctitáte et doctrína claríssimi, qui funestíssimis tempóribus Ecclésiam óptime rexit, confessóres fídei in ærúmnis firmávit et, Valeriáno et Galliéno princípibus, post durum exsílium, coram frequentíssimo pópulo a procónsule gládio animadvérti iussus martýrium consummávit. Eius memória peréndie celebrátur.

4. Colóniæ Agrippínæ in Germánia, sancti Matérni, epíscopi, qui Tungrénses, Coloniénses et Trevirénses íncolas ad Christi fidem perdúxit.

5. Apud Cománam in Ponto, natális sancti Ioánnis Chrysóstomi, epíscopi, cuius memória prídie huius diéi reláta est.

6. In monastério Bellævallénsi in pago Gálliæ Bisuntíno, tránsitus sancti Petri, epíscopi, qui, ex abbáte Cisterciénsi, sedem Tarantasién-

sem, ad quam evéctus erat, fervénti stúdio rexit, concórdiam inter pópulos eníxe prómovens.

7. Ptolemáide in Palæstína, sancti Albérti, epíscopi, qui, e Vercellénsi ad Hierosolymitánam translátus Ecclésiam, eremítis montis Carméli régulam trádidit et, dum festum Sanctæ Crucis celebrábat, ab ímprobo hómine, quem reprehénderat, gládio enecátus est.

8*. In vico *Eben* in Tirólo, sanctæ Notbúrgæ, vírginis, quæ, curæ doméstícæ inténta, Christo in paupéribus famuláta est, agrícolis exémplum sanctitátis præbens.

9*. In salo ante Rupifórtium ad litus Gálliæ, beáti Cláudii Laplace, presbýteri et mártyris, qui, in gállica perturbatióne propter sacerdótium in corbítam trusus ad áncoras constitútam, gravi tabe conféctus martýrium complévit.

10. In urbe Cemtuána provínciæ *Sichuan* Sinárum, sancti Gabriélis Tauríni Dufresse, epíscopi et mártyris, qui actuósum ministérium, cui quadragínta annos vacáverat, decollatiónis martýrio perfécit.

Die 15 septembris

Décimo séptimo Kaléndas octóbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
12	13	14	15	16	17	17	18	19	20	21	22

Memória beátæ Maríæ Vírginis perdoléntis, quæ, iuxta crucem Iesu adstans, Fílii salutíferæ passióni íntime fidelitérque sociáta est et nova éxstitit Eva, ut, quemádmodum primæ mulíeris inobœdiéntia ad mortem cóntulit, ita mira eius obœdiéntia ad vitam conférret.

2. Romæ, sancti Nicomédis, mártyris, cuius corpus in cœmetério via Nomentána recónditum Bonifátius papa Quintus basílica sepulcráli honorávit.

3. Tinúrtii ad Ararem flumen in Gállia Lugdunénsi, sancti Valeriáni, mártyris.

4. Tomis in Scýthia, sanctórum Stratónis, Valérii, Macróbii et Gordiáni, mártyrum, qui sub Licínio imperatóre passi esse ferúntur.

5. Ad ripas Danúbii, sancti Nicétæ Gothi, mártyris, qui ab Athanaríco rege ariáno ob cathólicam fidem iussus est igne necári.

6. Lugdúni in Gállia, sancti Alpíni, epíscopi, qui sancto Iusto succéssit.

7. Tulli prope Nancéium item in Gállia Lugdunénsi, sancti Apri, epíscopi.

8. In monastério Gemmeticénsi in Néustria, sancti Aichádri, abbátis, qui, sancti Philibérti discípulus, ab eo ibídem præpósitus est.

9. Córdubæ in Vandalícia Hispániæ regióne, sanctórum mártyrum Emilæ, diáconi, et Ieremíæ, qui, in Maurórum persecutióne, post longam cárceris maceratiónem, demum cervícibus pro Christo abscíssis martýrium complevérunt.

10*. Busséti in território Fidentíno in Æmília, beáti Rolándi de Médicis, anachorétæ, qui in locis ásperis et solitáriis Alpium summa abstinéntia vixit cum Deo solo convérsans.

11. Génuæ in Ligúria, sanctæ Catharínæ Fieschi, víduæ, contémptu mundi, crebris ieiúniis, caritáte in Deum et dilectióne erga egénos infirmósque insígnis.

12*. In urbe *Hirado* in Iapónia, beáti Camílli Costanzo, presbýteri e Societáte Iesu et mártyris, qui, a suprémo duce Hidetada iussus igne combúri, in ipso rogo Christum prædicáre non cessávit.

13*. In loco Sancto Domínico Xagacía in México, beatórum Ioánnis Baptístæ et Hyacínthi ab Angelis, mártyrum, qui, catechístæ, cum idóla pro Christo cólere renuíssent, sǽviter percússi, passiónem Christi æmulántes prǽmium ætérnum mériti sunt.

14*. Vindóbonæ in Austria, beáti Antónii Maríæ Schwartz, presbýteri, qui pro tirónum iuvenúmque operariórum cura pastoráli necnon ad eorúndem iura defendénda Congregatiónem instítuit pro operáriis christiánis a Sancto Iosépho de Calasanz.

15*. In vico *Llosa de Ranes* in pago Valentíno Hispániæ, beáti Paschális Penadés Jornet, presbýteri et mártyris, qui, témpore persecutiónis, per terrénum certámen ad ætérnæ salútis plenitúdinem pervénit.

16*. Prope Monáchium Baváriæ in Germánia, beáti Ladislái Miegoń, presbýteri et mártyris, qui, e Polónia sub regímine Deo hominibúsque inf énso coácta in castra detentiónis Dacháni propter fidem ablátus, per cruciátus ad gloriósam pervénit corónam.

17*. Neápoli in Itália, beáti Pauli Manna, presbýteri e Pontifício Institúto pro Missiónibus Exteris, qui, missionárii offício in Birmánia infírmæ valetúdinis causa relícto, de evangelizatiónis navitáte ádmodum molítus est et summo stúdio verbi Dei prædicatiónem et unitátem christianórum fovéndas curávit.

Die 16 septembris

Sextodécimo Kaléndas octóbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
13	14	15	16	17	18	18	19	20	21	22	23

Memória sanctórum Cornélii, papæ, et Cypriáni, epíscopi, mártyrum, quorum prióris deposítio alteriúsque pássio quarto décimo septémbris recenséntur; quos vero hac die, ut indefectíbilis veritátis amóris testes témpore perturbatiónis coram Ecclésia Dei et mundo, una voce christiánus orbis laudat.

2. Chalcédone in Bithýnia, sanctæ Euphémiæ, vírginis et mártyris, quæ sub Diocletiáno imperatóre et Prisco procónsule, multis pro Christo superátis torméntis, per agónem certáminis ad corónam glóriæ ducta est.

3. In monte Sorácte ad viam Flamíniam in Látio, sanctórum Abúndii et sociórum, mártyrum.

4. Romæ via Nomentána ad Cápream in cœmetério maióre, sanctórum Victóris, Felícis, Alexándri et Pápiæ, mártyrum.

5*. Nucériæ Paganórum in Campánia, sancti Prisci, epíscopi et mártyris, quem sanctus Paulínus Nolánus métricis éxtulit láudibus.

6. Apud Cándidam Casam in Scótia, commemorátio sancti Niniáni, epíscopi, qui, britto natióne, Pictos ad fídei veritátem duxit et sedem episcopálem ibídem státuit.

7. Córdubæ in Vandalícia Hispániæ regióne, sanctórum mártyrum Rogélli, mónachi provéctæ ætátis, et Servidéi ('Abdallah) iúvenis, qui, ab Oriéntis pártibus oriúndi, audácter coram plebe saracéna Christum prædicavérunt, quaprópter, cum cápite damnáti essent, nulla compúncti tristítia, mánibus cruribúsque amputáti collísque demum abscíssi corruérunt.

8*. Pragæ in Bohémia, sanctæ Ludmíllæ, mártyris, quæ, ducíssa Bohémiæ, institutióni præpósita nepótis sui sancti Venceslái, in cuius ánimo amórem Christi ingígnere conáta est, coniuratióne nurus Drahomíræ et nobílium paganórum stranguláta est.

9. Viltóniæ in Anglia, sanctæ Edíthæ, vírginis, quæ, regis Anglórum fília, in monastério a téneris annis Deo dicáta, sǽculum hoc ignorávit pótius quam relíquit.

10*. In Monte Casíno, tránsitus beáti Victóris papæ Tértii, qui monastérium célebre trigínta annos sapiénter rexit ac magnífice locupletávit, mox Ecclésiam Románam accépit regéndam.

11*. Saviníaci in Normánnia Gálliæ, sancti Vitális, abbátis, qui, sæculáribus depósitis munéribus, in desértis locis rigidióris cultum

observántiæ dídicit et multos aggregávit in cœnóbium ab ipso cónditum.

12*. In monastério Horténsi in Castélla Hispániæ, tránsitus sancti Martíni, cognoménto Sacerdótis, qui, ex abbáte Cisterciénsi epíscopus Seguntínus ordinátus, omnes curas ad reformándum clerum inténdit, deínde íterum in idem monastérium secéssit.

13*. Sali in Província Gálliæ, tránsitus beáti Ludovíci Aleman, epíscopi Arelaténsis, qui, in exímia pietáte ac pæniténtia vitam degit.

14*. Nagasákii in Iapónia, beatórum mártyrum Domínici Shobioye, Michaélis Timonoya et fílii eius Pauli, qui pro fide decolláti sunt.

15. Limæ in Perúvia, sancti Ioánnis Macías, religiósi ex Ordine Prædicatórum, qui diu humíllimis munéribus functus est, páuperes ægrotósque sédulo curávit et assídue pro defunctórum animábus Rosárii precem orávit.

16. Apud *Sai-Nam-Hte* in Coréa, pássio sancti Andréæ Kim Taegŏn, presbýteri et mártyris, qui, duóbus annis summo zelo sacerdotáli múneri déditis, abscísso cápite, gloriósum pértulit martýrium, cuius memória vicésimo septémbris recólitur.

17*. Apud óppidum *Odena* in pago Barcinonénsi in Hispánia, beáti Ignátii Casanovas, presbýteri ex Ordine Clericórum Regulárium Scholárum Piárum et mártyris, pro Christo in persecutiónis tempestátibus interfécti.

18*. In óppido *Turís* in pago Valentíno item in Hispánia, beatórum mártyrum Laureáni (Salvatóris) Ferrer Cardet, presbýteri, Benedícti (Emmanuélis) Ferrer Jordá et Bernardíni (Pauli) Martínez Robles, religiosórum, e Tértio Ordine Sancti Francísci Capulatórum a beáta Vírgine Perdolénti, quos, in eádem persecutióne, hómines occidérunt, Deus autem ad regnum exaltávit cæléstem.

Die 17 septembris

Quintodécimo Kaléndas octóbris. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
25	**26**	**27**	**28**	**29**	**30**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
14	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**

Sancti Robérti Bellarmino, epíscopi et Ecclésiæ doctóris, e Societáte Iesu, qui præcláre de theológicis témporis sui controvérsiis peculiári ac subtíli hábitu disputávit; cardinális renuntiátus, ad ministérium pastorále in Ecclésia Capuána magnópere sese impéndit et tandem Romæ ad Apostólicæ Sedis et fídei doctrínæ defensiónem plúrimos suscépit labóres.

2. Medioláni in Ligúria, depositio sancti Sátyri, cuius insígnia mérita sanctus Ambrósius, frater eius, commémorat. Nondum Christi initiátus mystériis, cum in naufrágium incidísset, mortem non métuit, sed, ne vácuus mystériis exíret e vita, ex undis servátus Dei Ecclésiam requisívit; quem íntima et mútua cáritas fratri Ambrósio coniúnxit, a quo iuxta sanctum mártyrem Victórem sepúltus est.

3. Leódii in Austrásia, pássio sancti Lambérti, epíscopi Traiecténsis et mártyris, qui, exsílio afféctus, in monastérium Stabulénse se recépit; póstea, sede restitúta, múnere pastorál egrégie perfúnctus est et ab ínvidis ínnocens occísus.

4*. In silva Argonnénsi ad Mosam flumen in Austrásia, sancti Rodíngi, abbátis, qui monastérium Belli Loci cóndidit piéque rexit.

5. Córdubæ in Vandalícia Hispániæ regióne, sanctæ Colúmbæ, vírginis et mártyris, quæ in Maurórum persecutióne sponte coram iúdice et sátrapum collégio fidem proféssa est et contínuo ante fores palátii gládio decolláta est.

6*. Melínæ intra fines Andegavénses in Gállia, sancti Regináldi, eremítæ, qui in silvam Cratumnénsem se cóntulit ad præcépta Dómini plénius adimplénda.

7. In monastério Montis Sancti Rupérti prope Bíngium in Hássia, sanctæ Hildegárdis, vírginis, quæ, sciéntia rerum natúræ et medicínæ necnon arte música períta, quam mýstica contemplatióne expérta erat, pie in libris expósuit ac descrípsit.

8*. Aviliánæ in território Taurinénsi in Subalpínis, beáti Cherubíni Testa, presbýteri ex Ordine Eremitárum Sancti Augustíni, erga domínicam Passiónem devotíssimi.

9. Cæsaraugústæ in Aragónia Hispániæ, sancti Petri de Arbués, presbýteri et mártyris, qui, canónicus reguláris ex Ordine Sancti Augustíni, in Aragóniæ regno contra superstitiónes ac hǽreses incúbuit et ab inquisítis quibúsdam ante altáre ecclésiæ cathedrális percússus cécidit.

10. Huéi in Annámia, sancti Emmanuélis Nguyễn Văn Triệu, presbýteri et mártyris, sub regímine dómini Cảnh Thịnh.

11. Génuæ in Ligúria, sancti Francísci Maríæ de Camporósso, religiósi ex Ordine Fratrum Minórum Capuccinórum, caritáte in páuperes insígnis, qui, peste grassánte, pro salúte proximórum ipse morbo corréptus víctimam se óbtulit.

12*. Cracóviæ in Polónia, beáti Sigismúndi Felícis Feliński, epíscopi Varsaviénsis, qui summas inter ærúmnas pro Ecclésiæ libertáte et instauratióne adlaborávit ac pro ómnibus pópuli necessitudínibus Institútum Sorórum Franciscálium Famíliæ Maríæ fundávit.

13*. In vico *Castillo de Villamalefa* prope Castáliam in Hispánia, beáti Ioánnis Ventura Solsona, presbýteri et mártyris, qui, persecutióne sæviénte, constántia fídei invíctus ad cæléstem glóriam migrávit.

14*. Matríti item in Hispánia, beáti Timóthei Valero Pérez, presbýteri e Tértio Ordine Sancti Francísci Capulatórum a beáta Vírgine Perdolénti et mártyris, qui in eádem tempestáte pro Christo egrégium perégit certámen.

15*. In silva *Palmiry* prope Varsáviam in Polónia, beáti Sigismúndi Sajna, presbýteri et mártyris, qui, belli témpore, ob fidem coram aliéno regímine in Deum hostíli mínime abdicátam plumbis transfóssus est.

Die 18 septembris

Quartodécimo Kaléndas octóbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
15	16	17	18	19	20	20	21	22	23	24	25

1. Nicomedíæ in Bithýnia, sancti Océani, mártyris.

2. Prymnésso in Phrýgia, sanctæ Ariádnæ, mártyris.

3. In pago Gálliæ Viennénsi, sancti Ferréoli, mártyris, qui, ut fertur, cum esset tribuníciæ potestátis, témpore persecutiónis christiános apprehéndere recusávit, quaprópter iussu prǽsidis tentus, crudelíssime verberátus est et in cárcerem trusus; unde evásus, sed ab insequéntibus íterum captus, martýrii palmam cápitis obtruncatióne percépit.

4. Medioláni in Ligúria, sancti Eustórgii, epíscopi, cuius sanctus Athanásius veræ fídei confessiónem advérsus arianórum errórem laudat.

5*. Abríncis ad oram Británniæ Minóris, sancti Senárii, epíscopi.

6*. Lemóvici in Aquitánia, sancti Ferréoli, epíscopi, qui Marcum, Childebérti regis referendárium, quem pópulus civitátis interfícere volébat, imminénti discrímine liberávit.

7. Gortýnæ in ínsula Creta, sancti Euménii, epíscopi.

8*. Andláviæ in Alsátia Lotharíngiæ, sanctæ Richárdis, quæ, regína, regno terréno contémpto, in monastério ab ipsa cóndito Deo famuláta est.

9. Auximi in Picéno Itáliæ, sancti Ioséphi de Cupertíno, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum Conventuálium, in árduis vitæ adiúnctis paupertáte, humilitáte et caritáte erga egénos Dei conspícui.

10. In urbe *Nam Định* in Tunquíno, sancti Domínici Trạch, presbýteri ex Ordine Prædicatórum et mártyris, qui sub imperatóre Minh Mạng pótius mori quam crucem calcáre máluit et decollatióne martýrium consummávit.

11*. In vico *Paimol* prope missiónem Kalóngi in Ugánda, beáti Dávidis Okelo et Gildi Irwa, catechistárum et mártyrum, qui, cum sponte óperam dárent pópulo suo Evangélio tradéndo, a pagánis loci láncea transfóssi, intrépido martýrio Christi virtútem manifestavérunt.

12*. Apud Civitátem Regálem in Hispánia, beáti Cároli Eraña Guruceta, religiósi e Societáte Maríæ et mártyris, qui violéntia advérsus sacerdótes et religiósos furénte, a militiánis apprehénsus sine iudício plumbis interféctus est.

13*. Prope civitátem *Gandía* in pago Valentíno item in Hispánia, beatórum Ferdinándi García Sendra et Ioséphi García Mas, presbyterórum et mártyrum, qui, témpore eiúsdem persecutiónis, sánguine suo fidelitátem Dómino confirmavérunt.

14*. Monte Serráto in eódem pago Hispániæ, beatórum mártyrum Ambrósii (Salvatóris) Chuliá Ferrandis et Valentíni (Vincéntii) Jaunzarás Gómez, presbyterórum, atque Francísci (Iusti) Lerma Martínez, Richárdi (Ioséphi) López Mora et Modésti (Vincéntii) Gay Zarzo, religiosórum, e Tértio Ordine Sancti Francísci Capulatórum a beáta Vírgine Perdolénti, qui in eádem tempestáte ob Christi testimónium coronáti sunt.

15*. Intra castra detentiónis Dacháni prope Monáchium Baváriæ in Germánia, beáti Ioséphi Kut, presbýteri et mártyris, qui, génere polónus, in feram custódiam, bello sæviénte, propter fidem cónditus et diris torméntis afféctus ad Dóminum migrávit.

Die 19 septembris

Tertiodécimo Kaléndas octóbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
16	17	18	19	20	21	21	22	23	24	25	26

Sancti Ianuárii, epíscopi Beneventáni et mártyris, qui témpore persecutiónum erga fidem Putéolis prope Neápolim in Campánia pro Christo passus est.

2. Sýnnade in Phrýgia, sancti Tróphimi, mártyris.

3. In Palæstína, sanctórum mártyrum Pélei et Nili, episcopórum in Ægýpto, Elíæ, presbýteri, et Patermúthii, qui, témpore persecutiónis Diocletiáni imperatóris, cum plúrimis cléricis pro Christo igne concremáti sunt.

4. Turónis in Gállia Lugdunénsi, sancti Eustóchii, epíscopi, qui, ex órdine senatório, vir sanctus et religiósus sancto Bríctio succéssit.

5. In monastério Sistariénsi apud Língones item in Gállia, sancti Séquani, presbýteri et abbátis.

6. In território Bituricénsi in Aquitánia, sancti Mariáni, eremítæ, cui cibus fuérunt poma agréstia et mel forte repértum.

7*. Metis in Austrásia, sancti Goeríci seu Abbónis, epíscopi, qui sancto Arnúlpho succéssit eiúsque corpus reverénter hanc in urbem tránstulit.

8. Cantuáriæ in Anglia, sancti Theodóri, epíscopi, qui, mónachus Tarsénsis a sancto Vitaliáno papa ad episcopátum evéctus et in Angliam prope septuagenárius missus, forti ánimo Ecclésiam ipsi commíssam moderátus est.

9. Córdubæ in Vandalícia Hispániæ regióne, sanctæ Pompósæ, vírginis et mártyris, quæ in Maurórum persecutióne, cum martýrium sanctæ Colúmbæ audivísset, clam e monastério Pinnæ Melláriæ aufúgit et Córdubæ, coram iúdice impávida Christum conféssa, conféstim ante fores palátii gládio decolláta palmam consecúta est.

10*. Frisíngæ in Bavária, sancti Lantbérti, epíscopi.

11*. Bonivicíni prope Conséntiam in Calábria, sancti Cyríaci, abbátis.

12*. Vapínci in Província Gálliæ, sancti Arnúlphi, epíscopi, qui pro recta forma vitæ Ecclésiæ restituénda multa sustínuit.

13*. Barcinóne in Cataláunia Hispániæ regióne, sanctæ Maríæ de Cervelló, vírginis ex Ordine Beátæ Maríæ de Mercéde, quæ propter opem invocántibus collátam María de Subsídio vulgo nuncupáta est.

14. Matríti in Hispánia, sancti Alphónsi de Orozco, presbýteri ex Ordine Eremitárum Sancti Augustíni, qui, prædicatióni in cúria regis præpósitus, austérum et húmilem sese exhíbuit.

15. Seuli in Coréa, pássio sancti Cároli Hyon Sŏng-mun, mártyris, qui, catechísta, ut missionários in pátriam suam perdúceret, longa ac difficília itínera perfécit, demum áliis cum christiánis in cárcerem tráditus sócios numquam hortári déstitit et pro Christo cápite truncátus est.

16. Villæ Francæ in pago Ruthenénsi Gálliæ, sanctæ Maríæ Guliélmæ Æmíliæ de Rodat, vírginis, quæ ad puéllas erudiéndas et egénos sublevándos Congregatiónem Sorórum a Sancta Família fundávit.

17*. In loco *Ciempozuelos* prope Matrítum in Hispánia, beáti Hyacínthi Hoyuelos González, religiósi ex Ordine Sancti Ioánnis a Deo et mártyris, qui, persecutióne contra Ecclésiam vastánte, Christi confessióne gloriósum martýrium complévit.

18*. In vico *Benifayó* in pago Valentíno item in Hispánia, beátæ Francíscæ Cualladó Baixauli, vírginis et mártyris, quæ in eádem persecutióne erga fidem sánguinem pro Christo effúdit.

19*. Matríti item in Hispánia, beatárum Maríæ a Iesu de la Yglesia y de Varo, Maríæ a Dolóribus et Consolátæ Aguiar-Mella y Díaz, vírginum ex Institúto Filiárum Maríæ Scholárum Piárum et mártyrum, quæ ob Christi testimónium coronátæ sunt.

Die 20 septembris

Duodécimo Kaléndas octóbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
17	18	19	20	21	22	22	23	24	25	26	27

Memória sanctórum Andréæ Kim Tae-gŏn, presbýteri, Pauli Chŏng Ha-sang et sociórum,[10] mártyrum in Coréa. Hac die commúni vero celebratióne omnes centum et tres mártyres étiam colúntur, qui in Coréa fidem christiánam, a quibúsdam láicis primum hoc in regnum fervénter introdúctam, missionariórum deínde prædicatióne et sacramentórum celebratióne enutrítam et firmátam impávide testificáti sunt. Omnes hi Christi athlétæ, quorum tres epíscopi, octo presbýteri et céteri láici,

[10] Quorum nomina: sancti Simeon Berneux, Antonius Daveluy, Laurentius Imbert, episcopi; Iustus Ranfer de Bretenières, Ludovicus Beaulieu, Petrus Henricus Dorie, Petrus Maubant, Iacobus Chastan, Petrus Aumaître, Martinus Lucas Huin, presbyteri; Ioannes Yi Yun-il, Andreas Chong Hwa-gyŏng, Stephanus Min Kŭk-ka, Paulus Hŏ Hyŏb, Augustinus Pak Chŏng-wŏn, Petrus Hong Pyŏng-ju, Paulus Hong Yŏng-ju, Iosephus Chang Chu-gi, Thomas Son Cha-sŏn, Lucas Hwang Sŏk-tu, Damianus Nam Myŏng-hyŏg, Franciscus Ch'oe Kyŏng-hwan, Carolus Hyon Sŏng-mun, Laurentius Han I-hyŏng, Petrus Nam Kyŏng-mun, Augustinus Yu Chin-gil, Petrus Yi Ho-yŏng, Petrus Sŏn Sŏn-ji, Benedicta Hyŏn Kyŏng-nyŏn, Petrus Ch'oe Ch'ang-hŭb, catechistæ; Agatha Yi, Maria Yi In-dŏg, Barbara Yi, Maria Wŏn Kwi-im, Teresia Kim Im-i, Columba Kim Hyo-im, Magdalena Cho, Elisabeth Chŏng Chŏng-hye, virgines; Teresia Kim, Barbara Kim, Susanna U Sur-im, Agatha Yi Kan-nan, Magdalena Pak Pong-sŏn, Perpetua Hong Kŭm-ju, Catharina Yi, Cæcilia Yu So-sa, Barbara Cho Chŭng-i, Magdalena Han Yŏng-i, viduæ; Magdalena Son So-byŏg, Agatha Yi Kyŏng-i, Agatha Kwŏn Chin-i, Ioannes Yi Mun-u, Barbara Ch'oe Yŏng-i, Petrus Yu Chŏng-nyul, Ioannes Baptista Nam Chong-sam, Ioannes Baptista Chŏn Chang-un, Petrus Ch'oe Hyŏng, Marcus Chŏng Ui-bae, Alexius U Se-yŏng, Antonius Kim Sŏng-u, Protasius Chong Kuk-bo, Augustinus Yi Kwang-hŏn, Agatha Kim A-gi, Magdalena Kim Ŏ-bi, Barbara Han A-gi, Anna Pak A-gi, Agatha Yi So-sa, Lucia Pak Hŭi-sun, Petrus Kwon Tŭ-gin, Iosephus Chang Sŏng-jib, Magdalena Yi Yŏng-hŭi, Teresia Yi Mae-im, Martha Kim Sŏng-im, Lucia Kim, Rosa Kim, Anna Kim Chang-gŭm, Ioannes Baptista Yi Kwang-nyol, Ioannes Pak Hu-jae, Maria Pak Kun-a-gi Hui-sun, Barbara Kwŏn-hŭi, Barbara Yi Chŏng-hŭi, Maria Yi Yŏn-hŭi, Agnes Kim Hyo-ju, Catharina Chŏng Ch'ŏr-yŏm, Iosephus Im Ch'i-baeg, Sebastianus Nam I-gwan, Ignatius Kim Che-jun, Carolus Cho Shin-ch'ŏl, Iulitta Kim, Agatha Chŏn Kyŏng-hyŏb, Magdalena Hŏ Kye-im, Lucia Kim, Petrus Yu Taech'ol, Petrus Cho Hwa-sŏ, Petrus Yi Myŏng-sŏ, Bartholomæus Chŏng Mun-ho, Iosephus Petrus Han Chae-kwon, Petrus Chŏng Won-ji, Iosephus Cho Yun-ho, Barbara Ko Sun-i, Magdalena Yi Yŏng-dŏg.

sive matrimónio iuncti sive non, senes, iúvenes ac púeri, supplício affécti, pretióso sánguine suo primórdia Ecclésiæ in Coréa consecrárunt.

2. Sýnnade ýin Phrýgia, sancti Dorymedóntis, mártyris.

3. Romæ, commemorátio sancti Eustáchii, mártyris, cuius nomen cólitur in antíqua diaconía Urbis.

4. Constantinópoli, sanctórum mártyrum Hypátii et Asiáni, episcopórum, atque Andréæ, presbýteri, qui, ob cultum sacrárum Imáginum, sub Leóne Isáurico imperatóre, post dira et grávia torménta esca cánibus tráditi sunt.

5*. Apud óppidum Arcum in pago Tridentíno, beáti Adelpréti, epíscopi, qui, strénuus tutor páuperum pupillorúmque et libertátis Ecclésiæ defénsor, ab hóstibus in insídias indúctus et crudéliter percússus occúbuit.

6*. Londínii in Anglia, beáti Thomæ Johnson, presbýteri e Cartúsia huius civitátis et mártyris, qui sub Henríco rege Octávo ob fidelitátem Ecclésiæ servátam in cárcere Neopórtus nonus ex número confrátrum fame et morbo corréptus périit.

7*. Córdubæ in Hispánia, beáti Francísci de Posadas, presbýteri ex Ordine Prædicatórum, qui, pæniténtia, humilitáte et caritáte clarus, quadragínta annos in illa regióne Christum evangelizávit.

8. In arce *Sơn-Tây* in Tunquíno, sancti Ioánnis Cároli Cornay, presbýteri e Societáte Parisiénsi Missiónum ad éxteras gentes et mártyris, qui ob christiánam confessiónem post dira supplícia decréto imperatóris Minh Mạng in partes disséctus est et demum decollátus.

9. Seuli in Coréa, sanctórum Lauréntii Han I-hyŏng, catechístæ, et sex sociórum,[11] mártyrum, qui divérsis in carcéribus láqueo suffocáti martýrium pro Christo subiérunt. Quorum memória una cum céteris harum regiónum martýribus hódie celebrátur.

[11] Quorum nomina: sancti Petrus Nam Kyŏng-mun, catechista; Teresia Kim Im-i, virgo; Susanna U Sur-im et Agatha Yi Kan-nan, viduæ; Catharina Chŏng Ch'ŏr-yŏm et Iosephus Im Ch'i-baeg, baptizatus in carcere.

10. Plebe in México, beáti Ioséphi Maríæ de Yermo y Parres, presbýteri, qui Congregatiónem instítuit Servárum a Sacro Corde Iesu et Paupéribus ad derelíctis subveniéndum in ánimi corporísque necessitátibus.

Die 21 septembris

Undécimo Kaléndas octóbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
18	19	20	21	22	23	23	24	25	26	27	28

Festum sancti Matthǽi, Apóstoli et Evangelístæ, qui, Levi cognominátus, a Iesu vocátus ad sequéndum, munus publicáni seu vectigálium exactóris relíquit et, inter Apóstolos eléctus, Evangélium conscrípsit, quo Iesum Christum, fílium David, fílium Abrahæ, Vetus Testaméntum adimplevísse præsértim proclamátur.

2. Commemorátio sancti Ionæ, prophétæ, fílii Amathi, cuius nómine liber Véteris Testaménti appellátus est et céleber éxitus e ceti ventre tamquam signum domínicæ Resurrectiónis in ipso Evangélio enarrátur.

3. In Grǽcia, commemorátio sancti Quadráti, Apostolórum discípuli, qui, ut fertur, in persecutióne Hadriáni imperatóris, Ecclésiam terróre dispérsam fide et indústria sua cóngregans, librum pro christiánæ religiónis defensióne apostólica doctrína dignum eídem imperatóri porréxit.

4. Romæ via Salária Vétere, sancti Pámphili, mártyris.

5. Ad Baccánas via Cássia vicésimo miliário ab urbe Roma, sancti Alexándri, mártyris.

6. Gazæ in Palæstína, sanctórum Eusébii, Néstabi et Zenónis, mártyrum, qui, fratres, témpore Iuliáni Apóstatæ imperatóris, irruénte in

eos gentílium turba, discérpti atque necáti sunt. Passus est cum eis sanctus Nestor, qui ex accéptis vulnéribus paulo post martýrium consummávit.

7*. Aptæ Iúliæ in Província, sancti Cástoris, epíscopi, qui, cúpiens monachórum vitam frátribus in novéllo monastério explanári, a sancto Ioánne Cassiáno pétiit, ut exímias tráderet conferéntias ascetárum Ægyptiórum.

8*. In monastério Lancarvanénsi in Cámbria meridionáli, sancti Cadóci, abbátis, sub cuius nómine étiam in Cornúbia et in Británnia Minóre plura monastéria cóndita sunt.

9*. In monastério Ettenheiménsi in Bádena regióne, sancti Landelíni, mónachi, ex Hibérnia orti.

10*. Trunchínii in Flándria Austrásiæ, sancti Gerúlphi, mártyris, adulescéntis.

11*. Trecis ad Séquanam in Gállia, sanctæ Mauræ, vírginis, pietátis et caritátis opéribus assíduæ.

12*. Pisáuri in Picéno Itáliæ, beáti Marci de Mútina Scalabrini, presbýteri ex Ordine Prædicatórum, qui plúrimos errántes in viam iustítiæ redúcere pótuit.

13. Apud arcem *Quảng-Trị* in Annámia, sanctórum Francísci Jaccard, presbýteri e Societáte Parisiénsi Missiónum ad éxteras gentes, et Thomæ Trần Văn Thiện, mártyrum, qui, sub imperatóre Minh Mạng, pro Christo cárcerem verberáque subiérunt demúmque láqueo suffocáti sunt.

14. Apud *Sai-Nam-Hte* in Coréa, pássio sanctórum mártyrum Lauréntii Imbert, epíscopi, Petri Maubant et Iacóbi Chastan, presbyterórum e Societáte Parisiénsi Missiónum ad éxteras gentes, qui ad vitam christianórum servándam sese satellítibus contulérunt et gládio interfécti sunt.

15*. In vico *Benisoda* in pago Valentíno in Hispánia, beatórum mártyrum Vincéntii Galbis Gironés, patrisfamilias, et Emmanuélis Torró García, qui, passióni Christi configuráti, quem coluérunt, martýrii triúmpho imitáti sunt.

Die 22 septembris

Décimo Kaléndas octóbris. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
30	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
19	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**

1. Romæ in cœmetério Commodíllæ via Ostiénsi, commemorátio sanctæ Eméritæ, mártyris.

2. Agáuni in pago Vallénsi apud Helvétios, sanctórum mártyrum Maurítii, Exsupérii, Cándidi, mílitum, qui, ut sanctus Euchérius Lugdunénsis trádidit, cum sóciis eiúsdem Thebǽæ legiónis et Victóre veteráno, sub Maximiáno imperatóre pro Christo necáti, gloriósa sua passióne Ecclésiam illustrárunt.

3. Romæ via Salária Vétere, depositío sanctæ Basíllæ, mártyris, sub Diocletiáno et Maximiáno imperatóribus.

4. In vico Libróso territórii Bituricénsis in Aquitánia, sancti Silváni, eremítæ.

5. In monte Glonna ad Lígerim flumen in pago Pictaviénsi Gálliæ, sancti Floréntii, presbýteri.

6. In território Gálliæ Constantiénsi, sancti Lautónis seu Laudi, epíscopi.

7. Laudúni in Néustria, sanctæ Salabérgæ, abbatíssæ, quam cæcam sanctus Columbánus sanavísse et ad Dei servítium direxísse fertur.

8. Ratísbonæ in Bavária, sancti Emmerámmi, epíscopi, qui pro Christi fide interémptus est.

9*. In monastério Cisterciénsium Morimúndi in Gállia, tránsitus beáti Othónis, epíscopi Frisingénsis, qui in monachái hábitu, quem numquam in episcopátu deposúerat, óbiit.

10. Augústæ Taurinórum in Subalpínis, sancti Ignátii de Sandóne (Lauréntii Maurítii) Belvisotti, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum Capuccinórum, in pæniténtibus audiéndis et infírmis adiuvándis assídui.

11*. In salo ante Rupifórtium in Gállia, beáti Ioséphi Marchandon, presbýteri et mártyris, qui, témpore gállicæ perturbatiónis propter sacerdótium in tábidam actuáriam coniéctus, esúrie ac morbo consúmptus ad Patrem migrávit.

12. Seuli in Coréa, pássio sanctórum Pauli Chŏng Ha-sang et Augustíni Yu Chin-gil, mártyrum, quorum alter primam christianórum communitátem vigínti annos témpore persecutiónis diréxit, alter lítteris ad Gregórium papam Sextum Décimum scripsit, ut presbýteros in Coréam mítteret, et, ambo catechístæ, simul post dira supplícia pro fide decolláti sunt.

13*. Monte Serráto in Hispánia, beáti Cároli Navarro, presbýteri ex Ordine Clericórum Regulárium Scholárum Piárum et mártyris, persecutióne erga religiósos sæviénte, illústri martýrio coronáti.

14*. Ibídem, beáti Germáni Gozalvo Andreu, presbýteri et mártyris, qui in eádem persecutióne ob Christi testimónium coronátus est.

15*. Alzíræ in pago Valentíno item in Hispánia, beatórum mártyrum Vincéntii Pelufo Corts, presbýteri, et Ioséphæ Moscardó Montalvá, vírginis, qui, témpore eiúsdem persecutiónis erga fidem, ante Deum omnipoténtem palmam victóriæ gérere meruérunt.

16*. In vico *Bolbaite* item in pago Valentíno, beáti Vincéntii Sicluna Hernández, presbýteri et mártyris, in eádem tempestáte interfécti.

17*. In vico *Corbera* prope Valéntiam item in Hispánia, beátæ Maríæ a Purificatióne Vidal Pastor, vírginis et mártyris, quæ cum Christo Sponso ad núptias ætérnas méruit intráre.

Die 23 septembris

Nono Kaléndas octóbris. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
1	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
20	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**30**

Sancti Pii de Pietrelcína (Francísci) Forgione, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum Capuccinórum, qui in convéntu oppíduli Sancti Ioánnis Rotúndi in Apúlia ad spiritálem moderatiónem fidélium et ad pæniténtium reconciliatiónem summópere inténdit, tanta erga egénos pauperésque providénti cura, ut hac die terrénam peregrinatiónem Christo crucifíxo vere configurátus compléret.

2. Commemorátio sanctórum Zacharíæ et Elísabeth, paréntum beáti Ioánnis Baptístæ, Præcursóris Dómini. Elísabeth, cum Maríam cognátam in domum suam suscepísset, repléta Spíritu Sancto matrem Dómini salutávit benedíctam inter mulíeres. Zacharías vero, sacérdos prophético spíritu replétus, fílio nato, laudávit Deum redemptórem et próximum prædicávit advéntum Christi, ex alto oriéntis.

3. Romæ, commemorátio sancti Lini, papæ, cui, ut refert sanctus Irenǽus, beáti Apóstoli Ecclésiæ in Urbe fundátæ episcopátus curam commisérunt quemque sibi sócium méminit beátus Paulus Apóstolus.

4. Miséni in Campánia, sancti Sóssii, diáconi et mártyris, qui, ut fert sanctus Sýmmachus papa, epíscopum suum morti subdúcere cúpiens, cum eo necem nanctus est ac pari prétio parem glóriam consecútus.

5. Ancónæ in Picéno Itáliæ, commemorátio sancti Constántii, qui, ecclésiæ mansionárius, magis humilitáte quam miraculórum grátia conspícuus éxstitit.

6*. In Hiénsi ínsula Scótiæ, sancti Adamnáni, presbýteri et abbátis, viri sciéntia Scripturárum óptime instrúcti unitatísque ac pacis stu-

diosíssimi, qui tam in Scótia quam in Hibérnia románam consuetúdinem de Páschatis celebratióne multis prædicatióne sua suásit.

7. In Africa, sanctórum Andréæ, Ioánnis, Petri et Antónii, mártyrum, qui, Syracúsis capti, a Mauris deportáti sunt ac supplíciis affécti.

8*. Venétiis, beáti Petri Acotanto, mónachi, qui abbátis offícium humíliter recusávit et reclúsus vívere máluit in claustro.

9*. Bonóniæ in Æmília, beátæ Hélenæ Duglioli Dall'Olio, quæ, post matrimónium in mirábili cum cóniuge concórdia, vídua effécta, exemplárem duxit vitam.

10*. Tlaxcálæ in México, beatórum Christóphori, Antónii et Ioánnis, mártyrum, qui, témpore primæ Américæ evangelizatiónis, christiánæ fídei læti adhæsérunt, quaprópter a concívibus ad mortem cæsi sunt.

11*. Marianópoli in Quebecénsi Cánadæ província, beátæ Maríæ Æmíliæ Tavernier, religiósæ, quæ, maríto filiísque orbáta, egénis assidéndo se dedit et Congregatiónem Sorórum a Providéntia fundávit pro órphanis, sénibus et mente captis ministrándis.

12*. In loco *Kingston* ad Támesim in Anglia, beáti Guliélmi Way, presbýteri et mártyris, qui, sub Elísabeth regína Prima cápite damnátus quod sacérdos Angliam ingréssus petivísset, patíbulo suspénsus est.

13*. In vico *Benisa* in pago Valentíno in Hispánia, beáti Vincéntii Ballester Far, presbýteri et mártyris, qui, témpore persecutiónis, pro Christo egrégium perégit certámen.

14*. In vico *Benicalap* in eódem pago Hispániæ, beatárum Sóphiæ Ximénez Ximénez, matrisfamílias, Maríæ a Purificatióne a Sancto Ioseph Ximénez atque Maríæ Ioséphæ del Río Mesa, vírginum ex Institúto Sorórum Carmelitárum a Caritáte, mártyrum, quæ per agónem certáminis ad glóriam copiósam ductæ sunt.

15*. Cracóviæ in Polónia, beátæ Bernardínæ Jablonska, vírginis, quæ, Congregatiónis Sorórum Paupéribus Serviéntium fundátrix, pro paupéribus et ægrótis semper sollícita fuit.

16*. Varsáviæ item in Polónia, beáti Ioséphi Stanek, presbýteri e Societáte Apostolátus Cathólici et mártyris, qui, témpore belli, a persecutóribus fídei per suspéndii cruciátum martýrium perfécit.

Die 24 septembris

Octávo Kaléndas octóbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
21	22	23	24	25	26	26	27	28	29	30	1

1. Medioláni in Transpadána, sancti Anatólii, qui primus huius civitátis epíscopus créditur.

2. Sedeláuci in pago Augustodunénsi Gálliæ, sanctórum Andóchii, Thyrsi et Felícis, mártyrum.

3. Arvérnæ in Aquitánia, sancti Rústici, epíscopi, qui, cum présbyter iam esset in eádem urbe, pontificátus honórem, pópulo gaudénte, suscépit.

4. Lugdúni in Gállia, sancti Lupi, epíscopi, qui, ántea anachoréta víxerat.

5*. Massíliæ in Província, sancti Isárni, abbátis, qui, austérus in se, in álios vero mansuétus ac pacíficus, vitam regulárem in monastério Sancti Victóris renovávit.

6. In Pannónia, sancti Gerárdi Sagredo, Morisénæ sedis epíscopi et mártyris, qui magíster fuit sancti Emeríci príncipis adulescéntis, sancti Stéphani regis fílii, et in seditióne Hungarórum paganórum prope flumen Danúbium lapídibus óbrutus occúbuit.

7*. Gerúndæ in Cataláunia Hispániæ, beáti Dalmátii Moner, presbýteri ex Ordine Prædicatórum, solitúdinis et siléntii amóre conspícui.

8*. Eboráci in Anglia, beatórum mártyrum Guliélmi Spenser, presbýteri, et Robérti Hardesty, qui, sub Elísabeth regína Prima cápite damnáti, prior quod sacérdos esset, alter quod eum hospítio recepísset, patíbulo suspénsi sunt.

9. Nagasákii in Iapónia, sancti Antónii González, presbýteri ex Ordine Prædicatórum et mártyris, qui in Iapóniam quinque cum sóciis missus et paulo post in vínculis deténtus, bis aquæ torménto excruciátus est atque, febri corréptus, céteros in morte præívit, sub suprémo duce Tokugawa Yemitsu.

10. Septémpedæ in Picéno Itáliæ, sancti Pacífici de Sancto Severíno, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum, pæniténtiis, amóre solitúdinis et oratióne coram Sanctíssimo Sacraménto præclári.

11*. Maribóri in Slovénia, beáti Antónii Martíni Slomšek, epíscopi, qui curam vitæ christiánæ familiárum et institutiónis cleri máximam hábuit et pro unitáte Ecclésiæ ómnibus víribus conténdit.

12*. Romæ, beátæ Colúmbæ (Ioánnæ) Gabriel, abbatíssæ, quæ monastério Leopolitáno prǽfuit, at iniúste calumniáta Romam pétiit, ubi pauper et læta vivens Congregatiónem Sorórum Benedictinárum a Caritáte fundávit, necnon opus sociále Domum Famíliæ nuncupátum pro puéllis operáriis paupéribus seu a famíliis longínquis.

13*. In vico *Abalat de la Ribera* in pago Valentíno Hispániæ, beáti Ioséphi Raymúndi Paschális Ferrer Botella, presbýteri et mártyris, qui in persecutióne erga fidem martýrium passus est.

14*. In vico *Rotglà y Corbera* in eódem pago Hispániæ, beáti Ioséphi Maríæ Ferrándiz Hernández, presbýteri et mártyris, qui, témpore eiúsdem persecutiónis, certámen pro fide complévit.

15*. In óppido *Olleria* item in pago Valentíno, beátæ Incarnatiónis Gil Valls, vírginis et mártyris, quæ, lámpadem splendéntem déferens, Christo Sponso óbviam invícta incéssit.

16*. Alzíræ in eódem pago Hispániæ, beáti Ioséphi Raymúndi Ferragud Girbés, mártyris, qui, paterfamílias, pro Christo víctima persecutórum fídei cécidit.

Die 25 septembris

Séptimo Kaléndas octóbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
22	23	24	25	26	27	27	28	29	30	1	2

1. Commemorátio sancti Cléophæ, discípuli Dómini, cuius arsit cor, dum iter faciénti cum áltero discípulo Christus sero Páschatis appáruit Scriptúras in via eis apériens, et qui in castéllo Emmaus Salvatórem in fractióne panis cognóvit.

2. Ambiáni in Gállia Bélgica, sancti Firmíni, qui epíscopus et martyr cólitur.

3. Damásci in Sýria, sanctórum mártyrum Pauli et Tattæ, cóniugum, atque Sabiniáni, Máximi, Rufi et Eugénii filiórum, qui, christiánæ religiónis accusáti, verbéribus aliísque supplíciis torti, ánimam Deo reddidérunt.

4. Carnúti in Gállia Lugdunénsi, sancti Solémnis, epíscopi.

5. Suessióne in Gállia Bélgica, sancti Princípii, epíscopi, fratris sancti Remígii.

6*. Corcágiæ in Momónia Hibérniæ, sancti Finbárri, epíscopi.

7. Autissiodóri in Néustria, sancti Aunachárii, epíscopi, quo sedénte Martyrológium Hieronymiánum nuncupátum complétum est.

8*. Cusántiæ in pago Bisuntíno in Néustria, sancti Ermenphrídi, abbátis.

9*. In monastério Sanctíssimæ Trinitátis in Mosquénsi Rússiæ regióne, sancti Sérgii de Radonez, qui, primum in silvis ásperis eremíta, dein vitam cœnobíticam cóluit et hegúmenus eléctus propagávit, vir mitis, consiliárius príncipum et consolátor fidélium.

10*. In iugis *Alpujarras* prope Granátam in Vandalícia Hispániæ regióne, beáti Marci Criado, presbýteri ex Ordine Sanctíssimæ Trinitátis pro redemptióne captivórum et mártyris, a Mauris interfécti.

11*. In óppido *Carrión de Calatrava* prope Civitátem Regálem item in Hispánia, beatórum mártyrum Ioánnis Petri (Ioséphi) Bengoa Aranguren, presbýteri, et Pauli Maríæ (Petri) Leoz y Portillo, religiósi e Congregatióne Passiónis, atque Iesu Hita Miranda, religiósi e Societáte Maríæ, qui, persecutióne furénte, in ódium Ecclésiæ a militiánis plumbis interfécti sunt.

Die 26 septembris

Sexto Kaléndas octóbris. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
4	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
23	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**28**	**29**	**30**	**1**	**2**	**3**

Sanctórum Cosmæ et Damiáni, mártyrum, qui nullam mercédem peténtes Cyrrhi in Euphratésia medicínam exercuísse ferúntur et multi gratuítis curis eórum sanáti.

2. Commemorátio sancti Gedeónis, ex tribu Manásse, qui iudex fuit in Israel et, cum signum roris in vellus descendéntis a Dómino accepísset, in fortitúdine Dei, ara Baal destrúcta, de manu inimicórum pópulum Israel liberávit.

3. Albáni in Látio, sancti Senatóris, mártyris.

4. Bonóniæ in Æmília, commemorátio sancti Eusébii, epíscopi, qui pro fide cathólica advérsus ariános cum sancto Ambrósio decertávit et promovéndæ inter puéllas virginitáti plúrimum labórem impértiit.

5*. Caiétæ in Látio, sancti Stéphani de Rossáno, mónachi, sócii sancti Nili iunióris.

6. In agro Tusculáno prope Romam, sancti Nili Iunióris, abbátis, qui, græcus génere, hábitum sanctæ conversatiónis quæsívit et, abstinéntiæ, humilitáti et peregrinatióni studens, prophetía et sapiéntiæ doctrína clarus, secúndum orientálium Patrum normas célebre monastérium Cryptæ Ferrátæ fundávit ibíque nonagenárius in oratório spíritum Deo réddidit.

7*. Salérni in Campánia, beátæ Lúciæ de Cálata Hierónis, vírginis e Tértio Ordine Reguléri Sancti Francísci.

8. Seuli in Coréa, pássio sanctórum Sebastiáni Nam I-gwan et novem sociórum,[12] mártyrum, qui pro christiána fide post immánia supplícia decolláti sunt; commemorántur item sanctæ mártyres Lúcia Kim, Catharína Yi, vídua, atque ipsíus fília Magdaléna Cho, virgo, quæ, in cárcere pro Christo deténtæ, die incérto huius mensis ob passa supplícia occubuérunt.

9. Lugdúni in Gállia, sanctæ Terésiæ (Maríæ Victóriæ) Couderc, vírginis, quæ non sine magna tribulatióne, seréno vero ánimo Societátem Dóminæ Nostræ a recéssu Cenáculi in vico *La Louvesc* apud túmulum sancti Ioánnis Francísci Régis fundávit.

10*. In vico *Gars* prope Monáchium Baváriæ in Germánia, beáti Gásparis Stanggassinger, presbýteri e Congregatióne Sanctíssimi Redemptóris, qui, iúvenum eruditióni addíctus, iísdem exémplar iucúndæ caritátis et oratiónis assíduæ præbuit.

11*. In civitáte *Los Reyes* in Perúvia, beáti Aloýsii Tezza, presbýteri ex Ordine Clericórum Regulárium Infírmis Ministrántium, qui ad inserviéndum Deo inter ægrótos Congregatiónem Filiárum a Sancto Camíllo fundávit, quam sapiénter ad multíplicis caritátis ópera redégit.

12*. Valéntiæ in Hispánia, beatárum Maríæ a Refúgio (Terésiæ) Rosat Balasch et Maríæ a Calvário (Ioséphæ) Romero Clariana, vírginum e Congregatióne Doctrínæ Christiánæ et mártyrum, quæ, persecutióne sæviénte, ob fidelitátem Christo Sponso servátam in cárcerem trusæ sunt tandémque interémptæ.

[12] Quorum nomina: sancti Ignatius Kim Che-jun, Carolus Cho Shin-ch'ŏl, Columba Kim Hyo-im, virgo; Magdalena Pak Pong-sŏn et Perpetua Hong Kŭm-ju, viduæ; Iulitta Kim, Agatha Chŏn Kyŏng-hyŏb, Magdalena Hŏ Kye-im.

13*. Ibídem, beáti Raphaélis Pardo Molina, religiósi ex Ordine Prædicatórum et mártyris, qui témpore persecutiónis erga fidem occúbuit. Cum eo commemorátur étiam beátus martyr Ioséphus María Vidal Segú, présbyter ex eódem Ordine, qui ob indeféssum fídei testimónium Barcinóne in Christo exaudítus est in glóriam.

14*. In vico *Puerto de Canals* in pago Valentíno Hispániæ, beátæ Crescéntiæ Valls Espí, vírginis et mártyris, quæ in persecutióne erga fidem martýrium passa est.

15*. In vico *Benifairó de Valldigna* in eódem pago Hispániæ, beátæ Maríæ ab Oblivióne Noguera Albelda, vírginis et mártyris, quæ, témpore eiúsdem persecutiónis, martýrium pro fide complévit.

16*. In vico *Gilet* item in pago Valentíno, beáti Bonaventúræ (Iúlii) Esteve Flors, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum Capuccinórum et mártyris, qui in eádem tempestáte ad Dóminum vi inimicórum fídei migrávit.

17*. In vico *Benifallím* in pago Lucentíno item in Hispánia, beátæ Maríæ Jordá Botella, vírginis et mártyris, quæ pro Christo egrégium perégit certámen.

18*. Matríti item in Hispánia, beáti Leónis (Emmanuélis) Legua Martí, presbýteri e Tértio Ordine Sancti Francísci Capulatórum a beáta Vírgine Perdolénti et mártyris, qui, eódem témpore persecutiónis, gloriósam obtínuit corónam.

Die 27 septembris

Quinto Kaléndas octóbris. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
5	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
24	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**29**	**30**	**1**	**2**	**3**	**4**

Memória sancti Vincéntii de Paul, presbýteri, qui, spíritu sacerdotáli plenus, Parísiis in Gállia paupéribus addíctus, in fácie qualiscúmque doléntis vultum agnoscébat Dómini sui;

ad formam primitívæ Ecclésiæ instaurándam, clerum sancte formándum et páuperes sublevándos Congregatiónem Missiónis instítuit et, sancta Ludovíca de Marillac cooperánte, Congregatiónem étiam Puellárum a Caritáte.

2. Medioláni in Transpadána, sancti Caii, epíscopi.

3. In castro Sedúno apud Æduos in Gállia, sancti Florentíni, qui una cum sancto Hilário Vandalórum gládio vulnerátus esse fertur.

4. In cœnóbio Lætiénsi in Hannónia Austrásiæ, sanctæ Hiltrúdis, vírginis, quæ, apud fratrem Guntárdum abbátem ábdita, piíssime vixit.

5. Córdubæ in Vandalícia Hispániæ regióne, sanctórum mártyrum Adólphi et Ioánnis, qui, fratres, in persecutióne Maurórum, témpore 'Abd ar-Rahman regis Secúndi, martýrio pro Christo coronáti sunt.

6*. Faræ apud Cíngulum in Picéno Itáliæ, sancti Bonfílii, iam Fulginaténsis epíscopi, qui, post decem annos in Terra Sancta peráctos, in Itáliam rédiit, ut mónachus fíeret in monastério Storacénsi, cui abbas ántea præfúerat, tandem in solitúdine óbiit.

7. Parísiis in Gállia, sancti Elzeári de Sabran, qui, comes Ariáni, virginitáte cum beáta Delphína uxóre et ómnibus virtútibus servátis, adhuc florénti ætáte defúnctus est.

8*. Pistórii in Etrúria, beáti Lauréntii de Ripafrácta, presbýteri ex Ordine Prædicatórum, qui sexagínta annos vitam regulárem fidéliter servávit, in audiéndis peccatóribus assíduus.

9*. In sórdido navígio áncoris deligáto prope Rupifórtium ad oram Gálliæ, beáti Ioánnis Baptístæ Laborier du Vivier, diáconi et mártyris, qui, témpore persecutiónis Ecclésiæ propter statum clericálem ad sævam captivitátem damnátus, gravi morbo consúmptus occúbuit.

10*. Sagúnti in Hispánia, beatórum mártyrum Ioséphi Fenollosa Alcayna, presbýteri, et Fidélis (Mariáni) Climent Sanchés, religiósi ex Ordine Fratrum Minórum Capuccinórum, qui, persecutióne erga fidem furénte, sánguinem pro Christo effudérunt.

11*. In vico *Gilet* in pago Valentíno item in Hispánia, betárum mártyrum Francíscæ Xavériæ (Maríæ) Fenollosa Alcayna, religiósa e Tértio Ordine Capuccinárum a Sacra Família, et Hermíniæ Martínez Amigó, matrisfamílias, quæ, in eádem tempestáte, sánguine suo fidelitátem Dómino confirmavérunt.

Die 28 septembris

Quarto Kaléndas octóbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
25	26	27	28	29	1	30	1	2	3	4	5

Sancti Venceslái, mártyris, qui, dux Bohemórum, sapiéntia divína et humána ab ávia sancta Ludmílla erudítus, sevérus in se, pacíficus vero in administrándo regno et erga páuperes miséricors, servos paganos Pragæ vendéndos turmátim redémit, ut baptizaréntur; post multas difficultátes susténtas in súbditis regéndis atque fide informándis, a fratre Bolesláo próditus, Véteris Bolesláviæ in Bohémia in ecclésia a sicáriis occísus est.

Sanctórum Lauréntii de Maníla Ruiz et quíndecim sociórum,[13] mártyrum, qui, tum presbýteri cum religiósi vel láici, postquam fidem christiánam per ínsulas Philippínas, Formósam et Iapónicas disseminavérunt, ex decréto suprémi ducis Tokugawa Yemitsu Nagasákii in Iapónia separátis diébus pro Christi amóre martýrium consummárunt, sed una celebrántur commemoratióne.

[13] Quorum nomina: sancti Dominicus Ibáñez de Erquicia, Iacobus Kyuhei Gorobioye Tomonaga, Antonius González, Michael de Aozaraza, Gulielmus Courtet, Vincentius Shiwozuka, Lucas Alphonsus Gorda, Iordanus (Hyacinthus) Ansalone et Thomas Hioji Rokuzayemon Nishi, presbyteri ex Ordine Prædicatorum; Franciscus Shoyemon, Michael Kurobioye et Matthæus Kohioye, religiosi ex eodem Ordine; Magdalena de Nagasakio, virgo e Tertio Ordine Sancti Augustini; Marina de Omura, virgo e Tertio Ordine Prædicatorum; Lazarus de Kyoto, laicus.

3. Calydóne Pisídiæ, sanctórum fratrum Alphǽi, Alexándri et Zósimi, mártyrum.

4. In Vétere Laura prope Béthlehem Palæstínæ, sancti Charitónis, abbátis, qui, oratióne et ieiúniis assíduus, plures lauras in desérto fundávit.

5. Bonóniæ in Æmília, sancti Zamæ, qui primus eiúsdem civitátis epíscopus habétur.

6. Tolósæ in Aquitánia, sancti Exsupérii, epíscopi, qui basílicam in honórem sancti Saturníni dicávit et, bárbaris irruéntibus, strénuum civitátis suæ defensórem se prǽbuit; quantum in se parcus, in álios vero largus exstíterit sanctus Hierónymus refert.

7. In Béthlehem Iudæ, commemorátio sanctæ Eustóchii, vírginis, quæ cum sancta Paula, matre sua, ex urbe Roma ad præsépe Dómini profécta est, ne sancti Hierónymi magístri consílio caréret, ibíque præcláris méritis fulgens ad Dóminum migrávit.

8. Genévæ Helvetiórum, sancti Salónii, epíscopi, qui primum in ínsula Lirinénsi vitam monásticam egit, dein epíscopus efféctus sancti Leónis papæ Magni doctrínam asséruit atque Sacras Scriptúras mýstice explanávit.

9*. Régii in Província Gálliæ, sancti Fausti, epíscopi, ántea abbátis Lirinénsis, qui contra ariános de Verbo Dei carne facto et de Spíritu Sancto consubstantiáli Patri Filióque coætérno scripsit et ab Euríco rege exsílio affèctus est.

10*. Lugdúni in Gállia, sancti Annemúndi, epíscopi et mártyris.

11*. Salisbúrgi in Bavária, sanctórum Chuniáldi et Gisilárii, presbyterórum, qui sancto Rupérto epíscopo opem tulérunt.

12. Apud Mogúntiam in Rhenánia Austrásiæ, sanctæ Léobæ, vírginis, quæ a sancto Bonifátio propínquo suo ex Anglia in Germániam vocáta est et ad Túberam monastério præfécta, ubi ancíllas Dei ad perfectiónis viam verbo et exémplo diréxit.

13*. Pápiæ in Langobárdia, beáti Bernardíni de Féltria (Martíni) Tomitano, presbýteri ex Ordine Minórum, qui usquequáque bonam tulit frugem múneris prædicatiónis sui, advérsus usúram Montes Pietátis, qui dicúntur, instítuit et, vir pacis, ad civíles discórdias componéndas a Xysto papa Quarto vocátus est.

14. Matríti in Hispánia, sancti Simónis de Rojas, presbýteri ex Ordine Sanctíssimæ Trinitátis pro redemptióne captivórum, qui, regínæ Hispániæ comitátui addíctus, currum aut mercédem numquam accépit, sed inter régios splendóres húmilem, páuperem, misericórdem in míseros et Deo ardénter devótum semper se præbuit.

15*. Nagasákii in Iapónia, beatórum Ioánnis Shozaburo, catechístæ, Máncii Ichizayemon, Michaélis Taiemon Kinoshi, Lauréntii Hachizo, Petri Terai Kuhioye et Thomæ Terai Kahioye, mártyrum, qui pro Christo decolláti sunt.

16*. In vico Sancti Felícis *de Codines* in Cataláunia Hispániæ regióne, beáti Francísci Xavérii Ponsa Casallarch, religiósi ex Ordine Sancti Ioánnis a Deo et mártyris, qui, persecutióne sæviénte, pro Christo et Ecclésia ad gloriósam palmam pervénit.

17*. In óppido *Benillup* in pago Lucentíno item in Hispánia, beátæ Amáliæ Abad Casasempere, mártyris, quæ, materfamílias, témpore persecutiónis erga fidem ob Christi testimónium coronáta est.

18*. Valéntiæ item in Hispánia, beáti Ioséphi Tarrats Comaposada, religiósi e Societáte Iesu et mártyris, qui in eádem persecutióne in Christo exaudítus est in glóriam.

19*. In civitáte *Karadzar* prope Caragándam in Cazastánia, beáti Nicétæ Budka, epíscopi, qui, primus exércens munus in Cánada inter christifidéles cathólicos Ritus byzantíni, témpore regíminis in Deum hostílis, in campum detentiónis deportátus est, ubi in fide persevérans pro amóre Christi ómnia advérsa ánimi fortitúdine usque ad mortem tolerávit.

Die 29 septembris

Tértio Kaléndas octóbris. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
7	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
26	**27**	**28**	**29**	**1**	**2**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**

Festum sanctórum Michaélis, Gabriélis et Raphaélis, archangelórum. In die dedicatiónis basílicæ sub título Sancti Michaélis via Salária miliário sexto ab Urbe antíquitus ædificátæ, una celebrántur tres archángeli, quorum singuláres Scriptúra Sancta revélat missiónes, qui die ac nocte Deo sérviunt et vultum eius contemplántes ipsum incessánter gloríficant.

2. Perínthi seu Heracléæ in Thrácia, sancti Euthýchii, epíscopi et mártyris.

3. Valeroctístæ in Arménia, sanctárum Rípsimis, Gaiánæ et sociárum, mártyrum.

4. Autissiodóri in Gállia Lugdunénsi, sancti Fratérni, epíscopi.

5. In Palæstína, sancti Quiríaci, anachorétæ, qui nonagínta fere annos in spelúncis vitam duxit aspérrimam, anachoretárum exémplar atque advérsus erróres Origenistárum veritátis fídei defénsor.

6*. Medioláci ad Sarávum flúvium in Rhenánia, depositío sancti Liudwíni, epíscopi Trevirénsis, qui, monastérii huius loci fundátor, Remis óbiit.

7*. In ínsula Augia lacus Turicénsis apud Helvétios, sancti Adelríci, presbýteri et eremítæ.

8*. In Británnia Minóre, sancti Maurítii, abbátis primum Langoneténsis, dein Carnœténsis monastérii Ordinis Cisterciénsis ab ipso cónditi, ubi sanctitátis signis clarus quiévit.

9*. In monastério Cisterciénsium Longipóntis in Gállia, beáti Ioánnis de Monte Mirábili, qui ex claríssimo équite húmilis mónachus factus est.

10*. Apud Dariórigum ad oram Británniæ Minóris, beáti Cároli de Blesis, viri pii, mitis et húmilis, qui, dux Británniæ, etsi in número Fratrum Minórum adésse malúerat, coáctus tamen ad principátum ab adversário vindicándum, constans in ærúmnis diútinum cárcerem súbiit et in certámine iuxta Alréum occísus est.

11*. Romæ, beáti Nicolái de Furca Paléna, presbýteri ex Ordine Eremitárum Sancti Hierónymi, qui in colle Ianículo monastérium Sancti Onúphrii fundávit, ubi centenárius quiévit in Dómino.

12*. Leópoli in Polónia, sancti Ioánnis de Dukla, presbýteri ex Ordine Minórum, qui vitam abscónditam et ascéticam iuxta consuetúdines Observántium ducens, cum fervénti stúdio animárum curæ pastoráli óperam dedit atque christianórum unitátem fovit.

13. Nagasákii in Iapónia, pássio sanctórum Michaélis de Aozaráza, Guliélmi Courtet, Vincéntii Shiwozuka, presbyterórum ex Ordine Prædicatórum, Lázari de Kyóto et Lauréntii de Maníla Ruiz, patrisfamílias, mártyrum, qui, annum ámplius in cárcere deténti propter nomen christiánum, supplícium crucis subiérunt, dein decolláti sunt. Eórum memória, una cum áliis sóciis, prídie huius diéi acta est.

14. In vico *Ossernenon* in território Canadénsi, pássio sancti Renáti Goupil, mártyris, qui, médicus atque sancti Isaáci Jogues cooperátor, ab éthnico quodam secúris ictu occísus est.

15*. In vico *Gilet* prope Valéntiam in Hispánia, beáti Iacóbi Mestre Iborra, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum Capuccinórum et mártyris, qui, persecutióne erga fidem furénte, sánguinem pro Christo effúdit.

16*. Valéntiæ item in Hispánia, beatórum mártyrum Pauli Bori Puig, presbýteri, et Vincéntii Sales Genovés, religiósi, e Societáte Iesu, qui pro Christo egrégium peregérunt certámen.

17*. In vico *Picadero de Paterna* in pago Valentíno item in Hispánia, beáti Daríi Hernández Morató, presbýteri e Societáte Iesu et mártyris, qui in eádem persecutióne ánimam réddidit Deo.

18*. Illérdæ item in Hispánia, beáti Francísci de Paula Castelló i Aleu, mártyris, qui, in eádem persecutióne religiósa damnátus, æquo ánimo summáque firmitúdine mortem pro Christo oppétere non dubitávit.

Die 30 septembris

Prídie Kaléndas octóbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
27	28	29	1	2	3	2	3	4	5	6	7

Memória sancti Hierónymi, presbýteri et Ecclésiæ doctóris, qui, in Dalmátia natus, Romæ ómnium litterárum stúdia cultor exímius adéptus est ibíque baptizátus; dein, contemplatiónis vitæ virtúte captus et vitam ascéticam ampléxus, in Oriéntem perréxit et présbyter ordinátus est. Romam revérsus, a secrétis fuit Dámasi papæ, dein vero Béthlehem Iudæ constitútus ad monásticam conversatiónem secéssit et in Sacris Scriptúris verténdis et explanándis doctor insígnis evásit. Mirum in modum Ecclésiæ plúrium necessitátum párticeps fuit; demum, cum ad provéctam usque vixísset ætátem, in pace quiévit.

2. Placéntiæ in Æmília, sancti Antoníni, mártyris.

3. Solodóri apud Helvétios, sanctórum Ursi et Victóris, mártyrum, qui ex Thebǽa legióne fuísse dicúntur.

4. In Arménia, sancti Gregórii, cognoménto Illuminatóris, epíscopi, qui post magnos labóres in spelúncam prope confluéntes ramos Euphrátis recéssit ibíque in pace quiévit, apóstolus Armenórum hábitus.

5*. Massíliæ in Província Gálliæ, sanctæ Eusébiæ, vírginis, quæ a iuventúte ad senéctam Deo fidéliter famuláta est.

6. Cantuáriæ in Cántia Angliæ, sancti Honórii, epíscopi, qui, mónachus románus, a sancto Gregório papa Magno sancti Augustíni sócius ad evangelizándam Angliam missus est, cui tandem étiam in sede succéssit.

7*. Romæ, sancti Simónis, mónachi, qui, iam comes Crispeiénsis in Gállia, pátriæ, matrimónio omnibúsque renúntians vitam elégit monásticam, dein eremíticam in móntibus Iurénsibus; sǽpius tamen petítus, ut legátus pacem inter príncipes conciliáret, in Urbe óbiit atque ad Sanctum Petrum sepúltus est.

8. Apud Nuscum in Hirpínia, sancti Amáti, epíscopi.

9*. Deæ Vocontiórum in Gállia, sancti Ismidónis, epíscopi, qui, amóre locórum sanctórum flagrans, bis Hierosólymam pie peregrinátus est.

10*. Pisáuri in Picéno Itáliæ, beátæ Felíciæ Meda, abbatíssæ ex Ordine Clarissárum.

11. Romæ, sancti Francísci de Borja, presbýteri, qui, mórtua uxóre, a qua octo fílios habúerat, Societátem Iesu ingréssus est et, abdicátis sǽculi et recusátis Ecclésiæ dignitátibus, præpósitus generális eléctus, vitæ asperitáte ac oratióne memorábilis éxstitit.

12*. Ad oram Gálliæ ante fretum maris Rupifórtii, beáti Ioánnis Nicolái Cordier, presbýteri et mártyris, qui, Societáte Iesu suppréssa, ministérium sacerdotále egit in pago Virodunénsi, donec, sæviénte gállica perturbatióne, in actuáriam ad áncoras in salo constitútam coniéctus quod sacérdos esset, dira inédia ægrótus occúbuit.

13*. In vico *Lanzo* apud Augústam Taurinórum in Itália, beáti Frideríci Albert, presbýteri, qui, párochus, ad míseros omnímodo sublevándos Congregatiónem Sorórum Sancti Vincéntii de Paul ab Immaculáta Conceptióne fundávit.

14. Lexóvii item in Gállia, natális sanctæ Terésiæ a Iesu Infánte, cuius memória cras ágitur.

OCTOBER

Die 1 octobris

Kaléndis octóbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
28	29	1	2	3	4	3	4	5	6	7	8

Memória sanctæ Terésiæ a Iesu Infánte, vírginis et Ecclésiæ doctóris, quæ, monastérium Carmelitárum Lexoviénse in Gállia adhuc adulescéntula ingréssa, innocéntia ac simplicitáte vitæ magístra sanctitátis in Christo effécta, viam ad christiánam perfectiónem per spiritálem infántiam dócuit atque in animárum salútem et Ecclésiæ increméntum omnem mýsticam sollicitúdinem infúdit, vitam consúmmans vicésimo quinto ætátis suæ anno. Obiit vero die trigésima septémbris.

2. Sacilínii in Gállia Bélgica, sancti Piatónis, qui présbyter, evangelizátor Tornacénsium et martyr cólitur.

3. Ulyssipóne in Lusitánia, sanctórum Veríssimi, Máximæ et Iúliæ, mártyrum.

4. Constantinópoli, sancti Románi, diáconi, qui, ex sublími arte in hymnis ecclesiásticis in honórem Dómini atque sanctórum componéndis, Melódus cognominári méruit.

5. Tréviris in Rhenánia Austrásiæ, sancti Nicétii, epíscopi, qui, teste sancto Gregório Turonénsi, fortis in prædicándo, terríbilis in arguéndo, constans in docéndo, sub Clotário rege Francórum exsílio afféctus est.

6. Gandávi in Flándria Néustriæ, sancti Bavónis, mónachi, qui sancti Amándi discípulus fuit et, sǽculo valedícens, distribútis bonis paupéribus, in monastérium hoc in castro cónditum se cóntulit.

7*. Condáte ad Scaldim in Hannónia Austrásiæ, sancti Wasnúlphi, mónachi, pátria scoti.

8. Cantuáriæ in Anglia, sancti Geráldi Edwards, presbýteri et mártyris, qui, in Gállia ordinátus et in pátriam, persecutióne Elísabeth regínæ Primæ furénte, revérsus, post diútinum cárcerem patíbulo martýrium complévit. Simul cum eo passi sunt beáti Robértus Wilcox et Christóphorus Buxton, presbýteri, item propter sacerdótium, et Robértus Widmerpool, quod sacerdótem adiuvísset.

9*. Cicéstriæ item in Anglia, beatórum Radúlphi Crockett et Eduárdi James, presbyterórum et mártyrum, qui, ex Collégio Anglórum Reménsi in pátriam regréssi, propter solum sacerdótium ad patíbuli supplícia ducti sunt.

10*. Gippevíci item in Anglia, beáti Ioánnis Robinson, presbýteri et mártyris, qui, paterfamílias, uxóre defúncta, propter sacerdótium in summa senectúte suscéptum martýrio coronátus est.

11*. Nagasákii in Iapónia, beatórum Gásparis Hikojiro et Andréæ Yoshida, mártyrum, qui, catechístæ, cum sacerdótes domi suscepíssent, cápitis detruncatiónem subiérunt.

12*. Sarónni prope Varésium in Langobárdia Itáliæ, beáti Aloýsii Maríæ Monti, religiósi, qui, etsi condiciónem servans laicálem, Fílios ab Immaculáta Conceptióne instítuit, quos in spíritu caritátis erga páuperes et egénos diréxit, præsértim infírmis orphanísque assidéndo et iúvenum institutióni cavens.

13*. In vico *Rotglá y Corbera* in pago Valentíno Hispániæ, beátæ Floréntiæ Caerols Martínez, vírginis et mártyris, quæ, témpore persecutiónis erga fidem, per martýrium vitæ ætérnæ glóriam cónsequi méruit.

14*. In vico *Villena* in eódem pago Hispániæ, beáti Alvári Sanjuán Canet, presbýteri e Societáte Salesiána et mártyris, qui in eádem tempestáte per agónem certáminis ad palmam copiósam est ductus.

15*. Prope Monáchium Baváriæ in Germánia, beáti Antónii Rewera, presbýteri et mártyris, qui, e Polónia in castra detentiónis Dacháni propter Christi confessiónem cónditus, per torménta ad corónam martýrii pervénit.

Die 2 octobris

Sexto Nonas octóbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
29	1	2	3	4	5	4	5	6	7	8	9

Memória sanctórum Angelórum Custódum, qui, primum ad contemplándam in splendóre fáciem Dei vocáti, a Dómino étiam apud hómines commíssi sunt, ut iis invisíbili sua, sed sollícita, præséntia adéssent ac consúlerent.

2. Nicomedíæ in Bithýnia, sancti Eleuthérii, mártyris.

3*. Numánciæ in Hispánia Carthaginénsi, sancti Satúrii, eremítæ.

4. Sarcinióne in território Néustriæ Atrebaténsis, pássio sancti Leodegárii, Augustodunénsis epíscopi, quem, váriis afflíctum iniúriis et excæcátum, Ebroínus maiordómus aulæ régiæ Theodoríci iniúste interfécit. Cum eo cólitur memória fratris eius sancti Geríni, mártyris, qui, duóbus annis ántea, eiúsdem Ebroíni iussu lapídibus óbrutus est.

5*. Andágii in saltu Arduénnæ in Austrásia, sancti Beregísi, abbátis, qui monastérium clericórum regulárium ibídem fundávit eíque sédulo præfuit.

6*. In Rǽtia, sancti Ursicíni, epíscopi Curiénsis et primi abbátis monastérii Disentinénsis ab ipso fundáti.

7. Constantinópoli, commemorátio sancti Theóphili, mónachi, qui pro defensióne sacrárum Imáginum a Leóne Isáurico sævíssime cæsus est et in exsílium pulsus.

8*. Nagasákii in Iapónia, beatórum Ludovíci Yakichi et Lúciæ, cóniugum, atque filiórum eórum Andréæ et Francísci, mártyrum, qui pro Christo mortem obiérunt, púeris cum matre coram patre decollátis, ipso póstea in ignem proiécto.

9*. In salo ante Rupifórtium in Gállia in squálida corbíta áncoris deligáta, beáti Geórgii Edmúndi René, presbýteri et mártyris, qui, canónicus Vezeliacénsis, témpore gállicæ perturbatiónis ad navália víncula damnátus quod munus sacerdotále exercéret, córporis tabe consúmptus occúbuit.

10*. Lugdúni in Gállia, beáti Antónii Chevrier, presbýteri, qui Opus Providéntiæ Pradénse instítuit, ubi sacerdótes ad iúvenes páuperes christiána religióne docéndos compararéntur.

11*. Fianarantsóæ in Madagascária, beáti Ioánnis Beyzym, presbýteri e Societáte Iesu, qui férvidam hac in ínsula pro leprósis exércuit navitátem, quorum córpori et spirítui magna ope caritátis inservívit.

12*. Prope Castáliam ad oram Hispániæ, beatórum Francísci Carceller, ex Ordine Clericórum Regulárium Scholárum Piárum, et Isidóri Bover Oliver, e Sodalitáte sacerdótum operariórum diœcesanórum, presbyterórum et mártyrum, qui, persecutióne sæviénte, in ódium sacerdótii ante murum cœmetérii plumbis interémpti martýrium consummárunt.

13*. In vico *Sax* prope Lucéntum item in Hispánia, beatórum Elíæ et Ioánnis Baptístæ Carbonell Mollá, presbyterórum et mártyrum, qui, fratres, in eádem persecutióne erga Ecclésiam plumbis interfécti sunt.

14*. In vico *Silla* prope Valéntiam item in Hispánia, beátæ Maríæ Guadalupe (Maríæ Francíscæ) Ricart Olmos, religiósæ ex Ordine Servórum Maríæ et mártyris, quæ in eádem tempestáte ob Christi testimónium coronáta est.

15*. In urbe *Stanisławów* in Polónia, beátæ Maríæ Antonínæ Kratochwil, vírginis e Congregatióne Sorórum Scholárium a Dómina Nostra et mártyris, quæ, belli témpore, cárceri propter fidem data est, ubi cruciátibus pro Christo Sponso afflícta occúbuit.

Die 3 octobris

Quinto Nonas octóbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
1	2	3	4	5	6	5	6	7	8	9	10

1. Commemorátio sancti Dionýsii Areopagítæ, qui Christo a beáto Paulo Apóstolo coram Areopágo prædicáto adhǽsit et primus Atheniénsium epíscopus constitútus est.

2. Romæ in cœmetério Pontiáni via Portuénsi, sanctæ Cándidæ, mártyris.

3. Alexandríæ in Ægýpto, commemorátio sanctórum Fausti, Caii, Petri, Pauli, Eusébii, Chærémonis, Lúcii et aliórum duórum, qui primum sub Décio imperatóre, demum sub Valeriáno, iussu Æmiliáni prǽsidis cum sancto Dionýsio epíscopo multa passi sunt, confessóres fídei, inter quos vero Faustus sub império Diocletiáni étiam martýrii palmam méruit.

4. Maiúmæ in Palæstína, commemorátio sancti Hesýchii, mónachi, qui sancti Hilariónis discípulus fuit et in peregrinatióne sócius.

5. Commemorátio sancti Maximiáni, epíscopi Bagaiénsis in Numídia, qui, ab hæréticis íterum iterúmque sævíssima perpéssus, ex alta dénique turri præcipitátus est et pro mórtuo derelíctus; sed, póstmodum a transeúntibus colléctus et sanátus, cathólicam fidem propugnáre non déstitit.

6*. Telónii in Província Gálliæ, sancti Cypriáni, epíscopi, qui, sancti Cæsárii Arelaténsis discípulus, plúribus in sýnodis orthodóxam de grátia fidem defféndit, nihil per se proféctus inténdens e divínis quemquam arrípere posse, nisi prímitus Dei grátia præveniénte vocátum.

7. Apud Sáxones, sanctórum mártyrum duórum Ewaldórum, cognoménto alteríus Nigri, alteríus Albi, qui, presbýteri natióne angli, sancti Willibrórdi et sociórum exémplo institúti ad Sáxones transiérunt et, cum illis prædicáre Christum cœpíssent, a pagánis comprehénsi martýrium consummárunt.

8*. In monastério Metheménsi in Bavária, beáti Uthónis, fundatóris et primi abbátis.

9. In pago Namurcénsi Lotharíngiæ, sancti Gerárdi, primi abbátis monastérii Broniénsis ab ipso cónditi, qui tam in Flándria quam in Lotharíngia monásticæ disciplínæ instaurándæ óperam dedit et plura cœnóbia ad prístinam régulæ observántiam revocávit.

10*. Cúriæ Rhætórum apud Helvétios, beáti Adalgótti, epíscopi, qui, Claraválle discípulus sancti Bernárdi, de disciplína monástica óptime méritus est.

11*. Ad ripam flúminis *Uruaçu* prope Natáliam in Brasília, beatórum Ambrósii Francísci Ferro, presbýteri, et sociórum,[1] mártyrum, qui víctimæ oppressiónis contra cathólicam fidem patrátæ occubuérunt.

12*. Matríti in Hispánia, beáti Crescéntii García Pobo, presbýteri e Tértio Ordine Sancti Francísci Capulatórum a beáta Vírgine Perdolénti et mártyris, qui, persecutióne erga fidem sæviénte, sánguinem pro Christo effúdit.

Die 4 octobris

Quarto Nonas octóbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
2	3	4	5	6	7	6	7	8	9	10	11

Memória sancti Francísci, qui post expedítam iuventútem convérsus Asísii in Umbria vitam evangélicam delégit, Iesu Christo in paupéribus máxime derelictísque invénto ipse

[1] Quorum nomina: beati Antonius Baracho, Antonius Vilela Cid, Antonius Vilela iunior et filia eius, Didacus Pereira, Emmanuel Rodrigues Moura et coniunx eius, filia Francisci Dias iunioris, Franciscus de Bastos, Franciscus Mendes Pereira, Ioannes da Silveira, Ioannes Lostau Navarro, Ioannes Martins et septem iuvenes, Iosephus do Porto, Matthæus Moreira, Simon Correia, Stephanus Machado de Miranda et filiæ eius duæ, Vincentius de Souza Pereira.

pauper factus desérviens, et Fratres Minóres sibi in societáte adiúnxit; amórem Dei ómnibus in itínere adúsque Terram Sanctam prædicávit, in verbis et gestis perféctam Christi quærens sequélam, et super nudam terram obíre vóluit.

2. Bonóniæ in Æmília, sancti Petrónii, epíscopi, qui e mundána potestáte in sacerdótii munus ascéndit et de offício episcopáli scriptis et exémplo dócuit.

3*. In pago Gálliæ Turonénsi, sancti Quintíni, mártyris.

4. Parísiis item in Gállia, sanctæ Aureæ, abbatíssæ, quam sanctus Elígius monastério præpósuit intra civitátem ab ipso fundáto sub Régula sancti Columbáni, ubi trecéntas vírgines congregáverat.

5*. Novæ Auréliæ in Ludoviciána e Civitátibus Fœderátis Américæ Septemtrionális, beáti Francísci Xavérii Seelos, presbýteri e Congregatióne Sanctíssimi Redemptóris, e Bavária oriúndus, de puerórum, iúvenum et migrántium necessitátibus assídue sollícitus.

6*. In vico *Xaraco* in pago Valentíno Hispániæ, beáti Henríci Morant Pellicer, presbýteri et mártyris, qui, témpore persecutiónis, certámen pro fide complévit.

7*. Prope civitátem *Gandía* in eódem pago Hispániæ, beáti Ioséphi Canet Giner, presbýteri et mártyris, qui ob fidelitátem erga Christum sacrifício Salvatóris sociári méruit.

8*. In óppido *Bellrreguart* item in pago Valentíno, beáti Alaphrídi Pellicer Muñoz, religiósi ex Ordine Fratrum Minórum et mártyris, qui in eádem tempestáte ad palmam usque Christi fidem confirmávit.

Die 5 octobris

Tértio Nonas octóbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
13	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**1**	**2**

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
3	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**

1. Tréviris in Gállia Bélgica, commemorátio sanctórum mártyrum, qui tempóribus persecutiónis Diocletiáni imperatóris palmam adépti esse credúntur.

2. Corýci in Cilícia, sanctæ Charitínæ, mártyris.

3. Commemorátio sanctæ Mamláchæ, vírginis et mártyris, quæ, e Garamæórum terra in Pérsidem profécta, a Sápore rege Secúndo intérfici iussa est.

4. Iúliæ Valéntiæ in pago Viennénsi Gálliæ, sancti Apollináris, epíscopi, qui, frater sancti Avíti Viennénsis epíscopi atque vir iustítiæ et honestátis fervóre incénsus, post longam Valentinénsis sedis vacatiónem, christiánæ religiónis vires et prístinum decus restítuit.

5. Commemorátio sancti Plácidi, mónachi, qui inde a puerítia caríssimus fuit discípulus sancti Benedícti.

6*. Nivérni in Néustria, sancti Hierónymi, epíscopi, cuius munificéntia et pastoráli sollicitúdine Ecclésia ipsíus locupletáta est.

7*. Apud Paderbórnam in Saxónia, sancti Meinúlphi, diáconi, qui monastérium Budicénse exstrúxit et locupletávit, ubi sacras vírgines constítuit.

8. Legióne in Hispánia, commemorátio sancti Froiláni, epíscopi, qui, ex eremíta ad episcopátum evéctus, Hispániæ regiónes a iugo Maurórum liberátas evangelizávit, monásticæ vitæ propagándæ stúdio ac beneficéntia in páuperes clarus.

9. Zamóræ item in Hispánia, commemorátio sancti Attiláni, epíscopi, qui, primum mónachus, máximus comes fuit sancti Froiláni ad regiónes prius a Mauris devastátas ad Christum alliciéndas.

10*. Floréntiæ in Etrúria, beáti Petri de Foro Cornélii, qui, eques Ordinis Sancti Ioánnis Hierosolymitáni, in curam infirmórum pia caritáte incúbuit.

11*. Belli Loci in pago Cadurcénsi in Gállia, commemorátio sanctæ Floræ, vírginis ex Ordine Sancti Ioánnis Hierosolymitáni, quæ in valetudinário páuperes ægrótos curávit atque corde et córpore Christi passiónem communicávit.

12*. Coræ in Látio, beáti Sancti, presbýteri ex Ordine Eremitárum Sancti Augustíni, quem verbum Dei prædicántem multitúdo secúta est.

13*. Norimbérgæ in Bavária, beáti Raymúndi de Víneis, presbýteri ex Ordine Prædicatórum, qui sanctæ Catharínæ Senénsis prudens ánimi moderátor fuit eiúsque vitæ memóriam compósuit.

14*. Viglebáni in Langobárdia, beáti Matthǽi (Ioánnis Francísci) Carreri, presbýteri ex Ordine Prædicatórum, qui véhemens ac facundíssimus fuit verbi Dei ætátis suæ concionátor.

15*. Londínii in Anglia, beatórum mártyrum Guliélmi Hartley et Ioánnis Hewett, presbyterórum, atque Robérti Sutton, qui ob constántiam erga Ecclésiam cathólicam sub Elísabeth regína Prima divérsis in locis prope civitátem láqueo suspénsi sunt.

16*. In vico *Mindelstetten* pagi Ratisbonénsis in Germánia, beátæ Annæ Schäffer, vírginis, quæ undevigínti annos nata, munus fámulæ explens, aqua fervénti adústa est ac deínceps, progrediénte infírma eius valetúdine, æquo ánimo pauper et orans vixit, crucem ferens dolóris sui pro salúte animárum.

17*. Pompéiis apud Neápolim in Itália, beáti Bartholomǽi Longo, qui, iurisperítus, de mariáli cultu et de christiána institutióne agricolárum puerorúmque sollícitus, Rosárii sanctuárium in Valle Pompeiána et sorórum eiúsdem títuli Congregatiónem, pia uxóre opes feránte, fundávit.

18. Apud locum *Tepatitlán* in México, sancti Tranquillíni Ubiarco, presbýteri et mártyris, qui, persecutióne in Ecclésiam sæviénte, ministérium pastoråle indesinénter implévit, quaprópter árbori suspénsus martýrium gloriósum perfécit.

19. Cracóviæ in Polónia, sanctæ Maríæ Faustínæ (Hélenæ) Kowalska, vírginis e Soróribus Beátæ Maríæ Vírginis a Misericórdia, de mystério divínæ misericórdiæ patefaciéndo valde sollícitæ.

20*. In óppido *Płonkowo* item in Polónia, beáti Mariáni Skrzypczak, presbýteri et mártyris, qui, témpore occupatiónis Polóniæ sub regímine in Deum hostíli, ob invíctam fidem ante ecclésiam plumbis interféctus palmam martýrii accépit.

Die 6 octobris

Prídie Nonas octóbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
4	5	6	7	8	9	8	9	10	11	12	13

Sancti Brunónis, presbýteri, qui, a Colónia Agrippína in Lotharíngia oriúndus, postquam disciplínas theológicas in Gállia dócuit, vitam solitáriam desíderans, cum paucis discípulis in desérta valle Cartúsiæ in Alpibus Ordinem fundávit, ubi eremitárum solitúdo cum cœnobítica quadam conversatióne componerétur. A beáto Urbáno papa Secúndo Romam vocátus, ut eum in Ecclésiæ necessitátibus adiuváret, in erémo tamen apud monastérium Turris in Calábria últimos annos transégit.

2. Laodicéæ in Phrýgia, sancti Ságaris, epíscopi et mártyris, sub Servílio Paulo, Asiæ procónsule.

3. Agínni in Aquitánia, sanctæ Fídei, mártyris.

4. Surrénti in Campánia, sancti Renáti, epíscopi.

5. Autissiodóri in Néustria, sancti Románi, epíscopi.

6*. In Venétia, commemorátio sancti Magni, epíscopi, qui ex Opitérgio urbe a Langobárdis capta cum máxima gregis sui parte emigrásse fertur, urbem novam Heraclíam condidísse et Venétiis octo ecclésias exstruéndas curavísse.

7*. In Británnia Minóre, sancti Ywii, diáconi et mónachi, qui, sancti Cuthbérti Lindisfarnénsis epíscopi discípulus, mare transfretávit et in hac regióne commorátus est, vigíliis ieiuniísque assíduus.

8*. Azogýreæ in Creta, sancti Ioánnis, cognoménto Xeni, qui monásticam conversatiónem per ínsulam propagávit.

9*. Garácti in pago Lemovicénsi Aquitániæ, sancti Pardúlphi, abbátis, qui, sanctitáte vitæ clarus, Saracénos a Cárolo Martéllo rege profligátos ab oratório suo effugavísse fertur.

10*. Lambáci in Bavária, tránsitus beáti Adalberónis, epíscopi Herbipolénsis, qui, pro Sede Apostólica multa a schismáticis passus et a sede sua semel iterúmque pulsus, postrémos vitæ annos apud Lambacénse monastérium ab ipso cónditum in pace transégit.

11*. In Cartúsia Arvériæ in Burgúndia, quam fundáverat, sancti Artáldi, epíscopi Bellicénsis, qui, mónachus prope nonagenárius, epíscopus invítus eléctus est et post duos annos ad monásticam vitam rédiit usque ad centésimum sextum annum.

12. Neápoli in Campánia, sanctæ Maríæ Francíscæ a Vulnéribus Dómini nostri Iesu Christi (Annæ Maríæ) Gallo, vírginis e Tértio Ordine Seculári Sancti Francísci, ad innúmeros et assíduos cruciátus ac certámina patiéntia, pæniténtia et amóre Dei et animárum admirábilis.

13*. Apud Rupifórtium in Gállia, beáti Francísci Hunot, presbýteri et mártyris, qui, persecutióne contra Ecclésiam furénte, propter sacerdótium in sórdido navígio tamquam cárcere reclúsus, fébribus corréptus spíritum réddidit.

14*. In loco *Longueuil* in Cánada, beátæ Maríæ Rosæ (Euláliæ) Durocher, vírginis, fundatrícis Congregatiónis Sorórum a Sanctis Nomínibus Iesu et Maríæ, pro puellárum humána et christiána institutióne.

15. Apud urbem *An-Hòa* in Annámia, sancti Francísci Trần Văn Trung, mártyris, qui, miles, fidem christiánam abiuráre iussus, strénue apostatáre recusávit, quaprópter imperatóris Tự Đức iussu cápite truncátus est.

16*. Cortoríaci in Bélgio, beáti Isidóri a Sancto Ioseph de Loor, religiósi e Congregatióne Passiónis, qui múnera ipsi commíssa sancte explévit et, morbo corréptus, confrátribus exémplar diros tulit dolóres.

Die 7 octobris

Nonis octóbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
5	6	7	8	9	10	9	10	11	12	13	14

Memória beátæ Maríæ Vírginis de Rosário, die quo per Rosárii seu mariális corónæ precatiónem sanctæ Dei Genetrícis præsídium invocátur ad Christi mysteriórum meditatiónem promovéndam, ipsa ducénte, quæ incarnatióni, passióni ac resurrectióni Fílii Dei singuláriter sociáta est.

2. Cápuæ in Campánia, sancti Marcélli, mártyris.

3. Patávii in Venétia, sanctæ Iustínæ, vírginis et mártyris.

4. Bethsáloe in Augústa Euphratésia província Sýriæ, sanctórum Sérgii et Bacchi, mártyrum.

5. Romæ, sancti Marci, papæ, qui títulum in Pallacínis cóndidit et basílicam in cœmetério Balbínæ via Ardeatína, ubi ipse humátus est.

6. Apud Biturígas in Aquitánia, sancti Augústi, presbýteri et abbátis, qui, mánibus pedibúsque ádeo contráctis, ut non áliter quam si génibus et cúbitis se sustentáret, sancti Martíni intercessióne sanátus, mónachos congregávit et contínuo oratióni vacávit.

7*. Sántonis item in Aquitánia, sancti Palládii, epíscopi, qui super sancti Eutrópii túmulum basílicam eréxit et sanctórum cultum in civitáte sua ampliávit.

8*. In monastério Bellofonténsi in Legionénsi regno, beáti Martíni, cognoménto Cid, abbátis, qui hoc cœnóbium fundávit et ad Ordinem Cisterciénsem aggregávit.

9*. In freto maris in Rupifórtium Gálliæ vergénte, beáti Ioánnis Hunot, presbýteri et mártyris, qui, in gállica perturbatióne ob sacerdótium in navem servitútis trusus, fidelitáte erga Deum cursum captivitátis suæ complévit.

10*. In vico *Benaguacil* in pago Valentíno Hispániæ, beáti Ioséphi Llosá Balaguer, religiósi e Tértio Ordine Sancti Francísci Capulatórum a beáta Vírgine Perdolénti et mártyris, qui in persecutióne erga fidem martýrium passus est.

Die 8 octobris

Octávo Idus octóbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
6	7	8	9	10	11	10	11	12	13	14	15

1. Antiochíæ in Sýria, sanctæ Pelágiæ, vírginis et mártyris, quam sanctus Ioánnes Chrysóstomus magnis éxtulit láudibus.

2. Commemorátio sanctæ Reparátæ, quæ divérsis in locis virgo et martyr cólitur.

3. Comi in Ligúria, sancti Felícis, epíscopi, qui, a sancto Ambrósio Mediolanénsi ordinátus, primus huius civitátis Ecclésiæ præfuit.

4. Rothómagi in Gállia Lugdunénsi, sancti Evódii, epíscopi.

5*. Denónii in Hannónia, sanctæ Ragenfrédis, abbatíssæ, quæ ibídem ópibus suis cœnóbium eréxit, cui digne præfuit.

6*. Génuæ in Ligúria, sancti Hugónis, religiósi, qui, postquam in Terra Sancta diu militávit, magíster Comméndæ Ordinis Sancti Ioánnis Hierosolymitáni in hac civitáte, bonitáte et caritáte erga indigéntes enítuit.

7*. Londínii in Anglia, beatórum Ioánnis Adams, Robérti Dibdale et Ioánnis Lowe, presbyterórum et mártyrum, qui, Elísabeth Prima regnánte, pópulo cathólico separátim ministravérunt, quaprópter cápite damnáti Tybúrni per acerbíssimos cruciátus ad regnum cæléste simul pervenérunt.

Die 9 octobris

Séptimo Idus octóbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
7	8	9	10	11	12	11	12	13	14	15	16

Sanctórum Dionýsii, epíscopi, et sociórum, mártyrum, quorum ille a Románo Pontífice missus in Gálliam pervenísse tráditur et, primus epíscopus Parisiórum efféctus, prope Lutétiam una cum Rústico presbýtero et Eleuthério diácono martyr occubuísse.

Sancti Ioánnis Leonardi, presbýteri, qui Lucæ in Etrúria quam artem exercúerat apothecáriam deséruit, ut sacerdótio initiarétur. Inde ad púeros doctrína christiána docéndos, ad vitam apostólicam cleri instaurándam et ad fidem christiánam ubíque propagándam Ordinem Clericórum Regulárium, póstea Matris Dei nuncupátum, instítuit, quaprópter multas suscépit tribulatiónes, et Romæ fundaménta iecit Collégii de Propagánda Fide, ubi labórum póndere fractus plácide óbiit.

3. Commemorátio sancti Abrahæ, patriárchæ et ómnium credéntium patris, qui, Dómino vocánte, ab urbe Ur Chaldæórum, pátria sua, egréssus est et per terram errávit eídem et sémini eius a Deo

promíssam. Item totam fidem suam in Deo manifestávit, cum, sperans contra spem, unigénitum Isaac ei iam seni a Dómino datum ex uxóre stérili in sacrifícium offérre non rénuit.

4. Laodicéæ in Sýria, pássio sanctórum Diodóri, Diomédis et Dídymi.

5. Apud Iúliam in território Parménsi via Cláudia, sancti Domníni, mártyris.

6. Antiochíæ in Sýria, commemorátio sanctæ Públiæ, quæ, cóniuge defúncto, monastérium ingréssa, Iuliáno imperatóre Apóstata transeúnte, davídicum illud «Simulácra géntium argéntum et aurum» et «Símiles illis fiant qui fáciunt ea» cum virgínibus suis canens, imperatóris iussu, álapis cæsa est et gráviter obiurgáta.

7*. In pago Bigorrénsi ad clivum montis Pyrenǽi, sancti Sabíni, eremítæ, qui monásticam vitam in Aquitánia illustrávit.

8*. Tiférni Tiberíni in Umbria, sancti Domníni, eremítæ.

9. In Hannónia Austrásiæ, sancti Gisléni, qui monásticam vitam in cella a seípso exstrúcta duxit.

10. Apud Casínum, sancti Deúsdedit, abbátis, qui, a Sicérdo tyránno in cárcerem trusus, illic fame et ærúmnis conféctus spíritum Deo réddidit.

11*. Brennóviæ in Bohémia, depositio sancti Gunthéri, eremítæ, qui, sǽculi delíciis relíctis, primum ad vitæ monásticæ látebras, dein étiam ad remótas inter Baváriam et Bohémiam solitúdines silvárum secéssit, in quibus tam coniúnctus Deo quam ab homínibus disiúnctus vixit et óbiit.

12*. In monastério Montis Sálvii in Gállia, sancti Bernárdi Ruthenénsis, abbátis canonicórum regulárium.

13. Valéntiæ in Hispánia, sancti Ludovíci Bertrán, presbýteri ex Ordine Prædicatórum, qui in América Meridionáli vários indígenas pópulos Christi Evangélium dócuit et ab oppressóribus deféndit.

14. In loco *Turón* in Astúria Hispániæ regióne, sanctórum mártyrum Innocéntii ab Immaculáta (Emmanuélis) Canoura Arnau, presbýteri e

Congregatióne Passiónis, et octo sociórum,[2] e Frátribus Scholárum Christianárum, qui in illíus témporis tempestátibus in ódium fídei sine iudício extermináti suprémam victóriam adépti sunt.

Die 10 octobris

Sexto Idus octóbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
8	9	10	11	12	13	12	13	14	15	16	17

1. Commemorátio sancti Pinýti, Cnossi in Creta ínsula epíscopi, qui sub Marco Antoníno Vero et Lúcio Aurélio Cómmodo imperatóribus flóruit et scriptis suis fídei ac proféctus gregis eídem commíssi sollicitúdini summópere consúluit.

2. Nicomedíæ in Bithýnia, sanctórum Eulámpii et sorórís eius Eulámpiæ, mártyrum in persecutióne Diocletiáni imperatóris.

3. Colóniæ Agrippínæ in Germánia, sanctórum Gereónis et sociórum, mártyrum, qui pro vera pietáte gládiis colla fortes subdidérunt.

4. Apud vicum Bertunénse item in pago Coloniénsi Germániæ, sanctórum Victóris et Mallósi, mártyrum.

5. Bonnæ item in Germánia, sanctórum Cássii et Floréntii, mártyrum.

6*. Nannétibus in Gállia Lugdunénsi, sancti Clari, qui primus huius civitátis epíscopus cólitur.

[2] Quorum nomina: sancti Cyrillus Bertrandus (Iosephus) Sanz Tejedor, Marcianus Iosephus (Philomenus) López López, Victorianus Pius (Claudius) Bernabé Cano, Iulianus Alaphridus (Wilfridus) Fernández Zapico, Beniamin Iulianus (Vincentius Alphonsus) Andrés, Augustus Andreas (Romanus) Martín Fernández, Benedictus a Iesu (Hector) Valdivielso Sáez et Anicetus Adolphus (Emmanuel) Seco Gutiérrez.

7. Populónii in Etrúria, sancti Cerbónii, epíscopi, qui, ut sanctus Gregórius papa Magnus refert, Langobárdis regiónem devastántibus, in Ætháliam ínsulam secéssit, multa virtútis suæ éxhibens signa.

8*. Prope Ramerúde in agro Trecénsi item Néustriæ, sanctæ Tanchæ, vírginis et mártyris, quæ, ut fertur, pro tuénda virginitáte gloriósam mortem oppétiit.

9. Roffæ in Anglia, tránsitus sancti Paulíni, epíscopi Eboracénsis, qui, mónachus et sancti Gregórii papæ Magni discípulus, ab eo cum áliis ad prædicándum Evangélium Anglis missus, Edwínum regem Northúmbriæ ad Christi fidem convértit eiúsque pópulum in flúviis lavácro regeneratiónis áblVit.

10*. In monastério Iodrénsi in pago Meldénsi Néustriæ, sanctæ Telchíldis, abbatíssæ, quæ, génere nóbilis, méritis fulgens, strénua móribus, vírgines sacrátas dócuit óbviam Christo cum lampádibus accénsis exíre.

11. Apud Septam in Mauritánia Tingitána, pássio sanctórum septem mártyrum ex Ordine Minórum, scílicet Daniélis, Samuélis, Angeli, Leónis, Nicolái et Hugolíni, presbyterórum, atque Domni, qui, a fratre Elía ad prædicándum Christi Evangélium apud Mauros missi ac contumélias, víncula et flagélla perpéssi, demum, capítibus abscíssis, palmam martýrii adépti sunt.

12. Bridlingtónæ in Anglia, sancti Ioánnis, presbýteri, qui prior monastérii Canonicórum Regulárium Sancti Augustíni oratióne, austeritáte ac mansuetúdine cláruit.

13. In urbe *Kharṭūm* in Sudánia, sancti Daniélis Comboni, epíscopi, qui Institútum cóndidit Missiónum Nigrítiæ et, ipse epíscopus in Africa constitútus, víribus non parcens, per illas regiónes Evangélium propagávit et humánæ dignitáti multímodis provídit.

14*. Cracóviæ in Polóniæ, beátæ Angelæ Maríæ (Sóphiæ Camíllæ) Truszkowska, vírginis, quæ Congregatiónem Franciscánam sub título Sancti Felícis de Cantalício instítuit ad púeros derelíctos, páuperes et segregátos adiuvándos.

15*. In óppido *Działdowo* item in Polónia, beáti Leónis Wetmański, epíscopi auxiliáris Plocénsis, qui, témpore nefáriæ erga hómines et Deum persecutiónis in Polónia, in campo detentiónis intrépida morte martýrium complévit.

16*. Apud Línciam in Austria, beáti Eduárdi Detkens, mártyris, qui, polónus natióne, in eádem tempestáte per supplícium mortíferæ exhalatiónis occúbuit.

Die 11 octobris

Quinto Idus octóbris. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
19	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
9	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**

1. Commemorátio sancti Philíppi, qui, unus e septem diáconis ab Apóstolis eléctis, Samaríam ad Christi fidem convértit, Cándacis regínæ Æthíopum eunúchum baptizávit et, quas civitátes pertransíbat, cunctas evangelizábat, donec Cæsaréam venit, ubi requievísse tráditur.

2. Anazárbi in Cilícia, sanctórum Tháraci, Probi et Androníci, mártyrum, qui in persecutióne Diocletiáni imperatóris pro confessióne Christi vitam obtulérunt.

3. In pago Vilcassíno Gálliæ Lugdunénsis, commemorátio sanctórum Nicásii, Quiríni, Scubículi et Piéntiæ, mártyrum.

4. Virodúni item in Gállia, sancti Sanctíni, epíscopi, qui primus illic Evangélium prædicásse créditur.

5. Commemorátio sancti Sármatæ, abbátis in Thebáide, qui discípulus sancti Antónii a Saracénis necátus est.

6. Ucétiæ in Gállia Narbonénsi, sancti Firmíni, epíscopi, qui, sancti Cæsárii Arelaténsis discípulus, pópulum suum viam veritátis dócuit.

7. In Ossória Hibérniæ regióne, sancti Cánici, abbátis Achadhbœnsis monastérii, quod inter plura ália cóndidit.

8. Prope castrum Schemárim in iugis Cáucasi, natális sancti Anastásii, presbýteri, Románæ Ecclésiæ apocrisiárii, qui, sancti Máximi Confessóris in confessióne fídei cathólicæ et in exsílio sócius, dum in sancta Synáxi dicébat: «Sancta sanctis», ánimam Deo réddidit.

9. Apud Lyram in Brabántia, sancti Gummárii, qui, miles Deo devótus, ibídem ex bonis suis oratórium exstrúxit, ubi depósitus est.

10*. Colóniæ Agrippínæ in Lotharíngia Germániæ, sancti Brunónis, epíscopi, qui, germánus Othónis imperatóris Primi, Lotharíngiæ regímine cum episcopátu suscépto, et múnere sacerdótis magna cum religióne functus est et pro necessitáte virtúte magnánimi ducis.

11*. Gnesnæ in Polónia, sancti Gaudéntii seu Radzim, epíscopi, qui, sancti Adalbérti Pragénsis epíscopi carne et spíritu frater ac fidélis comes, eius martýrio ádfuit ac póstea in víncula coniéctus.

12*. Rigæ ad mare Bálticum, commemorátio sancti Meinárdi, epíscopi, qui, primum in Germánia mónachus, ætáte iam provécta itíneri se commísit, ut Livóniæ pópulum evangelizáret, Ykescóli ecclésiam exstrúxit et, epíscopus ordinátus, christiánæ fídei fundaménta actuóse in hac regióne pósuit.

13*. Bonóniæ in Æmília, beáti Iacóbi de Ulma Griesinger, religiósi ex Ordine Prædicatórum, qui, etsi illitterátus, vitreárum laminárum pictor peritíssimus, quinquagínta annos exémplum labóris et oratiónis ómnibus præbuit.

14. Calótii in Langobárdia, tránsitus sancti Alexándri Sauli, epíscopi primum Aleriénsis in Córsica ínsula, deínde Papiénsis, qui, e Congregatióne Clericórum Regulárium Sancti Pauli, mira caritáte páuperes sublevávit.

15. Hanóii in Tunquíno, sancti Petri Lê Tùy, presbýteri et mártyris, qui sub imperatóre Minh Mạng pro Christo decollátus est.

16. Matríti in Hispánia, sanctæ Maríæ Desolátæ (Emmanuélæ) Torres Acosta, vírginis, quæ inde a iuveníli ætáte miram sollicitúdinem ægrotórum egenórum exhíbuit, quibus indeféssa sui ipsíus abnegatió-

ne subvénit, máxime in Congregatióne Servárum Maríæ Infírmis Ministrántium, quam fundávit.

17*. Barcinóne item in Hispánia, beáti Angeli Ramos Velázquez, religiósi e Societáte Salesiána et mártyris, qui, témpore persecutiónis erga Ecclésiam, certámen pro fide complévit.

Die 12 octobris

Quarto Idus octóbris. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
20	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
10	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**

1. Romæ via Laurentína, sancti Hedísti, mártyris.

2. Anazárbi in Cilícia, sanctæ Domnínæ, mártyris, quæ sub Diocletiáno imperatóre et Lýcia prǽside multa torménta passa esse et in cárcere spíritum Deo reddidísse tráditur.

3. Commemorátio sanctórum mártyrum et fídei confessórum quáttuor mílium nongentórum sexagínta sex, qui, in persecutióne vandálica in Africa, cum Ecclésiæ Dei sive epíscopi et presbýteri sive diáconi essent, associátis turbis fidélium populórum, iussu Hunneríci regis ariáni, in ódium cathólicæ veritátis in horríbilis erémi exsílium trusi sunt et ad extrémum, várie excruciáti, martýrium celebrárunt, inter quos Cypriánus et Felix, epíscopi, præcípui Dómini sacerdótes.

4*. Placéntiæ in Æmília, sancti Opiliónis, diáconi.

5. Romæ, sancti Felícis papæ Quarti, qui templa duo in foro románo in ecclésiam convértit in honórem sanctórum Cosmæ et Damiáni et pro fide cathólica plúrimum adlaborávit.

6. In Nórico Ripénsi, sancti Maximiliáni, qui epíscopus Lauriacénsis créditur.

7*. Pápiæ in Langobárdia, sancti Rotobáldi, epíscopi, viri abstinéntia exempláris, cúltui divíno et exquiréndis sanctórum relíquiis máxime déditi.

8. Asculi in Picéno Itáliæ, sancti Seraphíni de Monte Granário (Felícis) de Nicola, religiósi ex Ordine Fratrum Minórum Capuccinórum, qui, verus pauper, humilitáte et pietáte enítuit.

9*. Londínii in Anglia, beáti Thomæ Bullaker, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum et mártyris, qui sub rege Cárolo Primo, in ipsa Missa celebránda comprehénsus, propter sacerdótium Tybúrni láqueo suspénsus est et adhuc spirans eviscerátus occúbuit.

10*. In vico *Ribarroja de Turía* in pago Valentíno Hispániæ, beáti Ioséphi González Huguet, presbýteri et mártyris, qui, persecutióne erga fidem sæviénte, pro Christo egrégium perégit certámen.

11*. In vico *Massamagrel* in eódem pago Hispániæ, beáti Pacífici (Petri) Salcedo Puchades, religiósi ex Ordine Fratrum Minórum Capuccinórum et mártyris, qui in eádem persecutióne Christi passióni conformátus est.

12*. In campo exítii *Oświęcim* seu *Auschwitz* prope Cracóviam in Polónia, beáti Románi Sitko, presbýteri et mártyris, qui, témpore occupatiónis Polóniæ in bello, a persecutóribus hóminum ac religiónis dignitátis dire excruciátus ad ætérnæ beatitúdinis visiónem transívit.

Die 13 octobris

Tértio Idus octóbris. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
21	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
11	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**

1. Commemorátio sancti Theóphili, epíscopi Antiochéni, viri summæ eruditiónis, qui sextus post beátum Apóstolum Petrum eiúsdem Ecclésiæ pontificátum ténuit et librum advérsus Marciónem compósuit ad orthodóxam fidem tuéndam.

2. Córdubæ in Hispánia Bǽtica, sanctórum Fausti, Ianuárii et Martiális, mártyrum, qui tamquam tres corónæ civitátem ornant.

3. Thessaloníæ in Macedónia, sancti Floréntii, mártyris, qui post vária torménta igne necátus esse tráditur.

4*. Cubríni ad Moséllam apud Tréviros, sancti Lubéntii, presbýteri.

5*. Matútæ ad litus Ligúriæ, deposítio sancti Rómuli, epíscopi Ianuénsis, qui, apostólico ardóre replétus, in plébibus ruri visitándis mórtuus est.

6. Turónis in Gállia Lugdunénsi, sancti Venántii, abbátis, qui, cum iuveníli adhuc ætáte uxórem duxísset, ad basílicam Sancti Martíni perdúctus ac monachórum vita commótus, mulíere consentiénte, inter eos in Christo vívere elégit.

7*. Selaníaci in pago Lemovicénsi Aquitániæ, sancti Leobóni, solitárii.

8*. In Hiénsi Scótiæ ínsula, deposítio sancti Comgáni, abbátis, qui ex Hibérnia cum soróre sancta Kentigérna eiúsque fíliis atque nonnúllis missionáriis in hanc regiónem accéssit.

9*. Augústæ Vindelicórum in Bavária Germániæ, sancti Simbérti, qui epíscopus et abbas Morbacénsis éxstitit.

10*. Cezerníaci in pago Arvérno Gálliæ, sancti Geráldi, qui, comes Aureliacénsis, pro provinciárum suárum salúte sub hábitu sæculári vitam monásticam secréte gessit, princípibus tráditus exémplum memorándum.

11. Apud Sublácum in Látio, sanctæ Chelidónæ, vírginis, quæ quinquagínta duos annos vitam solitáriam atque aspérrimam soli Deo insérviens duxísse asséritur.

12*. Tridíni in Monte Ferráto, beátæ Magdalénæ Panatieri, vírginis, soróris de Pæniténtia Sancti Domínici.

13*. In vico *Balasar* prope Brácaram in Lusitánia, beátæ Alexandrínæ Maríæ da Costa, quæ, ómnibus membris capta ut malam erga se cuiúsdam fúgeret voluntáte, in Eucharístiæ contemplatióne omnes dolóres suos Dómino pro amóre Dei fratrúmque egenórum óbtulit.

Die 14 octobris

Prídie Idus octóbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
12	13	14	15	16	17	16	17	18	19	20	21

Sancti Callísti papæ Primi, mártyris, qui, diáconus, post diutúrnum in Sardínia exsílium, cœmetérium sui nóminis via Appia curávit, ubi memórias pósteris exhíbuit venerándas; papa eléctus rectam doctrínam promóvit et lapsos benígne reconciliávit, operósum demum episcopátum suum clarióre consúmmans martýrio. Hac die deposítio córporis eius Romæ via Aurélia in cœmetério Calepódii commemorátur.

2. Cápuæ in Campánia, sancti Lúpuli, mártyris.

3. Arímini in Æmília, sancti Gaudéntii, qui, témpore persecutiónis, primus epíscopus huius civitátis fuísse créditur.

4. Brugis in Gállia Bélgica, commemorátio sancti Donatiáni, epíscopi Reménsis, cuius relíquiæ hac in urbe servántur.

5. Tudérti in Umbria, sancti Fortunáti, epíscopi, qui, ut refert sanctus Gregórius papa Magnus, in ægrótis adiuvándis imménsæ virtútis grátia emícuit.

6*. In território Catalaunénsi in Campánia Gálliæ, sanctæ Manechíldis, vírginis.

7*. Lunæ in Ligúria, commemorátio sancti Venántii, epíscopi, qui præcípue cleri ac monachórum curam hábuit et sancti Gregórii papæ Magni in honóre et amicítia fuit.

8*. Apud Bellovácum in Néustria, sanctæ Angadrísmæ, abbatíssæ cœnóbii a sancto Ebrúlpho cónditi et Oratórii nuncupáti, quod plures oratiónis locos habéret, ubi sine intermissióne Dómino famulabátur.

9*. Septémpedæ in Picéno Itáliæ, sancti Domínici, ob loricam férream qua ad carnem erat præcínctus Loricáti cognomináti, presbýteri ex Ordine Camaldulénsi, qui, simoníace ordinátus, mónachus eremíta factus est et, sancti Petri Damiáni discípulus, vitam egit austeritáte ac disciplína aspérrimam.

10*. Andégavi in Gállia, beáti Iacóbi Laigneau de Langellerie, presbýteri et mártyris, qui, tempestátibus gállicæ perturbatiónis sæviéntibus, propter sacerdótium decollátus est.

11*. In vico *Picadero de Paterna* in pago Valentíno Hispániæ, beátæ Annæ Maríæ Aranda Riera, vírginis et mártyris, quæ, persecutióne erga fidem furénte, sánguinem pro Christo effúdit.

12*. Intra castra detentiónis Dacháni prope Monáchium Baváriæ in Germánia, beatórum Stanislái Mysakowski et Francísci Rosłaniec, presbyterórum et mártyrum, qui, Polónia belli témpore occupáta ab homínibus Deo et humanitáti inimícis, per mortíferi vapóris inquinaméntum martýrium consummavérunt.

13*. Leópoli in Ucraína, beáti Románi Lysko, presbýteri et mártyris, qui, témpore persecutiónis erga fidem, Christi vestígiis iúgiter adhærens, per eius grátiam ad regna pervénit cæléstia.

Die 15 octobris

Idibus octóbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
13	14	15	16	17	18	17	18	19	20	21	22

Memória sanctæ Terésiæ a Iesu, vírginis et Ecclésiæ doctóris, quæ, Abulæ in Hispánia ad Ordinem Carmelitárum aggregáta, arctióris observántiæ mater et magístra effécta, spiritálem in corde suo dispósuit proféctum sub spécie ascensió-

nis per gradus ánimæ ad Deum; pro Ordinis sui reformatióne multas sustínuit ærúmnas, quas vero invícto ánimo superávit; libros étiam compósuit altíssima doctrína et experiéntia sua refértos.

2. Edéssæ in Sýria, commemorátio sancti Barsen, epíscopi, qui, a Valénte imperatóre ariáno in díssitas regiónes ob fidem cathólicam relegátus ac tríplici mutáto exsílii loco fatigátus, die ignóto mensis mártii vitam finívit.

3. Tréviris in Gállia Bélgica, sancti Sevéri, epíscopi, qui, discípulus sancti Lupi Trecénsis, sócius fuit sancto Germáno Autissiodorénsi in eradicándis in Británnia Pelágii erróribus et apud Germános Christi Evangélium prædicávit.

4. Kitzíngæ in Germánia, sanctæ Theclæ, abbatíssæ, quæ, ex Anglia sancto Bonifátio auxílio missa, primum monastério Ochsenfúrti, dein Kitzingénsi præfuit.

5. In monastério Trebnicénsi in Silésia, natális sanctæ Hedwígis, religiósæ, cuius memória cras ágitur.

6*. Túrribus Vetéribus in Lusitánia, beáti Gundisálvi de Lacobríga, presbýteri ex Ordine Eremitárum Sancti Augústini, qui puerórum rudiúmque christiána præcépta edocendórum stúdio enítuit.

7. Nagasákii in Iapónia, sanctæ Magdalénæ, vírginis et mártyris, fortis ánimo tam in fide fovénda quam in supplício furcæ trédecim dies perpetiéndo sub imperatóre Yemitsu.

8*. Valéntiæ in Hispánia, beáti Narcíssi Basté Basté, presbýteri e Societáte Iesu et mártyris, qui, Christi verba fidéliter excípiens, témpore persecutiónis erga fidem, per mortem in vitam transívit gloriósam.

Die 16 octobris

Décimo séptimo Kaléndas novémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
14	15	16	17	18	19	18	19	20	21	22	23

Sanctæ Hedwígis, religiósæ, quæ, bávara génere et Polonórum dux, páuperum auxílio magnópere dédita, pro quibus hospítia fundávit et, post mortem cóniugis sui Henríci ducis, in monastério moniálium Cisterciénsium, quod ipsa eréxerat cuíque fília eius Gertrúdis præerat abbatíssa, réliquos vitæ annos operóse transégit. Obiit vero Trebnítii in Polónia die décima quinta octóbris.

Sanctæ Margarítæ Maríæ Alacoque, vírginis, quæ, moniálibus Ordinis Visitatiónis beátæ Maríæ adnumeráta, mirum in modum in via perfectiónis cucúrrit et, mýsticis donis prædita, præsértim de devotióne erga sacratíssimum Cor Iesu sollícita fuit, ad cuius cultum in Ecclésiam promovéndum multa gessit. Parédii Monachórum in pago Gálliæ Augustodunénsi die décima séptima octóbris in Dómino quiévit.

3. Hierosólymæ, commemorátio sancti Longíni, qui miles cólitur latus Dómini cruci affíxi láncea apériens.

4. In agro Tullénsi Gálliæ, sancti Elíphii, qui martýrii corónam accepísse tráditur.

5. Commemorátio sanctórum Martiniáni et Saturiáni, mártyrum in Africa, cum duóbus frátribus eórum, qui, témpore vandálicæ persecutiónis, sub Genseríco rege ariáno, cum Vándali cuiúsdam servi essent, a sancta Máxima vírgine, ipsórum consérva, ad Christi fidem convérsi, pro constántia fídei cathólicæ primum nodósis fústibus cæsi sunt et usque ad ossa laniáti, dein inter Mauros éxsules relegáti, ubi, cum nonnúllos ad fidem Christi adduxíssent, morte damnáti sunt;

Máxima vero, post multos superátos agónes liberáta, in monastério multárum vírginum mater sancto fine quiévit.

6. In território Lemovicénsi Aquitániæ, sanctórum Amándi eiúsque discípuli Iuniáni, eremitárum.

7. Apud Arbónam in Germánia, sancti Galli, presbýteri et mónachi, qui, adhuc puer a sancto Columbáno in monastérium Bancorénse Hibérniæ excéptus, demum in hac regióne sédulo Evangélium propagávit et monásticis fratres ímbuit disciplínis, donec prope centenárius in Deo quiévit.

8*. Noviómi in Néustria, sancti Mummolíni, epíscopi, qui primum mónachus in ópere missiónis sanctum Audomárum adiúvit, dein in sede episcopáli sancto Elígio succéssit.

9. In monastério Heresfeldénsi in Francónia Germániæ, sancti Lulli, epíscopi Moguntíni, qui, sancti Bonifátii in prædicatiónis múnere sócius et adiútor, ab ipso epíscopus ordinátus est, ut presbýteris magíster, mónachis Régulæ doctor, pópulo christiáno fidélis prædicátor et pastor esset.

10*. In pago Ratiaténsi prope Nannétes in Británnia Minóre, sancti Vitális, eremítæ.

11*. In pago Mirapicénsi ad Pyrenǽos in Gállia, sancti Gauderíci, agrícolæ, pietáte erga Dei Genetrícem clari.

12*. Briváte apud Arvérnos in Aquitánia, sanctæ Bonítæ, vírginis.

13*. Apud Apámias ad Pyrenǽos item in Gállia, sancti Anastásii, mónachi, qui, Venétiis natus, primum vitam duxit eremíticam in Tumbélla ínsula prope Montem Sancti Michaélis, dein monásticam Cluníaci, demum últimos per annos in solitúdine secéssit.

14. Convénis ítem apud montes Pyrenǽos Gálliæ, sancti Bertrándi, epíscopi, qui consíliis a sancto Gregório papa Séptimo captis ad reformándam Ecclésiam strénue intérfuit, civitátem suam incúltu témporis evérsam restítuit et apud cathedrálem ecclésiam ab íntegro exstrúctam canónicos reguláres disciplína sancti Augustíni adstríctos instítuit.

15*. In monastério Igniénsi pagi Gálliæ Reménsis, tránsitus beáti Gerárdi Claravallénsis, abbátis, qui in hoc cœnóbio visitándo a mónacho nequam occísus est.

16. Muri in Lucánia, sancti Gerárdi Maiella, religiósi e Congregatióne Sanctíssimi Redemptóris, qui, ímpetu amóris in Deum captus, ubíque aspérrimum vitæ genus ampléxus est et, Dei animarúmque zelo consúmptus, adhuc iúvenis pie quiévit.

17*. Prope Cracóviam in Polónia in campo exítii *Oświęcim* seu *Auschwitz*, beatórum Anicéti Kopliński, ex Ordine Fratrum Minórum Capuccinórum, et Ioséphi Jankowski, e Societáte Apostolátus Cathólici, presbyterórum et mártyrum, qui, pátria more militári a sectatóribus nefáriæ doctrínæ homínibus et fídei inf énsæ invása, alter in concláve mortífero vapóre inquinátum cónditus, alter a vigílibus castri trucidátus, Christi fidem ad mortem usque testáti sunt.

Die 17 octobris

Sextodécimo Kaléndas novémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
15	16	17	18	19	20	19	20	21	22	23	24

Memória sancti Ignátii, epíscopi et mártyris, qui, discípulus sancti Ioánnis Apóstoli, secúndus post sanctum Petrum, Ecclésiam rexit Antiochénam et, sub Traiáno imperatóre damnátus ad béstias, Romam delátus est ibíque glorióso martýrio coronátus. In itínere, dum custódum, tamquam leopardórum, experiebátur feróciam, septem scripsit epístulas ad divérsas Ecclésias, quibus fratres exorávit, ut Deo in unitáte cum epíscopis servírent neque eum prohibérent pro Christo víctimam immolári.

2. Commemorátio sancti Oséæ, prophétæ, qui non tantum verbis, sed étiam ratióne vitæ pópulo infidéli Israel Dóminum indicávit Sponsum semper fidélem et infiníta misericórdia motum.

3. Commemorátio sanctórum Rufi et Zósimi, mártyrum, quos beátus Polycárpus sancto Ignátio in martýrio sociávit, ad Philippénses scribens: « Dómini passiónum partícipes exstitérunt, nec dilexérunt præsens sǽculum, sed eum qui pro ipsis et pro ómnibus mórtuus est et resurréxit ».

4. In Africa Proconsulári, sanctórum mártyrum Volitanórum, quos sanctus Augustínus in sermóne celebrávit.

5. Lycópoli in Ægýpto, sancti Ioánnis, eremítæ, qui, inter cétera virtútum insígnia, étiam prophético spíritu conspícuus fuit.

6*. Agínni in Aquitánia, sancti Dulcídii, epíscopi, qui fidem cathólicam advérsus ariánam impietátem acérrime propugnávit.

7. Arausióne in Província Gálliæ, sancti Floréntii, epíscopi.

8*. Tolósæ item in Gállia, natális beáti Gilbérti, abbátis Cistércii, qui, anglus natióne, vir sciéntiæ sublímis, sanctum Thomam Becket éxsulem defféndit.

9*. Binásci in Langobárdia, beáti Balthasáris Ravaschieri de Clavário, presbýteri ex Ordine Minórum.

10. Gurexámii in Cámbria, sancti Richárdi Gwyn, mártyris, qui, paterfamílias et ludimagíster, fidem cathólicam proféssus est et, comprehénsus quod áliis ad eámdem transíre persuasísset, post diútinos cruciátus invíctus in fide patíbulo suspénsus est et adhuc spirans laniátus.

11*. Romæ, beáti Petri a Nativitáte beátæ Maríæ Vírginis Casani, presbýteri ex Ordine Clericórum Regulárium Scholárum Piárum, qui dótibus suis natúræ et grátiæ pro puerórum institutióne usus est, lætus tantum Dómino in párvulis servíre.

12. Parédii Monachórum in pago Gálliæ Augustodunénsi, tránsitus sanctæ Margarítæ Maríæ Alacoque, vírginis, cuius memória prídie huius diéi celebrátur.

13*. In agro Vallis Guidónis item in Gállia, beáti Iacóbi Burin, presbýteri et mártyris, qui, témpore gállicæ perturbatiónis, cum multas curas in pastorále offícium clam impénderet, de domo in domum ab insectatórum turma fúgiens, tandem confóssus est, mánibus cálicem tenens.

14*. Valentiánæ item in Gállia, beatárum Maríæ Natáliæ a Sancto Ludovíco (Maríæ Ludovícæ Ioséphæ) Vanot et quáttuor sociárum,[3] vírginum ex Ordine Ursulinárum et mártyrum, quæ, sæviénte gállica perturbatióne, in ódium cathólicæ fídei cápite damnátæ, psalmum «Miserére» recitántes patíbulum ascendérunt.

15. Huéi in Annámia, sancti Isidóri Gagelin, presbýteri e Societáte Parisiénsi Missiónum ad éxteras gentes et mártyris, qui sub imperatóre Minh Mạng pro Christo strangulátus est.

16*. Sunæ ad Verbánum lacum in Itália, beáti Contárdi Ferrini, qui, in iuvénibus educándis, humánam sciéntiam fide et christiána vita superávit.

17*. Apud Civitátem Regálem in Hispánia, beáti Fidélis Fuidio Rodríguez, religiósi e Societáte Maríæ et mártyris, qui, persecutióne erga fidem sæviénte, plumbis interféctus ad Dóminum migrávit.

18*. In loco *La Nucía* prope Lucéntum item in Hispánia, beáti Raymúndi Stéphani Bou Pascual, presbýteri et mártyris, qui, témpore eiúsdem persecutiónis, in Christi sánguine discípulus fidélis rédimi méruit.

19*. In civitáte *Algemesí* in pago Valentíno item in Hispánia, beátæ Tarsíllæ Córdoba Belda, mártyris, quæ, materfamílias, in eádem tempestáte in Christo exaudíta est in glóriam.

[3] Quarum nomina: beatæ Maria Laurentina a Sancto Stanislao (Ioanna Regina) Prin, Maria Ursula a Sancto Bernardino (Hyacintha Augustina Gabriela) Bourla, Maria Ludovica a Sancto Francisco (Maria Genovefa) Ducrez et Maria Augustina a Sacro Corde Iesu (Maria Magdalena) Déjardin.

Die 18 octobris

Quintodécimo Kaléndas novémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
16	17	18	19	20	21	20	21	22	23	24	25

Festum sancti Lucæ, Evangélistæ, qui, ut fertur, Antiochíæ ex éthnica família natus et arte médicus, ad Christi fidem convérsus et comes caríssimus beáti Pauli Apóstoli factus, in libro Evangélii, quæ fecit Iesus et dócuit, mansuetúdinis Christi scriba ómnia diligénter ordinávit et item in Actibus Apostolórum primórdia vitæ Ecclésiæ usque ad primam Pauli in Urbe commoratiónem enarrávit.

2. Antiochíæ in Sýria, sancti Asclepíadis, epíscopi, qui unus ex præcláro fídei confessórum número fuit, témpore persecutiónis.

3. Putéolis in Campánia, sanctórum mártyrum Próculi, diáconi, Eutícii et Acútii.

4*. Ricómagi apud Arvérnos in Aquitánia, sancti Amábilis, presbýteri.

5*. Nassóniæ in Brabántia Austrásiæ, sancti Monónis, qui eremíta in silva Arduénnæ et martyr fuísse créditur.

6. Arénis in Castélla Hispániæ regióne, sancti Petri de Alcántara, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum, qui, consílii dono necnon pæniténtiæ et austeritátis vita ornátus, regulárem disciplínam in convéntibus Ordinis per Hispániam reformávit et sanctæ Terésiæ a Iesu in Ordine Carmelitárum reformándo consiliárius fuit.

7. In vico *Ossernenon* in território Canadénsi, pássio sancti Isaac Jogues, presbýteri e Societáte Iesu et mártyris, qui ab éthnicis primum in servitútem redáctus ac dígitis mutilátus, demum secúris ictu cápite confrácto óbiit; cuius memória una cum sóciis postrídie huius diéi ágitur.

8. Romæ, natális sancti Pauli a Cruce, presbýteri, cuius memória cras ágitur.

Die 19 octobris

Quartodécimo Kaléndas novémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
17	18	19	20	21	22	21	22	23	24	25	26

Sanctórum mártyrum Ioánnis de Brébeuf, Isaac Jogues, presbyterórum, et sociórum e Societáte Iesu, qua die sanctus Ioánnes de la Lande, religiósus, a pagánis quibúsdam loci necátus est in vico *Ossernenon*, tunc in território Canadénsi, ubi vero, paucis ante annis, étiam sanctus Renátus Goupil martýrii palmam consecútus erat. Una eadémque veneratióne colúntur hac die eórum quoque confrátres sancti Gabriel Lalemant, Antónius Daniel, Cárolus Garnier et Natális Chabanel, qui in dicióne Canadénsi, divérsis diébus multos post labóres in missióne apud Hurónes peráctos ad Evangélium Christi pópulis illíus regiónis nuntiándum mártyres occubuérunt.

Sancti Pauli a Cruce, presbýteri, qui, iam inde a iuventúte pæniténtia ac zelo conspícuus et singulári caritáte erga Christum crucifíxum in vultu páuperum ægrotorúmque spectátum incénsus, Congregatiónem Clericórum Regulárium a Cruce et Passióne Dómini Nostri Iesu Christi instítuit; eius natális vero prídie huius diéi Romæ occúrrit.

3. Commemorátio sancti Ioélis, prophétæ, qui magnum diem Dómini et mystérium effusiónis Spíritus eius super omnem carnem nuntiávit, quod die Pentecóstes divína maiéstas in Christo mire perfícere dignáta est.

4. Romæ, commemorátio sanctórum Ptolomǽi, Lúcii et alteríus sócii, qui, ut refert sanctus Iustínus, christiáni probáti ex eo quod vel libídinem in móribus vel iniustítiam in senténtiis reprehénderant, sub Antoníno Pio imperatóre a Lollo Urbico præfécto condemnáti sunt.

5. Apud Ostia Tiberína, sancti Astérii, mártyris.

6. Apud Sénones in Gállia Lugdunénsi, commemorátio sanctórum Sabiniáni et Potentiáni, qui primi pastóres huius civitátis habéntur ibíque confessiónem suam martýrio complevérunt.

7. In Ægýpto, sancti Vari, mílitis, qui, sub Maximiáno imperatóre, dum sanctos sex eremítas in cárcere deténtos visitáret atque refíceret, séptimo in erémo defúncto, in eius locum subrogári vóluit et cum illis, sævíssima passus, martýrii palmam adéptus est.

8*. Illuróne ad Pyrenǽos in Aquitánia, commemorátio sancti Grati, epíscopi, qui, témpore Alaríci, Gothórum regis ariáni, Concílio Agathénsi ádfuit ad Ecclésiam huius regiónis Gálliæ instaurándam.

9. In Británnia Minóre, sancti Ethbíni, mónachi, qui vitam egit solitáriam.

10. Cabellióne in Província, sancti Veráni, epíscopi, qui magnis virtútibus, præsértim in ægrótis curándis, prǽditus fuit.

11. Ebróicis item in Gállia, sancti Aquilíni, epíscopi, qui, ut fertur, cum miles esset, opéribus bonis se dedit necnon, uxóre consentiénte, continéntiæ voto atque ad hanc sedem evéctus est.

12. Oxónii in Anglia, sanctæ Frideswídæ, vírginis, quæ, e stirpe régia orta et abbatíssa facta, duplex cœnóbium, álterum monachórum álterum sanctimoniálium, rexit.

13*. Bivíllæ prope Cǽsaris Burgum in Normánnia, beáti Thomæ Hélye, presbýteri, qui dies in sacro ministério, noctes vero in oratióne et pæniténtia impendébat.

14. Londínii in Anglia, sancti Philíppi Howard, mártyris, qui, comes Arundeliénsis et paterfamílias, cum regínæ Elísabeth grátia excidísset, eo quod cathólicam fidem ampléxus esset, in cárcerem trusus est ibidémque, oratióni et pæniténtiæ mire déditus, egestáte vero ærumnísque consúmptus, martýrii corónam accípere méruit.

15. Nagasákii in Iapónia, sanctórum mártyrum Lucæ Alphónsi Gorda, presbýteri, et Matthǽi Kohioye, religiósi, utriúsque ex Ordine Prædicatórum, quorum prior primum in ínsulis Philippínis,

dein decénnium in Iapónia Evangélii intrépidus adminíster fuit, alter vero, duodevigínti annos natus, sócius eius in propagánda ac testificánda fide.

16*. Langíaci ad Eláver flumen in Gállia, beátæ Agnétis a Iesu Galand, vírginis ex Ordine Prædicatórum, quæ, cœnóbii prioríssa, ardénti in Iesum Christum emínuit amóre ac stúdio erga Ecclésiam, contínuas ófferens oratiónes et pæniténtias pro eius pastóribus.

Die 20 octobris

Tertiodécimo Kaléndas novémbris. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
28	**29**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
18	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**

1. Commemorátio sancti Cornélii centuriónis, quem Cæsaréæ in Palæstína sanctus Petrus Apóstolus baptizávit, primítias Ecclésiæ ex géntibus.

2. Agínni in Aquitánia, sancti Caprásii, mártyris.

3. Alsóntiæ in agro Reménsi in Néustria, sancti Sindúlphi, eremítæ, qui solitáriam vitam egit, soli Deo notus.

4*. Salisbúrgi in Bavária, sancti Vitális, epíscopi, qui, ex Hibérnia oriúndus, sancti Rupérti discípulus fuit, itínerum sócius et labórum vigiliarúmque ǽmulus; ab ipso in successórem eléctus, pópulum Pinzgeriénsem ad fidem Christi convértit.

5. Constantinópoli, sancti Andréæ dicti in Crisi seu Calybítæ, mónachi et mártyris, qui, Creta ínsula ortus, ob cultum sacrárum Imáginum, sub Constantíno Coprónymo imperatóre, sǽpius verberátus et usque ad mortem supplíciis animadvérsus, tandem e muro civitátis inter sordes præcipitátus est.

6*. Apud Trecas ad Séquanam in Gállia, sancti Aderáldi, archidiáconi, qui mónitis et exémplis suis canónicam régulam illustrávit, étiam dum a Saracénis in Terra Sancta captívus tenebátur.

7*. Saviníaci in Normánnia, sanctæ Adelínæ, primæ abbatíssæ monastérii Moretonénsis, quod sancti Vitális fratris sui auxílio cóndidit.

8*. Leópoli in Ruthénia, beáti Iacóbi Strepa, epíscopi Haliciénsis, ex Ordine Minórum, pastoráli sollicitúdine et apostólicis virtútibus illústris.

9. Tarvísii in Itália, sanctæ Maríæ Bertíllæ (Annæ Francíscæ) Boscardin, vírginis e Congregatióne Sorórum a Sancta Dorothéa Sacrórum Córdium, quæ in valetudinário de ægrotórum et corporáli et spiritáli salúte sollícita fuit.

10*. Vindóbonæ in Austria, beáti Iacóbi (Francísci Alexándri) Kern, presbýteri ex Ordine Præmonstraténsi, qui, alúmnus, in prióre totíus mundi bello ad arma citus et gravi vúlnere affectus, póstea omni sollicitúdine ministério pastoráli se dedit, quo breve functus est; longo enim acerbóque morbo corréptus est, quem cum fortitúdine ánimi excépit, Dei voluntáti pacáte obtémperans.

Die 21 octobris

Duodécimo Kaléndas novémbris. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
29	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
19	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**

1. Nicomedíæ in Bithýnia, sanctórum Dásii, Zótici et Caii, qui, doméstici Diocletiáni, incéndii palátii insimuláti, morti tráditi sunt et, alligátis ad collum moláribus, in mare demérsi.

2. Apud Colóniam Agrippínam in Germánia, commemorátio sanctárum vírginum, quæ pro Christo martýrio vitam consummárunt ubi póstea basílica civitátis exstrúcta est in honórem dicáta puéllæ Ursulæ, vírginis innocéntis, quasi príncipis eárum hábitæ.

3. In Cypro ínsula, sancti Hilariónis, abbátis, qui, sancti Antónii vestígiis insístens, primum prope Gazam vitam duxit solitáriam, dein in hac província fundátor atque exémplar eremíticæ conversatiónis éxstitit.

4. Commemorátio sancti Malchi, mónachi, cuius ascésim et illústrem vitam Maronéæ prope Antiochíam in Sýria sanctus Hierónymus expósuit.

5. Burdígalæ in Aquitánia, sancti Severíni, epíscopi, quem de pártibus Oriéntis veniéntem sanctus Amándus epíscopus honorífice recépit atque suum vóluit successórem.

6. Apud Laudúnum in Gállia, sanctæ Cilíniæ, matris sanctórum episcopórum Princípii Suessionénsis et Remígii Reménsis.

7. Lugdúni in Gállia, commemorátio sancti Viatóris, lectóris, qui, discípulus et miníster sancti Iusti, Lugdunénsis epíscopi, eum secútus est in Ægýpti solitúdine et in morte.

8*. Apud Tréviros in Austrásia, sancti Wendelíni, eremítæ.

9*. Massíliæ in Província Gálliæ, sancti Maurónti, epíscopi, qui et abbas fuit ecclésiæ Sancti Victóris.

10*. Cortónæ in Etrúria, beáti Petri Capucci, presbýteri ex Ordine Prædicatórum, qui meditatióne mortis seípsum ad supérna diréxit atque sédula prædicatióne fidéles commónuit, ne in mortem incíderent ætérnam.

11. Seuli in Coréa, sancti Petri Yu Tae-ch'ol, mártyris, qui, trédecim annos natus, in cárcere concaptívos ad supplícia feréndа hortátus est et, vérberum íctibus centénis cæsus, dénique láqueo strangulátus martýrium complévit.

12*. In vico *Belencito* prope Metellínum in Colúmbia, beátæ Láuræ a Sancta Catharína Senénsi Montoya y Upeguí, vírginis, quæ ad Evangélium inter pópulos indígenos adhuc Christi fide expértes nuntiándum magno Dei lucro se cóntulit et Congregatiónem Sorórum Missionariárum Maríæ Immaculátæ et Sanctæ Catharínae Senénsis suscitávit.

Die 22 octobris

Undécimo Kaléndas novémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
1	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
20	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**

1. Commemorátio sancti Marci, epíscopi Hierosolymitáni, qui primus ex géntibus sanctæ civitátis Ecclésiam suscépit regéndam, quam terróre dispérsam fide et indústria sua congregáre cœpit.

2. Hierápoli in Phrýgia, sancti Abércii, epíscopi, quem, Christi boni Pastóris discípulum, fidem peregrínum per divérsas regiónes conduxísse et mýstico cibo enutrivísse narrátur.

3. Hadrianópoli in Thrácia, sanctórum mártyrum Philíppi, epíscopi Heracleénsis, et Hermétis, diáconi, quorum prior, Diocletiáni imperatóris persecutióne ineúnte, cláudere iussus ecclésiam et ómnia vasa librósque eius osténdere, cum præsidi Iustíno dixísset, quæ ille postulábat, nec sibi dari nec ei accípere conveníre, post cárcerem et flagélla cum diácono igne cremátus est.

4. Rothómagi in Gállia Lugdunénsi, sancti Mallóni, epíscopi, qui in hac civitáte christiánam fidem nuntiavísse sedémque episcopálem constituísse tráditur.

5*. In território Bisuntíno Germániæ, sancti Valérii, Ecclésiæ Lingonénsis diáconi, ab éthnicis occísi.

6*. In pago Catalaunénsi Néustriæ, sancti Lupéntii, abbátis basílicæ Sancti Priváti Gabalórum, qui ab Innocéntio, cómite civitátis, multa dira iniúste passus cápite abscíssus est.

7*. Augústæ Auscoiórum in Aquitánia, sancti Leotádii, epíscopi.

8*. In monastério Bercéti in Langobárdia, sancti Moderáni, abbátis, quondam Rhedonénsis epíscopi in Gállia, solitúdinis amóre et pietáte erga loca sanctórum insígnis.

9*. In território Nannetênsi Británniæ Minóris, sancti Benedícti, qui Maceráci vitam egit eremíticam.

10. Oscæ in Aragónia Hispániæ, sanctárum Nunilónis et Alódiæ, vírginum et mártyrum, quæ, infidéli patre natæ, sed in doctrína christiána a matre edóctæ, cum Christi fidem desérere recusárent, post diutúrnam custódiam ex edícto 'Abd ar-Rahman Secúndi, Cordubénsis regis, sub ictu gládii corruérunt.

11. Fæsulis in Etrúria, sancti Donáti Scoti, epíscopi, qui, eruditióne ac pietáte clarus, ex Hibérnia Romam peregrínans pópulo huius civitátis ut pastor exímius divínitus datus est.

Die 23 octobris

Décimo Kaléndas novémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
21	22	23	24	25	26	25	26	27	28	29	1

Sancti Ioánnis de Capestráno, presbýteri ex Ordine Minórum, qui disciplínam regulárem propugnávit et per fere totam Európam ministrávit ad fidem et mores cathólicos firmándos; suárum exhortatiónum precúmque fervóre pópulum fidélium sustentávit atque in libertátem christianórum defendéndam se impéndit. Apud locum *Ujlak* tandem ad ripam Danúbii in regno Hungáriæ e vita discéssit.

2. Prope Gades in Bætica Hispániæ regióne, sanctórum Servándi et Germáni, mártyrum in persecutióne Diocletiáni imperatóris.

3. In Pérside, sanctórum mártyrum Ioánnis, epíscopi, et Iacóbi, presbýteri, qui sub Sápore rege Secúndo in cárcerem coniécti sunt et post annum gládio agónem consummavérunt.

4. Antiochíæ in Sýria, sancti Theodoréti, presbýteri et mártyris, qui, ut fertur, ab ímpio Iuliáno, cómite Oriéntis, comprehénsus, cum in confessióne Christi persísteret, ad martýrium ductus est.

5. Colóniæ Agrippínæ in Germánia, commemorátio sancti Severíni, epíscopi, ómnibus virtútibus laudábilis.

6*. Pápiæ in Ligúria, commemorátio sancti Severíni Boétii, mártyris, qui, sciéntia ac scriptis præclárus, in cárcere deténtus tractátum scripsit de consolatióne philosóphiæ et Deo usque ad mortem a Theodoríco rege inflíctam cum integritáte servívit.

7*. Syracúsis in Sicília, sancti Ioánnis, epíscopi, cuius sanctus Gregórius papa Magnus laudávit mores, iustítiam, sapiéntiam, próvidum consílium atque curam rerum Ecclésiæ.

8. Rothómagi in Néustria, sancti Románi, epíscopi, qui, paganórum delúbra, quæ adhuc in civitáte valde frequentabántur, fúnditus evértit, bonos promóvit ad melióra et malos a malis revocáre stúduit.

9. In pago Herbadíllico apud Pictávium in Aquitánia Gálliæ, sancti Benedícti, presbýteri.

10. Constantinópoli, sancti Ignátii, epíscopi, qui, cum Bardam Cǽsarem ob repudiátam uxórem arguísset, ab eo multis iniúriis afféctus est et in exsílium pulsus, sed a sancto Nicoláo papa Primo restitútus, tandem in pace quiévit.

11*. Rumeséiæ in Anglia, sanctæ Ethelflédæ, quæ, in monastério a patre Ethelwóldo cóndito iam inde ab infántia Deo dicáta est et, abbatíssa effécta, usque ad senéctam óptime rexit.

12*. Campuliáni in Etrúria, sancti Allúcii, veri pacífici páuperum ac peregrinórum procuratóris atque captivórum liberatóris.

13*. Mántuæ in Langobárdia, beáti Ioánnis Boni, eremítæ, qui, iúvenis, matre relícta, artem iaculatóris et histriónis exércens, per várias Itáliæ regiónes errávit, sed quadragínta annos natus, gravi morbo superveniénte, Dómino vovit se mundum desertúrum, ut Christo et Ecclésiæ totum pæniténtia et amóre se daret, atque Congregatiónem fundávit sub Régula sancti Augustíni.

14*. Medioláni item in Langobárdia, beáti Ioánnis Angeli Porro, presbýteri ex Ordine Servórum Maríæ, qui, prior convéntus, ómnibus diébus festis ad portam ecclésiæ stans vel vicos percúrrens púeros congregábat, ut doctrína christiána eos docéret.

15*. Eborácí in Anglia, beáti Thomæ Thwing, presbýteri et mártyris, qui, coniuratiónis crímine falso insimulátus, de iussu Cároli regis Secúndi láqueo suspénsus et dire disséctus, martýrii palmam consecútus est.

16*. Valentiánæ in Gállia, beatárum Maríæ Clotíldis Angelæ a Sancto Francísco Bórgia (Clotíldis Ioséphæ) Paillot et quinque sociárum,[4] vírginum et mártyrum, quæ, Deo sacrátæ, témpore gállicæ perturbatiónis in ódium fídei cápite damnátæ, pópulo miránte, pie ad patíbulum accessérunt.

17. In urbe *Thọ-Đức* in Annámia, sancti Pauli Tống Viết Bường, mártyris, qui, miles, sub imperatóre Minh Mạng pro Christo occúbuit.

18*. Remis in Gállia, beáti Arnóldi (Iuliáni Nicolái) Rèche, fratris Scholárum Christianárum, qui, Spirítui Sancto in ómnibus dócilis, iuvénibus summo stúdio cavit, semper in magístri múnere exercéndo et in oratióne assíduus.

19*. Apud Civitátem Regálem in Hispánia, beatórum mártyrum Hildephónsi García et Iustiniáni Cuesta, presbyterórum, atque Euphrásii de Celis, Honoríni Carracedo, Thomæ Cuartero et Ioséphi Maríæ Cuartero, religiosórum, e Congregatióne Passiónis, qui, persecutióne religiósa sæviénte, pro Christo et Ecclésia plumbis interfécti sunt.

20*. In loco *El Saler* nuncupáto prope Valéntiam item in Hispánia, beáti Leonárdi Olivera Buera, presbýteri et mártyris, qui, témpore eiúsdem persecutiónis religiósæ, passiónem Christi ǽmulans, prǽmium ætérnum cónsequi méritus est.

[4] Quarum nomina: beatæ Maria Scholastica Iosepha a Sancto Iacobo (Maria Margarita Iosepha) Leroux et Maria Cordula Iosepha a Sancto Dominico (Ioanna Ludovica) Barré, ex Ordine Ursulinarum; Iosephina (Anna Iosepha) Leroux, ex Ordine Clarissarum; Maria Francisca (Maria Lievina) Lacroix et Anna Maria (Maria Augustina) Erraux, ex Ordine Brigittinarum.

21*. In óppido *Benimaclet* item in pago Valentíno Hispániæ, beatórum Ambrósii Leónis (Petri) Lorente Vicente, Floréntii Martíni (Alvári) Ibáñez Lázaro et Honoráti (Andréæ) Zorraquino Herrero, religiosórum ex Institúto Fratrum Scholárum Christianárum et mártyrum, qui in eádem tempestáte sánguinem pro Christo effudérunt.

Die 24 octobris

Nono Kaléndas novémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
22	23	24	25	26	27	26	27	28	29	1	2

Sancti Antónii Maríæ Claret, epíscopi, qui, présbyter ordinátus, plures annos Cataláuniam Hispániæ regiónem peragrávit pópulo prædicans; Societátem instítuit Missionariórum Filiórum Immaculáti Cordis Beátæ Maríæ Vírginis et, epíscopus factus Sancti Iacóbi in Cuba ínsula, de salúte animárum óptime méritus est. In Hispániam revérsus, adhuc multa pro Ecclésia sustínuit et exsul apud mónachos Cisterciénses Fontis Frígidæ prope Narbónem in Gállia meridionáli óbiit.

2. Hierápoli in Phrýgia, sanctórum Cyríaci et Claudiáni, mártyrum.

3. Constantinópoli, sancti Procli, epíscopi, qui beátam Maríam Dei Genetrícem strénue proclamávit et corpus sancti Ioánnis Chrysóstomi de exsílio triumpháli translatióne civitáti réddidit, ut in Concílio Œcuménico Chalcedonénsi Magnus étiam appellári mererétur.

4. Negránæ in Arábia, pássio sanctórum Aréthæ, príncipis civitátis, et sociórum eius trecentórum et quadragínta, témpore Iustíni imperatóris, sub Dū Nuwās seu Dun'an, Homeritárum rege.

5*. Apud Turónos in Néustria, sancti Senóchi, presbýteri, qui in rudéribus antíquis monastérium constítuit, vigíliis orationéque et caritáte erga servos assíduus.

6*. In monastério Vertavénsi in pago Ratiaténsi Gálliæ, sancti Martíni, diáconi et abbátis, quem sanctus Felix epíscopus Nannetensis ad pagános regiónis converténdos misit.

7. Apud Tungros in Brabántia Austrásiæ, sancti Evergísli, epíscopi Coloniénsis et mártyris, qui, dum de pastoráli offício curas adhibébat, Pictávium proféctus a latrónibus in itínere percússus occúbuit.

8. In Británnia Minóre, sancti Maglórii, qui, sancti Iltúti discípulus, sancto Samsóni Dolénsi epíscopo successísse et in solitúdine Sargiénsis ínsulæ vitam duxísse tráditur.

9*. Constántiæ in Néustria, sancti Fromúndi, epíscopi, qui cœnóbium moniálium Haméti cóndidit et pastorále munus in amóre Dómini exércuit.

10. Huéi in Annámia, sancti Iosèphi Lê Đăng Thị, mártyris, qui, centúrio, in cárcere deténtus quod christiánus esset, in torméntis fidem, a qua numquam defléxit, inter concaptívos testátus est, demum strangulátus sub imperatóre Tự Đức.

11*. Comi in Itália, beáti Aloýsii Guanella, presbýteri, qui Congregatiónem Servórum a Caritáte et Filiárum a Sancta María Providéntiæ fundávit, tum ad miseriórum afflictorúmque necessitátibus subveniéndum, tum ad eórum salútem provehéndam.

12*. Ronchi ad Athesim flumen in agro Veronénsi Itáliæ, beáti Iosèphi Baldo, presbýteri, qui, pastoráli curæ addíctus, Congregatiónem Parvárum Filiárum a Sancto Ioseph fundávit ad senes ægrotósque iuvándos necnon infántes iuvenésque instituéndos.

Die 25 octobris

Octávo Kaléndas novémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
23	24	25	26	27	28	27	28	29	1	2	3

1. Romæ in cœmetério Thrasónis via Salária Nova, sanctórum Chrysánthi et Daríæ, mártyrum, quos sanctus Dámasus papa laudat.

2. Suessióne in Gállia Bélgica, sanctórum Crispíni et Crispiniáni, mártyrum.

3. Floréntiæ in Etrúria, sancti Miniátis, mártyris.

4. Petricórdii in Aquitánia, sancti Frontónis, qui primus in hac civitáte Evangélium prædicásse créditur.

5. Constantinópoli, sanctórum Martýrii, subdiáconi, et Marciáni, cantóris, qui ab ariánis sub Constántio imperatóre necáti sunt.

6. Bríxiæ in Venétia, sancti Gaudéntii, epíscopi, qui a sancto Ambrósio ordinátus, inter præsules ætátis suæ doctrína virtutibúsque conspícuus, verbo et scriptis pópulum suum dócuit atque basílicam cóndidit, quam Concílium Sanctórum nuncupávit.

7. In território Gálliæ Gabalitáno, sancti Hilárii, epíscopi Mimaténsis.

8*. In pago Segobiénsi Hispániæ, sancti Fructi, qui in áspera rupe vitam duxit eremíticam.

9*. Quinque Ecclésiis in Hungária, sancti Mauri, epíscopi, qui, fere totam vitam scholásticus, tandem mónachus et abbas in monastério Sancti Martíni vixit.

10*. Vici in Cataláunia Hispániæ, sancti Bernárdi Calbó, epíscopi, qui, iúdicis offício dimísso, primum inter Cisterciénses abbas factus est, dein ad sedem Vicénsem eléctus, rectam doctrínam strénue promóvit.

11*. Burgi Sancti Antónii in Subalpínis, tránsitus beáti Thaddǽi Machar, epíscopi Corcagiénsis et Cloynénsis in Hibérnia, qui poténtium invídiam passus recéssit et, dum Romam pergébat, ad cælum migrávit.

12*. In óppido *Nules* prope Dertósam in Hispánia, beáti Recarédi Centelles Abad, presbýteri e Sodalitáte sacerdótum operariórum diœcesanórum et mártyris, qui, persecutióne erga Ecclésiam grassánte, in ódium sacerdótii ad portas cœmetérii interféctus est.

13*. Alzíræ in pago Valentíno item in Hispánia, beatárum Maríæ Terésiæ Ferragud Roig atque filiárum eius Maríæ a Iesu (Vincéntiæ), Maríæ Verónicæ (Ioachímæ), Maríæ Felicitátis Masiá Ferragud, vírginum ex Ordine Clarissárum Capuccinárum, et Ioséphæ a Purificatióne (Raymúndæ) Masiá Ferragud, vírginis ex Ordine Augustinianárum Discalceatárum, mártyrum, quæ in eádem tempestáte ob impávidum Christi testimónium coronátæ sunt.

Die 26 octobris

Séptimo Kaléndas novémbris. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
5	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
24	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**28**	**29**	**1**	**2**	**3**	**4**

1. Nicomedíæ in Bithýnia, sanctórum Luciáni et Marciáni, mártyrum, qui sub Décio imperatóre, iussu Sabíni procónsulis, igne necáti esse narrántur.

2. Carthágine, commemorátio sancti Rogatiáni, presbýteri, cui, in persecutióne Décii imperatóris, sanctus Cypriánus Ecclésiam Carthaginénsem commísit geréndam et qui una cum sancto Felicíssimo pro Christi nómine ærúmnas carcerésque passus est.

3*. Argentoráti in Germánia, sancti Amándi, qui huius civitátis primus epíscopus fuísse créditur.

4. Narbóne ad oram Gálliæ, sancti Rústici, epíscopi, qui, cum munus depónere et vitam in siléntio dégere cogitavísset, a sancto Leóne papa Magno indúctus ad beátam perseverántiam, sic reféctus, in ópere ipsi crédito et in labóre suscépto permánsit.

5*. Engolísmæ in Aquitánia, commemorátio sancti Aptónii, epíscopi.

6*. Lastinghámiæ in Northúmbria, sancti Ceddæ, qui, frater sancti Ceáddæ, a sancto Fináno epíscopus Sáxonum orientálium ordinátus est et inter eos Ecclésiæ fundaménta agénda curávit.

7*. Axelodúni item in Northúmbria, sancti Eátæ, epíscopi, qui, vir dulcíssimus et simplicíssimus, plúra cœnóbia necnon Ecclésias rexit, donec Axelodúnum revérsus, abbas simul et epíscopus, ascética conversatióne numquam déstitit.

8*. Metis in Austrásia, sancti Sigebáldi, epíscopi, plúrium monasteriórum conditóris.

9*. In monastério Heresfeldénsi in Germánia, deposítio sancti Wittæ seu Albuíni, primi epíscopi Buriburgénsis, qui, anglus natióne, a sancto Bonifátio cum áliis accítus est et in Hássiam missus, ut verbi divíni ibídem spárgeret sémina.

10*. In Scótia, sancti Beáni, epíscopi Murthlacénsis.

11. Pápiæ in Langobárdia, sancti Fulci, epíscopi, ex gente scota, viri pacífici, navitáti et caritáti summópere déditi.

12*. Régii Lepídi in Æmília, beáti Damiáni Furcheri, presbýteri ex Ordine Prædicatórum, Evangélii præcónis egrégii.

13*. Rebélli apud Amálphiam in Campánia, beáti Bonaventúræ de Poténtia, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum Conventuálium, qui obœdiéntia et caritáte in omnes enítuit.

Die 27 octobris

Sexto Kaléndas novémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
25	26	27	28	29	30	29	1	2	3	4	5

1. Romæ, sancti Evarísti, papæ, qui quartus post beátum Petrum sub Traiáno imperatóre Románam rexit Ecclésiam.

2. Apud Smyrnam in Asia, sancti Thraséæ, epíscopi Euméniæ in Phrýgia et mártyris.

3*. Arvérnæ in Aquitánia, sancti Namátii, epíscopi, qui ecclésiam cathedrálem exstrúxit.

4. Neápoli in Campánia, depositio sancti Gaudiósi, epíscopi, qui ob Vandalórum persecutiónem ex Abitínis in Campániam venísse et sancto fine in monastério quievísse fertur.

5*. In Hiénsi Scótiæ ínsula, sancti Otteráni, mónachi, qui inter primos discípulos fuit sancti Colúmbæ.

6*. Vicétiæ in Venétia, commemorátio beáti Bartholomǽi de Bregántia, epíscopi, ex Ordine Prædicatórum, qui in hac civitáte Milítiam Iesu Christi ad fidem cathólicam et Ecclésiæ libertátem tuéndam instítuit.

7*. In civitáte *Paterna* in pago Valentíno Hispániæ, beáti Salvatóris Mollar Ventura, religiósi ex Ordine Fratrum Minórum et mártyris, qui, témpore persecutiónis erga fidem, in Christi sánguine discípulus fidélis méruit rédimi.

Die 28 octobris

Quinto Kaléndas novémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
26	27	28	29	30	1	1	2	3	4	5	6

Festum sanctórum Simónis et Iudæ, Apostolórum, quorum prior Cananǽus seu « Zelótes » cognominabátur; alter vero, et Thaddǽus vocátus, Iacóbi fílius, in Cena novíssima Dóminum de eius manifestatióne rogávit, qui ei respóndit: « Si quis díligit me, sermónem meum servábit et Pater meus díliget eum et ad eum veniémus et mansiónem apud eum faciémus ».

2. Mogúntiæ in Gállia Bélgica, sancti Ferrútii, mártyris, qui, milítia relícta, ut libérius aptiúsque Christo servíret, martyr occubuísse fertur.

3. Apud Comum in Gállia Cisalpína, sancti Fidélis, mártyris.

4. Abulæ in Hispánia, pássio sanctórum Vincéntii, Sabínæ et Christétæ, mártyrum, qui ex Ebora Carpetanórum in hanc urbem fugiéntes crudéliter occísi sunt.

5*. Tigérni in Aquitánia, sancti Genésii, qui albis indútus per martýrium ab hoc mundo migrásse celebrátur.

6. Ambiáni in Néustria Gálliæ, sancti Sálvii, epíscopi, a prima iuventúte stúdiis divínis déditi et integritáte morum ornáti.

7. Meldis item in Néustria, sancti Farónis, epíscopi, qui, primum regis familiáris, per sanctam Faram sorórem suam ad Dei servítium addúctus, uxóri suæ velum religiónis indúere persuásit, ut in clerum ipse cooptarétur, et, ad régimen pastorále vocátus, Ecclésiam largíssimis donatiónibus ex suis ditávit, parœcias eréxit monasteriáque fovit.

8*. Annécii in Sabáudia, commemorátio sancti Germáni, abbátis, qui priorátum Tallueriánum fundávit ac rexit, solitúdinis amóre insígnis.

9. In *Fujian* Sinárum província, sanctórum Francísci Serrano, epíscopi, atque Ióachim Royo, Ioánnis Alcober et Francísci Díaz del Rincón, presbyterórum ex Ordine Prædicatórum, mártyrum, qui eándem fidem eádem passióne firmárunt.

10. In pago *Chợ-Rạ* in Tunquíno, sancti Ioánnis Đạt, presbýteri et mártyris, pro Christo decolláti.

11. In vico *Ejutla* in México, sancti Roderíci Aguilar, presbýteri et mártyris, qui, persecutióne sæviénte, a milítibus árbori suspénsus martýrium, quod desideráverat, glorióse complévit.

12*. Alzíræ in pago Valentíno Hispániæ, beáti Salvatóris Damiáni Enguix Garés, mártyris, qui, paterfamílias, témpore persecutiónis, certámen pro fide complévit.

13*. In vico *Gilet* in eódem pago Hispániæ, beáti Ioséphi Ruiz Bruixola, presbýteri et mártyris, qui in eádem tempestáte ante Deum omnipoténtem palmam victóriæ méruit gérere.

Die 29 octobris

Quarto Kaléndas novémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
27	28	29	30	1	2	2	3	4	5	6	7

1. Carthágine, sancti Feliciáni, mártyris.

2. Commemorátio sancti Narcíssi, epíscopi Hierosolymitáni, sanctitáte, patiéntia ac fide laudábilis, qui, cum sancto Victóre papa conséntiens de Páschatis christiáni témpore celebratiónis, nulla ália quam domínica die mystérium Resurrectiónis Dómini celebrándum esse asséruit et, centum et sédecim annórum senex, felíciter ad Dóminum migrávit.

3. Vercéllis in Ligúria, sancti Honoráti, epíscopi, qui, sancti Eusébii discípulus in cœnóbio et sócius in cárcere, post magístrum secúndus hanc sedem ténuit, quam recto dógmate edócuit, et dignus qui sancto Ambrósio moriénti præbéret viáticum.

4. Sidóne in Phœnícia, sancti Zenóbii, presbýteri, qui, sub Diocletiáni imperatóris persecutiónis acerbitáte, ad martýrium álios exhórtans, martýrio et ipse coronátus est.

5. Edéssæ in Osrhoéne Mesopotámiæ, sancti Abrahæ, anachorétæ, cuius res gestas sanctus Ephræm diáconus conscrípsit.

6. In território Viennénsi Gálliæ, sancti Theodárii, abbátis, qui, sancti Cæsárii Arelaténsis discípulus, cellas pro mónachis fundávit et ab epíscopo orátor ad Deum constitútus est et présbyter pæniten-tiárius pro univérso pópulo civitátis.

7*. Duácæ Gállicæ in Hibérnia, sancti Colmáni, epíscopi.

8*. Monastérii in Fánia in pago Néustriæ Cameracénsi, sancti Dodónis, abbátis, qui, Wasleréns i monastério præpósitus, eremíticam prætulit vitam.

9*. Secundiliáni prope Neápolim in Itália, beáti Caietáni Errico, presbýteri, qui recéssus spiritáles et Eucharístiæ contemplatiónem omni stúdio fovit, ut Christo ánimas lucrarétur, quo etiam Missionários Sacrórum Córdium Iesu et Maríæ suscitávit.

Die 30 octobris

Tértio Kaléndas novémbris. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
9	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
28	**29**	**30**	**1**	**2**	**3**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**

1. Syracúsis in Sicília, sancti Marciáni, qui primus huius civitátis epíscopus créditur.

2. Commemorátio sancti Serapiónis, epíscopi Antiochéni, qui, eruditióne et doctrína claríssimus, sanctimóniæ famam non minórem relíquit.

3. Alexandríæ in Ægýpto, sanctæ Eutrópiæ, mártyris, quæ, cum Christum denegáre renuísset, sævíssime cruciáta spíritum réddidit.

4. Tingi in Mauretánia, pássio sancti Marcélli centuriónis, qui, die natáli imperatóris, cum omnes sacrificárent, cíngulum milítiæ, arma et ipsam vitem coram signis reiécit, se christiánum esse prófitens, nec ámplius sacraménto mílitum congruénter obœdíre posse, sed soli Iesu Christo; quaprópter cápitis abscissióne martýrium complévit.

5. Legióne in Hispánia, sanctórum Cláudii, Lupércii et Victórii, mártyrum, qui in persecutióne Diocletiáni imperatóris pro Christi nómine passi sunt.

6. Cumis in Campánia, sancti Máximi, mártyris.

7. Cápuæ item in Campánia, sancti Germáni, epíscopi, de quo sanctus Gregórius papa Magnus scripsit.

8. Poténtiæ in Lucánia, sancti Gerárdi, epíscopi.

9*. Foroiúlii in Venétia, beátæ Benvenútæ Boiani, vírginis, soróris de Pæniténtia Sancti Domínici, quæ in oratiónem et austeritátes se totam impéndit.

10*. Vintóniæ in Anglia, beáti Ioánnis Slade, mártyris, qui, propter Elísabeth regínæ Primæ dominátum in re spiritáli denegátum, in patíbulo suspénsus diréque disséctus est.

11*. Limeríci in Hibérnia, pássio beáti Teréntii Albérti O'Brien, epíscopi et mártyris, qui, ex Ordine Prædicatórum, Ecclésiæ Hemeliénsi præpósitus, peste vexatórum curæ impénsam óperam dedit, sed a milítibus sub regímine Olivérii Cromwell comprehénsus in ódium sacerdótii et cathólicæ fídei ad patíbulum ductus est.

12*. Acrii in Calábria, beáti Angeli, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum Capuccinórum, qui regnum Neapolitánum indefésse péragrans sermóne simplícibus apto verbum Dei prædicávit.

13*. Andégavi in Gállia, beáti Ioánnis Michaélis Langevin, presbýteri et mártyris, propter sacerdótium decollatióne interfécti, primi ex ágmine prope centum virórum ac mulíerum, qui, dum in gállica perturbatióne terror sæviébat, unánimes usque ad mortem constánter et impávide in Christi fide permansérunt.

14*. In óppido *Dolinka* prope Caragándam in Cazastánia, beáti Aléxii Zaryckyj, presbýteri et mártyris, qui, témpore regíminis in Deum hostílis in campum detentiónis deportátus, per certámen fídei vitam apprehéndit ætérnam.

Die 31 octobris

Prídie Kaléndas novémbris. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
10	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
29	**30**	**1**	**2**	**3**	**4**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**

1. Alexandríæ in Ægýpto, sancti Epimáchii Pelusiótæ, mártyris, qui, ut fertur, témpore Décii imperatóris persecutiónis, cum præféctum christiános ad idolórum sacrifícia subígere vidéret, aram subvértere conátus est, quaprópter comprehénsus et dilaniátus, demum gládio decollátus est.

2. Apud Augústam Viromanduórum in Gállia Bélgica, sancti Quintíni, mártyris, qui, ex órdine senatório, sub Maximiáno imperatóre pro Christo passus est.

3*. Apud Fossas in Brabántia Austrásiæ, sancti Foilláni, presbýteri et abbátis, qui, hibérnus génere, frater et sócius sancti Furséi, institútis monásticis pátriæ semper fidélis, Fossis et Nivéllæ duplex, virórum nempe et mulíerum, constítuit monastérium, inter quæ iter fáciens a latrónibus interféctus est.

4. Medioláni in Langobárdia, sancti Antoníni, epíscopi, qui máxime adlaborávit, ut inter Langobárdos hǽresim ariánam exstíngueret.

5. Ratísbonæ in Bavária, sancti Wolfgángi, epíscopi, qui post magístri scholæ offícium atque professiónem monásticam ad sedem episcopálem evéctus cleri disciplínam instaurávit et in território Puppíngæ visitándo humíliter óbiit.

6*. Cadúrci in Aquitánia, beáti Christóphori de Romaníola, presbýteri ex Ordine Minórum, qui, a sancto Francísco missus, post multos ad animárum salútem labóres centenárius óbiit.

7*. Reáte in Sabína, beáti Thomæ de Floréntia Bellaci, religiósi ex Ordine Minórum, qui in Terram Sanctam atque Æthiópiam proféctus, captivitátem ærumnásque pro Christo ab infidélibus passus est, demum in pátriam redux prope centenárius in pace quiévit.

8*. Yogháliæ in Hibérnia, beáti Domínici Collins, religiósi e Societáte Iesu et mártyris, qui diútius deténtus, instánter interrogátus et torméntis excruciátus cathólicam fidem fírmiter conféssus est, quaprópter láqueo suspénsus martýrium consummávit.

9. Palmæ in Maiórica ínsula, sancti Alphónsi Rodríguez, qui, cóniuge, púeris ac omni fortúna orbátus, religiósus in Societátem Iesu accéptus atque ianitóris múnere in Collégio multos annos functus, humilitáte, obœdiéntia ac constántia in iugo pæniténtiæ effúlsit.

10*. In óppido *Piotrków Kujawski* in Polónia, beáti Leónis Nowakowski, presbýteri et mártyris, qui, témpore occupatiónis Polóniæ more militári, ob fidem strénue coram regímine Dei inimíco defénsam plumbis necátus est.

NOVEMBER

Die 1 novembris

Kaléndis novémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
30	1	2	3	4	5	5	6	7	8	9	10

Sollémnitas ómnium Sanctórum qui cum Christo sunt in glória, qua sub uno festivitátis gáudio, quorum societáte cælum exsúltat, eórum memóriam sancta Ecclésia in terra adhuc peregrínans venerátur, ut eorúndem exémplo incitétur, patrocínio lætétur triumphóque in conspéctu divínæ maiestátis ad ætérna sǽcula coronétur.

2. Tarracínæ ad oram Látii, sancti Cæsárii, mártyris.

3. Divióne in Gállia Lugdunénsi, sancti Benígni, qui présbyter et martyr cólitur.

4. Arvérnæ in Aquitánia, sancti Austremónii, epíscopi, qui in hac civitáte verbum salútis prædicásse fertur.

5. Parísiis in Gállia Lugdunénsi, sancti Marcélli, epíscopi.

6*. In pago Bituricénsi Aquitániæ, sancti Rómuli, presbýteri et abbátis.

7. Tíburi in Látio, sancti Severíni, mónachi.

8. Medioláni in Langobárdia, sancti Magni, epíscopi.

9. Baiócis in Gállia Lugdunénsi, sancti Vigóris, epíscopi, qui discípulus fuit sancti Vedásti.

10. Andégavi in Néustria, sancti Licínii, epíscopi, cui sanctus Gregórius papa Magnus mónachos Angliam peténtes commendávit.

11. Lyricánti in pago Gastinénsi Aquitániæ, sancti Maturíni, presbýteri.

12. In território Taruannénsi Flándriæ, sancti Audomári, qui, iam sancti Eustásii abbátis Luxoviénsis discípulus, epíscopus Morinórum eléctus est et apud eos fidem christiánam renovávit.

13*. Burgi Sancti Sepúlcri in Umbria, beáti Rainérii Aretíni, religiósi ex Ordine Minórum, qui humilitáte, paupertáte et patiéntia refúlsit.

14*. Ulyssipóne in Lusitánia, beáti Nónii Alvarez Pereira, qui, primum defensióni regni præpósitus, dein inter fratres oblátos cooptátus in Ordine Carmelitárum, vitam duxit páuperem et abscónditam in Christo.

15*. Shimabáræ in Iapónia, beatórum Petri Pauli Navarro, presbýteri, Dionýsii Fujishima et Petri Onizuka Sandayu, religiosórum, e Societáte Iesu, atque Cleméntis Kyuemon, mártyrum, qui in ódium fídei christiánæ igne crémati sunt.

16. In urbe *Hải* Dương in Tunquíno, sanctórum mártyrum Hierónymi Hermosilla et Valentíni Berrio Ochoa, episcopórum, atque Petri Almató Ribeira, presbýteri, ex Ordine Prædicatórum, qui iussu imperatóris Tự Đức cápite truncáti sunt.

17*. Monáchii Baváriæ in Germánia, beáti Rupérti Mayer, presbýteri e Societáte Iesu, qui, studiosíssimus fidélium moderátor, páuperum operariorúmque adiútor et verbi Dei prædicátor, persecutiónes sub nefário regímine nazistárum súbiit, primum in campum detentiónis deportátus, dehinc in monastérium sine ullo ámplius cum fidélibus commércio.

18*. In óppido *Mukačevo* in Ucraína, beáti Theodóri Geórgii Romzsa, epíscopi et mártyris, qui, témpore coercitiónis fídei, ob indeféssam fidelitátem erga Ecclésiam servátam palmam gloriósam ássequi méruit.

Die 2 novembris

Quarto Nonas novémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
1	2	3	4	5	6	6	7	8	9	10	11

Commemorátio ómnium fidélium defunctórum, qua pia Mater Ecclésia, iam de univérsis fíliis suis in cælo lætántibus cóngruis celebrándis præcóniis sollícita, intercédere studet apud Deum pro ómnium animábus, qui nos cum signo fídei præcessérunt et in spe resurrectiónis dormiérunt, necnon pro ómnibus ab inítio mundi, quorum fides soli Dómino cógnita est, ut de contagióne peccáti purgáti, in societátem supernórum cívium ingréssi, beatitúdinis ætérnæ visióne gaudére váleant.

2. Commemorátio sancti Victoríni, epíscopi Pœtaviénsis in Pannónia, qui ad explanándos Sacrórum Bibliórum libros multa édidit scripta et in persecutióne Diocletiáni imperatóris martýrio coronátus est.

3. Tergéste in Hístria, sancti Iusti, mártyris.

4. Sebáste in Arménia, sanctórum Cartérii, Styríaci, Tobíæ, Eudóxii, Agápii et sociórum, mártyrum, qui, sub Licínio imperatóre, cum mílites essent et in fide Christi permanérent, in flammas coniécti esse narrántur.

5. In Pérside, sanctórum Acíndyni, Pegásii, Aphthónii, Elpidíphori, Anempodísti atque plurimórum sociórum, mártyrum, qui sub Sápore rege Secúndo passi esse ferúntur.

6. Viénnæ in Gállia Lugdunénsi, sancti Domníni, epíscopi, qui in rediméndos captívos insúmpsit óperam.

7. Commemorátio sancti Marciáni, eremítæ, qui, Cyrrhi natus, in erémum Chalcedonénsem se cóntulit, ubi, in angustíssima domúncula degens, véspere tantum módico pane et aqua utebátur, fratérnam tamen dilectiónem ieiúnio præpónens.

8. In monastério Agaunénsi apud Helvétios, sancti Ambrósii, abbátis, qui, primum prope Lugdúnum monastérii ínsulæ Bárbaræ pater, illuc translátus ob egrégiæ religiónis consuetúdinem suam, laudis perénnis usum ibídem instítuit.

9. Apud fontem in loco *Holywell* in Cámbria, sanctæ Winefrídæ, vírginis, quæ moniális exímia cólitur.

10. Viénnæ in Burgúndia, sancti Geórgii, epíscopi.

11. In monastério Claravallénsi in Burgúndia, depositio sancti Malachíæ, epíscopi Dunénsis et Connorénsis in Hibérnia, qui vitam Ecclésiæ ibídem restaurávit et, dum Romam pergébat, Claraválle, sancto Bernárdo abbáte præsénte, spíritum réddidit.

12*. Moritániæ in Normánnia Gálliæ, beátæ Margarítæ de Lotharíngia, quæ, olim Alencónii ducíssa, vídua effécta, vitam duxit religiósam in monastério Clarissárum, quod ædificáverat.

13*. Andovéræ in Hantónia comitátu Angliæ, beáti Ioánnis Bodey, mártyris, qui, ludimagíster, propter domínium Elísabeth regínæ Primæ in spiritálibus recusátum, láqueo suspénsus et eviscerátus occúbuit.

14*. Casále in Flamínia Itáliæ, beáti Pii a Sancto Aloýsio (Aloýsii) Campidelli, religiósi e Congregatióne Passiónis, qui iúvenis, violénto morbo corréptus, divínæ voluntáti perfécte consénsit.

Die 3 novembris

Tértio Nonas novémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
2	3	4	5	6	7	7	8	9	10	11	12

Sancti Martíni de Porres, religiósi ex Ordine Prædicatórum, qui, e viro hispáno et nigra mulíere natus, iam inde a puerítia, etsi per angústias e condicióne fílii illegítimi et mixtícii

procedéntes, medicamentáriam artem dídicit, quam póstea, religiósus factus, Limæ in Perúvia pro paupéribus large exércuit et ieiúnio, pæniténtiæ et orationi déditus vitam gessit ásperam et húmilem, caritáte irradiátam.

2. Cæsaréæ in Cappadócia, sanctórum Germáni, Theóphili et Cyrílli, mártyrum.

3*. Agrigénti in Sicília, sancti Libertíni, epíscopi et mártyris.

4*. In pago Laureacénsi in Gállia Narbonénsi, sancti Pápuli, qui martyr cólitur.

5. Vitérbii in Túscia, sanctórum Valentíni, presbýteri, et Hilárii, diáconi, mártyrum.

6*. In Británnia Minóre, sancti Guenaélis, abbátis Landevenecénsis hábiti.

7. Romæ, commemorátio sanctæ Sílviæ, matris sancti Gregórii papæ Magni, quam oratiónis ac pæniténtiæ culmen attigísse aliísque summo exémplo fuísse ipse Póntifex scriptis réttulit.

8. In monastério Hornbacénsi apud Argentorátum in Burgúndia, depositio sancti Pirmíni, epíscopi et abbátis Augiénsis, qui Alamánnos et Bávaros evangelizávit, plura monastéria cóndidit et discípulis de catechizándis rúdibus librum compósuit.

9. In cœnóbio Antídii in Bithýnia, sancti Ioannícii, mónachi, qui, post annos ámplius vigínti in armis milítia relícta, solitáriam vitam váriis in Olýmpi sáltibus egit, his verbis oratiónem prósequi sólitus: « Spes mea Deus, refúgium meum Christus, protéctor meus Spíritus Sanctus ».

10*. Alemi in Flándria, depositio sanctæ Odrádæ, vírginis.

11. Urgélli in Cataláunia Hispániæ, sancti Ermengáudii, epíscopi, ex præcláris præsúlibus qui Ecclésiam in terris a iugo Maurórum liberátis restitúere curavérunt, qui ipse própriis mánibus ponti ædificándo óperas laborésque ponens, deórsum elápsus confrácto inter sílices cérebro óbiit.

12*. Apud Marsos in Aprútio, sancti Berárdi, epíscopi, qui in extirpánda simonía, cleri disciplína restauránda, paupéribus sustinéndis et protegéndis emínuit.

13*. Cudóti in pago Senonénsi Gálliæ, beátæ Alpáidis, vírginis, quæ, adulescéntula sæve percússa et a suis derelícta, in céllula reclúsa vixit usque ad sénium.

14*. Prope monastérium Fischingénse apud Helvétios, sanctæ Iddæ, reclúsæ.

15*. Arímini ad litus Flamíniæ, beáti Simónis Balacchi, religiósi ex Ordine Prædicatórum, qui vitam degit totam servítio fratrum, pæniténtiæ et oratióni déditam.

16. Medioláni in Langobárdia, natális sancti Cároli Borromeo, epíscopi, cuius memória cras celebrátur.

17. Apud arcem *Xã Đoài* in Tunquíno, sancti Petri Francísci Néron, presbýteri e Societáte Parisiénsi Missiónum ad éxteras gentes et mártyris, qui sub imperatóre Tự Đức tres menses in angustíssimam cáveam vixit detrúsus et, virgis atróciter cæsus, tres hebdómadas omni aliménto abstínuit et tandem abscísso cápite martýrium consummávit.

Die 4 novembris

Prídie Nonas novémbris. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
14	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**30**	**1**	**2**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
3	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**

Memória sancti Cároli Borromeo, epíscopi, qui, ab avúnculo Pio papa Quarto inter cardináles cooptátus et epíscopus Mediolanénsis eléctus, in hac sede verus pastor de necessitátibus Ecclésiæ témporis sui sédulus fuit: ad informándum clerum sýnodos collégit seminariáque instítuit, ad christiános mores fovéndos totum gregem plúries visitávit multáque ad animá-

rum salútem decrévit. Ad pátriam cæléstem prídie huius diéi migrávit.

2. Bonóniæ in Æmília, sanctórum Vitális et Agrícolæ, mártyrum, quorum, narránte sancto Ambrósio, prior alteríus servus ántea fuit, dein consors et colléga martýrii: hic enim ómnia tormentórum género ita passus, ut non esset in córpore sine vúlnere locus; ille vero, supplício servi non térritus, cruci affíxus eiúsdem martýrium imitátus est.

3. Myræ in Lýcia, sanctórum mártyrum Nicándri, epíscopi, et Hermétis, presbýteri.

4. Commemorátio sancti Piérii, presbýteri Alexandríni, qui, philosóphicis doctrínis illústris, sed integritáte vitæ et voluntária paupertáte clárior, regénte Alexandrínam Ecclésiam Theóna, pénitus divínas Scriptúras pópulum dócuit et post persecutiónem Romæ in pace quiévit.

5. Ruthénis in Aquitánia, sancti Amántii, epíscopi, qui huius civitátis primus antístes créditur fuísse.

6*. Traiécti Mosæ in Brabántia Austrásiæ, sancti Perpétui, epíscopi.

7. Tréviris in Austrásia, sanctæ Modéstæ, abbatíssæ, quæ, ab ipsa infántia Deo consecráta, gregi sanctimoniálium cœnóbii Horreénsis in civitáte prima præfuit et cum sancta Gertrúde Nivellénsi summa in Deo familiaritáte coniúncta est.

8. Apud Albam Regálem in Pannónia, sancti Emeríci seu Henríci, fílii sancti Stéphani Hungarórum regis, immatúra morte prævénti.

9*. Patávii in Venétia, beátæ Hélenæ Enselmini, vírginis ex Ordine Clarissárum, quæ multos dolóres ac ipsam loquélæ amissiónem mira patiéntia tolerávit.

10*. Apud Cervum Frígidum territórii Meldénsis in Gállia, sancti Felícis de Valois, qui, postquam solitáriam vitam diu egit, sócius sancti Ioánnis de Matha in Ordine Sanctíssimæ Trinitátis Redemptióne Captivórum instituéndo fuísse habétur.

11*. In convéntu de Scótiis apud Nannétes in Gállia, beátæ Francíscæ de Ambósia, quæ, ducíssa Británniæ, Darióriggi primum in Gállia carmélum mulíerum cóndidit, in quem, vídua effécta, ancílla Christi secéssit.

Die 5 novembris

Nonis novémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
4	5	6	7	8	9	9	10	11	12	13	14

1. Cæsaréæ in Palæstína, sancti Domníni, mártyris, qui iúvenis médicus, persecutióne Diocletiáni imperatóris ineúnte, ad metálla damnátus Phænénsia relegátus est, ubi crudéles pértulit ærúmnas, et ob confessiónem suam fírmiter servátam, anno persecutiónis quinto, ab Urbáno præfécto igni tradi iussus est.

2. Ibídem, commemorátio sanctórum Theótimi, Philóthei et Timóthei, mártyrum, qui, iúvenes, ludis circénsibus destináti sunt ad oblectaméntum plebis, atque sancti Auxéntii, senis, ad béstias tráditi.

3*. In Apúlia, sancti Marci, epíscopi Æcanénsis.

4. Tréviris in Rhenánia Austrásiæ, sancti Fibícii, epíscopi.

5*. In Británnia Minóre, sancti Guethnóci, qui frater excólitur sanctórum Winwalœi et Iacúti.

6*. In cœnóbio Calénsi apud Meldas in Gállia Lugdunénsi, sanctæ Bertíllæ, primæ abbatíssæ.

7*. Bitérris in Gállia Narbonénsi, sancti Geráldi, epíscopi, viri miræ honestátis et simplicitátis, qui, ex canónico regulári invítus ad episcopátum assúmptus, humilitáti in dignitáte addíctior fuit.

8*. Constantinópoli, beáti Gómidæ Keumurgian (Cosmæ de Carboniáno), presbýteri et mártyris, qui, paterfamílias, in Ecclésia Armenó-

rum natus et ordinátus, propter fidem cathólicam a Chalcedonénsi Sýnodo princeps professam, quam fírmiter ténuit et propagávit, multa perpéssus est, dénique sýmbolum nicǽnum récitans cápite obtruncáto occúbuit.

9. Prope flumen *Hưng Yên* in Tunquíno, sancti Domínici Mậu, presbýteri ex Ordine Prædicatórum et mártyris, qui in persecutióne Tự Đức imperatóris, Rosárii corónam públice ferens et christiános ad professiónem fídei hortans, ad supplícium decollatiónis, mánibus iunctis sicut ad altáre, pro Christo ductus est.

10*. Parmæ in Itália, beáti Guidónis Maríæ Conforti, epíscopi, qui, bonus pastor, semper de Ecclésia ac pópuli fide defendéndis vigilávit et, sollicitúdine evangelizatiónis populórum motus, Piam Societátem Sancti Francísci Xavérii fundávit.

11*. Matríti in Hispánia, beáti Ioánnis Antónii Burró Más, religiósi ex Ordine Sancti Ioánnis a Deo et mártyris, propter evangélicam professiónem in persecutióne erga Ecclésiam occísi.

12*. In loco *El Saler* nuncupáto prope Valéntiam item in Hispánia, beátæ Maríæ a Monte Carmélo Viel Ferrando, vírginis et mártyris, quæ in eádem tempestáte pro Christo egrégium perégit certámen.

13*. In óppido *Hof* in Germánia, beáti Bernárdi Lichtenberg, presbýteri et mártyris, qui, cum Dei et hóminum dígnitas læderétur, pro Iudǽis inhumániter vexátis et deténtis públice precabátur, quaprópter ipse comprehénsus et ad campum detentiónis Dacháni destinátus, in itínere vexatiónibus oppréssus, sed in Christo impávidus óbiit.

14*. In campo detentiónis civitátis *Abez* in Siberiána Rússiæ província, beáti Gregórii Lakota, epíscopi Premisliénsis et mártyris, qui, pátria a persecutóribus fídei vexáta, impávida morte córporis torménta pro Christo devícit.

Die 6 novembris

Octávo Idus novémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
5	6	7	8	9	10	10	11	12	13	14	15

1. Thinísæ in Numídia, sancti Felícis, mártyris, de quo sanctus Augustínus loqui vidétur ad pópulum dicens: «Vere felix et nómine et coróna. Conféssus est enim, dilátus est ad torménta; álio die invéntum est in cárcere corpus eius exánime».

2. Commemorátio sancti Pauli, epíscopi Constantinopolitáni et mártyris, qui sæpe ab ariánis ob nicǽnam fidem servátam pulsus et plúries in dignitátem restitútus, tandem a Constántio imperatóre Cucúsum, Cappadóciæ oppídulum, relegátus, ibídem arianórum insídiis crudéliter strangulátus esse fertur.

3. Rhedónibus in Británnia Minóre, sancti Melánii, epíscopi, qui in loco «Plácium» ad Vicenóniam flumen, ubi ipse suis mánibus ecclésiam constrúxerat et mónachos ad servítium Dei congregáverat, ad Dóminum migrávit.

4*. In monastério *Llanilltud Fawr* in Cámbria eius nómine nuncupáto, sancti Iltúti, abbátis, qui idem cœnóbium cóndidit, quo fama eius sanctitátis et exímiæ doctrínæ multos collégit discípulos.

5. Nobilíaci prope Lemóvicum in Aquitánia, sancti Leonárdi, eremítæ.

6. Hierosólymæ, sanctórum Calliníci, Himérii, Theodóri, Stéphani, Petri, Pauli, Theodóri alteríus, Ioánnis, Ioánnis alteríus et alicúius ignóto nómine, mártyrum, qui, mílites, urbe Gaza a Saracénis capta, ab hóstibus comprehénsi, sed a sancto Sophrónio epíscopo incitáti, Christum conféssi sunt, quaprópter decolláti martýrium suscepérunt.

7. Barcinóne in Hispánia, sancti Sevéri, epíscopi, qui martýrii corónam fertur accepísse.

8*. Apud Helvétios in Burgúndia, sancti Protásii, qui epíscopus Lausannénsis cólitur.

9. In pago Taruannénsi Austrásiæ, sancti Winnóci, abbátis, qui, brito génere, inter mónachos Sithivénses a sancto Bertíno recéptus est, dein Wormínii cœnóbium cóndidit, cui sancte præfuit, ipsis mánibus suis multum labórans.

10*. Aptæ Iúliæ in Província Gálliæ, sancti Stéphani, epíscopi, mansuetúdine clari, qui binam Hierosólymam peregrinatiónem suscépit et ecclésiam cathedrálem restítuit.

11*. Doráti in pago Lemovicénsi Aquitániæ, sancti Theobáldi, presbýteri, qui, canónicus reguláris sacri áditus offício præpósitus, numquam extra ecclesiásticas officínas egréssus est, nisi ut infírmis assidéret eorúmque necessitátibus subveníret.

12*. Prope Colóniam Agrippínam in Lotharíngia Germániæ, beátæ Christínæ Stumbelénsis, vírginis, quæ, Christi passiónibus commúnicans, omnes temptatiónes mundi mirabíliter superávit.

Die 7 novembris

Séptimo Idus novémbris. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
17	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**30**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
6	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**

1. Patávii in Venétia, sancti Prosdócimi, qui huius Ecclésiæ primus epíscopus créditur fuísse.

2. Neocæsaréæ in Ponto, sancti Athenodóri, epíscopi, fratris sancti Gregórii Thaumatúrgi, qui ádeo in divínis elóquiis profécit, ut, etsi iúvenis, idóneus existimarétur múnere episcopáli fungi.

3. Apud Albiam in Aquitánia, commemorátio sancti Amaránthi, mártyris.

4. Meliténe in Arménia, sanctórum Hierónis et plurimórum sociórum, mártyrum.

5. Perúsiæ in Umbria, sancti Herculáni, epíscopi et mártyris, qui, iussu Tótilæ, Gothórum regis, cápite detruncátus est.

6*. Turónis in Néustria, sancti Baldi, epíscopi, qui in eleemósynis aurum, quod decéssor relíquerat, paupéribus distríbuit.

7*. In loco póstea Congresbúria nuncupáto in Anglia, sancti Cungári, abbátis, britónis génere, cuius nómine plures gloriántur pagi et ecclésiæ.

8. Argentoráti in Burgúndia, commemorátio sancti Floréntii, epíscopi, qui sancto Arbogásto succéssit.

9. Epternáci in Austrásia, depositío sancti Willibrórdi, qui, génere anglus, a sancto Sérgio papa Primo epíscopus Ultraiecténsis ordinátus, in Frísia et Dánia Evangélium prædicávit et sedes episcopáles necnon monastéria cóndidit, donec labóre gravátus ætatéque conféctus, in cœnóbio ab ipso fundáto in Dómino obdormívit.

10*. In monte Galésio prope Ephesum in Asia, sancti Lázari, stylítæ, qui váriis in locis super colúmnam plúrimos annos vixit, grávibus étiam ferraméntis et caténis onerátus, tantum pane et aqua conténtus, qua aspérrima vitæ ratióne plúrimos fidéles attráxit.

11. Colóniæ Agrippínæ in Lotharíngia Germániæ, sancti Engelbérti, epíscopi, qui, pro iustítia et Ecclésiæ libertátis defensióne, a sicáriis in via intercéptus multísque vulnéribus cæsus, occúbuit.

12*. In vico *Pofì* in Látio, beáti Antónii Baldinucci, presbýteri e Societáte Iesu, qui ad missiónes pópulis prædicándas totus se dedit.

13. In civitáte *Ket Chợ* in Tunquíno, sanctórum Hyacínthi Castañeda et Vincéntii Lê Quang Liêm, presbyterórum ex Ordine Prædicatórum et mártyrum, qui, sub Trịnh Sâm regímine, evangélicos labóres sánguinis effusióne consummavérunt.

14. In loco *Zunyi* in província *Guizhou* Sinárum, sancti Petri Wu Guosheng, catechístæ et mártyris, qui pro Christo strangulátus est.

15*. Apud Cremónam in Itália, beáti Vincéntii Grossi, presbýteri, qui, parœciáli vacans múneri, Institútum Filiárum ab Oratório cóndidit.

Die 8 novembris

Sexto Idus novémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
7	8	9	10	11	12	12	13	14	15	16	17

1. Commemorátio sanctórum Simproniáni, Cláudii, Nicóstrati, Castórii et Simplícii, mártyrum, qui, ut tráditur, fabri marmorárii apud Sírmium in Pannónia, cum simulácrum dei Æsculápii propter nomen Iesu Christi fíngere renuíssent, a Diocletiáno imperatóre in flúvium præcípites dari iussi sunt et a Deo martýrii grátia coronáti; quorum Romæ sub título Quáttuor Coronatórum in basílica Cælimontána venerátio ab antíquitus flóruit.

2. Apud Turónos in Gállia Lugdunénsi, sancti Clari, presbýteri, qui, sancti Martíni discípulus, prope epíscopi monastérium mansiónem sibi constítuit, ubi multos congregávit fratres.

3. Romæ apud sanctum Petrum, sancti Deúsdedit papæ Primi, qui clerum populúmque suum diléxit, simplicitáte et sapiéntia clarus.

4. Bremæ in Saxónia, sancti Willehádi, epíscopi, qui, in Northúmbria natus et amícus Alcuíno, post sanctum Bonifátium in Frísia et Saxónia Evangélium propagávit et, epíscopus ordinátus, sedem Breménsem constítuit et sapiénter gubernávit.

5. Suessióne in Gállia, depositio sancti Godefrídi, epíscopi Ambianénsis, qui, monásticæ vitæ a quinquénnio instrúctus, in certámine dominórum et plebis civitátis componéndo atque in reformándis cleri populíque móribus multa passus est.

6*. Colóniæ Agrippínæ in Lotharíngia Germániæ, beáti Ioánnis Duns Scoti, presbýteri ex Ordine Minórum, qui, e Scótia oriúndus,

philosóphiæ et theológiæ disciplínas Cantuáriæ, Oxónii, Parísiis, demum Colóniæ dócuit, ingénio subtíli et mirábili fervóre magíster præclárus.

7*. Monte Novo in Picéno Itáliæ, beátæ Maríæ Crucifíxæ (Elísabeth Maríæ) Satellico, abbatíssæ ex Ordine Clarissárum, in contemplándo Crucis mystério conspícuæ et mýsticis charismátibus refértæ.

8. In urbe *Nam Định* in Tunquíno, sanctórum mártyrum Ioséphi Nguyễn Đình Nghi, Pauli Nguyễn Ngân, Martíni Tạ Đức Thịnh, presbyterórum, Martíni Thọ et Ioánnis Baptístæ Côn, agricolárum, qui sub imperatóre Thiệu Trị pro fide christiána decolláti sunt.

Die 9 novembris

Quinto Idus novémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
8	9	10	11	12	13	13	14	15	16	17	18

Festum dedicatiónis basílicæ Lateranénsis in honórem Christi Salvatóris a Constantíno imperatóre exstrúctæ ut Romanórum episcopórum sedis, cuius anniversária celébritas in univérsa Latína Ecclésia signum exstat dilectiónis et unitátis cum papa Románo.

2. Apud Bitorígas in Gállia, sancti Ursíni, primi epíscopi, qui Christum Dóminum pópulo nuntiávit et pro credéntibus, qui ex paupéribus máxime erant, domum Leocádii, Galliárum senatóris adhuc pagáni, fecit ecclésiam.

3. Neápoli in Campánia, sancti Agrippíni, epíscopi inter primos, quem defensórem civitátis antíqua monuménta declárant.

4*. Virodúni in Gállia Bélgica, sancti Vitónis, epíscopi.

5. Constantinópoli, sanctárum Eustóliæ et Sópatræ, vírginum et sanctimoniálium.

6*. Ludévæ in Gállia Narbonénsi, sancti Geórgii, epíscopi.

7*. Signæ apud Floréntiam in Etrúria, beátæ Ioánnæ, vírginis, quæ vitam pro Christo duxit solitáriam.

8*. Ancónæ in Picéno Itáliæ, beáti Gabriélis Ferretti, presbýteri ex Ordine Minórum, qui parvulórum ægrotorúmque cura, obœdiéntia et reguléri observántia cláruit.

9*. Bonóniæ in Æmília, beáti Ludovíci Morbioli, qui, a sémita vitiórum ad Deum convérsus, aspérrimam vitæ rationem pǽnitens elégit civésque ad pietátem verbo et exémplo revocávit.

10*. Muráni in Venétia, beáti Grátiæ de Cátharo, religiósi ex Ordine Sancti Augustíni, qui, dum in magna egestáte cymbam ducébat, ut victum sibi comparáret, conciónibus beáti Simónis de Cameríno motus, religiósum hábitum impetrávit et vitam duxit piíssimam.

11*. Oxónii in Anglia, beáti Geórgii Napper, presbýteri et mártyris, qui tam in clandestíno ministério, tam in cárcere mire operátus est, ut Christo in Ecclésia ánimas lucrarétur, et sub Iacóbo rege Primo propter sacerdótium martýrii corónam accípere méruit.

12*. Divióne in Gállia, beátæ Elísabeth a Sanctíssima Trinitáte Catez, vírginis ex Ordine Carmelitárum Discalceatárum, quæ a pueritia ad Trinitátem in imo corde inquiréndam et contemplándam stúduit et adhuc iúvenis, multis afflícta cruciátibus, «ad amórem, ad lucem, ad vitam», sicut optáverat, perréxit.

13*. In óppido *Borysów* in Polónia, beáti Henríci Hlebowicz, presbýteri et mártyris, bello sæviénte in ódium fídei plumbis interfécti.

14*. Romæ, beáti Aloýsii Beltrame Quattrocchi, qui, paterfamílias, tum in públicis cum in doméstisis negótiis mandáta Christi servávit et diligéntia ac probitáte vitæ proclamávit.

Die 10 novembris

Quarto Idus novémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
9	10	11	12	13	14	14	15	16	17	18	19

Memória sancti Leónis papæ Primi, doctóris Ecclésiæ, qui, in Etrúria natus, primum diáconus Urbis díligens éxstitit, dein ad Petri cáthedram evéctus Magnus iure méruit appellári sive ob gregem suum exquisíto ac prudénti sermóne nutrítum sive ob orthodóxam doctrínam de incarnatióne Dei in Chalcedonénsi Œcuménico Concílio per legátos strénue affirmátam, donec Romæ in Dómino quiévit, ubi hac die apud sanctum Petrum depósitus est.

2. In Pérside, tránsitus sancti Demetriáni, epíscopi Antiochéni, qui in exsílium deportátus est a Sápore rege Primo.

3. Tyánæ in Cappadócia, sancti Oréstis, mártyris.

4. Ravénnæ in Flamínia, sancti Probi, epíscopi, cuius nómini célebrem basílicam Classénsem sanctus Maximiánus epíscopus dedicávit.

5. In Pérside, sanctórum mártyrum Narsétis, epíscopi, venerábilis senis, et Ioséphi, discípuli eius, iúvenis, qui, cum a Sápore rege Secúndo iussi solem adoráre renuíssent, gládio decolláti sunt.

6. Cantuáriæ in Anglia, sancti Iusti, epíscopi, qui, una cum áliis mónachis a sancto Gregório papa Magno missus est, ut ad Angliam evangelizándam sanctum Augustínum adiuváret, et tandem huius sedis episcopátum accépit.

7*. In vico Foro in Subalpínis, sancti Baudolíni, eremítæ.

8. Neápoli in Campánia, sancti Andréæ Avellino, presbýteri e Congregatióne Clericórum Regulárium, sanctitáte et salútis proximórum

procurándæ stúdio célebris, qui árduum se cotídie in virtútibus profectúrum votum suscépit et, méritis onústus, ad pedes altáris sancto fine quiévit.

9*. Barcinóne in Hispánia, beáti Acíscli Pina Piazuelo, religiósi ex Ordine Sancti Ioánnis a Deo et mártyris, qui, tempestáte persecutiónis furénte, in ódium religiónis enecátus est.

Die 11 novembris

Tértio Idus novémbris. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
21	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**30**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
10	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**

Memória sancti Martíni, epíscopi, in die eius depositiónis; qui, in Pannónia e paréntibus gentílibus natus et in Gállia sub vexíllis vocátus, adhuc catechúmenus Christum in páuperi veste sua contéxit; baptísmo suscépto, arma relíquit et apud Locogíacum vitam monásticam egit in cœnóbio a seípso cóndito, moderánte sancto Hilário Pictaviénsi; deínde sacerdótio initiátus et epíscopus Turonénsis eléctus, exémplum boni pastóris præ se ferens, ália monastéria parœciásque in vicis fundávit, clerum erudívit ac reconciliávit, rurícolas evangelizávit, donec Condáte ad Dóminum migrávit.

2. Trans lacum Mareótidem in Ægýpto, sancti Mennæ, mártyris.

3. Véntiæ in Província Gálliæ, commemorátio sancti Veráni, epíscopi, qui fílius sancti Euchérii epíscopi Lugdunénsis, in monastério Lirinénsi educátus, ad sanctum Leónem papam Magnum lítteras scripsit, grátias agens de fide in Verbo incarnáto in epístula eius ad Flaviánum.

4. In província Sámnii, commemorátio sancti Mennæ, solitárii, cuius virtútes sanctus Gregórius papa Magnus commémorat.

5. Amathúnte in ínsula Cypro, tránsitus sancti Ioánnis Eleemosynárii, Alexandríni epíscopi, misericórdia in páuperes célebris, qui, erga omnes caritáte replétus, ecclésias, valetudinária ac orphanotrophía plúrima exstruénda curávit et máxima sollicitúdine enísus est, ut omnem civitátis leváret misériam, ad hoc ipsum bona Ecclésiæ cónferens et assídue dívites ad erogándam beneficéntiam exhórtans.

6*. In monastério Malonnénsi in Brabántia, sancti Bertuíni, qui epíscopus et abbas cólitur.

7. Constantinópoli, sancti Theodóri Studítæ, abbátis, qui monastérium suum scholam effécit sapiéntium, sanctórum ac mártyrum, qui in persecutiónibus ab iconoclástis patrátis víctimæ occubuérunt; ter in exsílium pulsus, traditiónes patrum Ecclésiæ magno in honóre hábuit et pro cathólicæ fídei expositióne célebres scripsit Christiánæ doctrínæ institutiónes.

8. In monastério Cryptæ Ferrátæ in agro Tusculáno prope Romam, sancti Bartholomǽi, abbátis, qui, in Calábria natus, ad sanctum Nilum ádiit, cuius mox vitam conscrípsit, et ipsi iam moribúndo in Tusculáno cœnóbio sub orientálium ascética disciplína condéndo ádfuit, quod regímine suo roborávit et scholam sciéntiæ artísque effécit.

9. Nagasákii in Iapónia, sanctæ Marínæ de Omúra, vírginis et mártyris, quæ, in víncula coniécta, ludíbrio castimóniæ in públicis obnóxia fuit ac demum igne combústa.

10*. In óppido *Laski Piasnica* apud civitátem *Wejherowo* in Polónia, beátæ Alíciæ Kotowska, vírginis e Congregatióne Sorórum Resurrectiónis Dómini et mártyris, quæ in bello ob Christi fidem strénue servátam plumbis interfécta est.

11*. Sóphiæ in Bulgária, pássio beáti Vincéntii Eugénii Bossilkov, epíscopi Nicopolitáni et mártyris, e Congregatióne Passiónis Iesu, qui sub tyránnico regímine, cum se a romána communióne seiúngere recusáret, ad cárcerem ductus et dire vexátus sub crímine perduelliónis cápiti damnátus est et plumbis necátus.

Die 12 novembris

Prídie Idus novémbris. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
22	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**30**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
11	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**

Memóriapassiónis sancti Iósaphat (Ioánnis) Kuncewicz, epíscopi Polocénsis Ruthenórum et mártyris, qui gregem suum ad cathólicam unitátem constánti stúdio ímpulit, ritum byzantínum-slavum pio amóre cóluit et, Vitépsci in Bielorússia, tunc sub dicióne Polóniæ, a tumultuánte plebe advérsa crudéliter oppréssus, pro unitáte Ecclésiæ et cathólicæ veritátis defensióne occúbuit.

2. Apud Ancýram Galátiæ, sancti Nili, abbátis, qui, discípulus sancti Ioánnis Chrysóstomi hábitus, cœnóbio diu præfuit ascéticam doctrínam scriptis diffúndens.

3*. In Máleo ínsula in Scótia, sancti Macárii, epíscopi, qui, hibérnus génere, sancti Colúmbæ discípulus et huius Ecclésiæ fundátor habétur.

4*. Viénnæ in Burgúndia, sancti Hesýchii, epíscopi, qui e senatória ad episcopálem dignitátem evéctus est; fílii eius, quos ántea genúerat, fuérunt sancti Apollináris, antístes Ecclésiæ Valentinénsis, et Avítus, qui ipsi in sede Viennénsi succéssit.

5. In sáltibus Cucúllæ regiónis prope Vergégium in Hispánia, sancti Æmiliáni, presbýteri, qui post eremíticam et clericálem, monásticam tandem vitam proféssus est, largitáte erga páuperes et prophetíæ spíritu clarus.

6. Colóniæ Agrippínæ in Austrásia, sancti Cunibérti, epíscopi, qui post invasiónes barbáricas in urbe et toto pago ecclesiásticam vitam et pietátem fidélium renovávit.

7. Davéntriæ in Frísia, sancti Lebuíni, presbýteri, qui, mónachus ex Anglia provéniens, íncolis regiónis Christi pacem et salútem nuntiáre curávit.

8. Apud Casimíriam ad Vartam flúvium in Polónia, sanctórum Benedícti, Ioánnis, Matthǽi et Isaac, mártyrum, qui ad christiánam fidem in Polóniæ pártibus propagándam missi nocte a latrónibus iuguláti sunt; cum iis commemorátur étiam Christiánus, eórum fámulus, qui in área sacélli appénsus est.

9*. Pisis in Etrúria, beáti Ioánnis Cini, de Pace nuncupáti, qui e militári divíno se addíxit servítio in Tértio Ordine Sancti Francísci.

10. Complúti in Hispánia, sancti Dídaci, religiósi ex Ordine Minórum, qui, tum in Canáriis ínsulis, tum Romæ in cœnóbio Sanctæ Maríæ in Aracœli, humilitáte et caritáte in curándis infírmis cláruit.

11. In urbe *Tulimán* in México, sancti Margaríti Flores, presbýteri et mártyris, qui in magna persecutióne erga Ecclésiam propter sacerdótium comprehénsus est et plumbis interféctus nóbili coronátus martýrio.

12*. In vico *Alcudia de Carlet* in pago Valentíno in Hispánia, beáti Ioséphi Medes Ferrís, mártyris, cui, témpore persecutiónis erga fidem, ob impávidam fidelitátem prǽmium Dóminus tríbuit ætérnum.

Die 13 novembris

Idibus novémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
12	13	14	15	16	17	17	18	19	20	21	22

1. Cæsaréæ in Palæstína, pássio sanctórum mártyrum Antoníni, Nicéphori, Zebínæ, Germáni et Mánathæ, vírginis. Hæc, sub Galério Maximíno imperatóre, verbéribus cæsa, igne cremáta est; illi vero, cum intrépidi ac líbera voce Firmiliánum prǽsidem, diis immolántem, impietátis argúerent, cápite cæsi sunt.

2. Aquis Séxtiis in Gállia Narbonénsi, sancti Mítriæ, qui, etsi condicióne servílis, in Christo tamen liber iustítiæ a sǽculo victor abscéssit.

3. Turónis in Gállia Lugdunénsi, sancti Bríctii, epíscopi, qui, sancti Martíni discípulus, magístro succéssit et quadragínta et septem annos plúries advérsis pressus est.

4. In Africa, commemorátio sanctórum mártyrum hispanórum Arcádii, Paschásii, Probi et Euthychiáni, qui, cum in ariánam hǽresim nullátenus se declinári pateréntur, a Genseríco rege Vandalórum primum proscrípti, deínde in exsílium acti atque atrócibus supplíciis cruciáti, postrémo divérso mortis génere interémpti sunt. Tunc et Paulílli puéruli, fratris Paschásii et Eutychiáni, constántia enítuit, qui, cum a fide cathólica divélli non posset, fústibus diu cæsus est et ad ínfimam servitútem damnátus.

5*. Viénnæ in Gállia Lugdunénsi, sancti Leoniáni, abbátis, qui ab inimíca gente e Pannónia illuc captívus dedúctus, primum Augustodúni, mox Viénnæ quadragínta ámplius annos mónachos et moniáles sanctíssime rexit.

6. Arvérnæ in Aquitánia, sancti Quinctiáni, epíscopi, qui primum Ruthenénsem sedem ténuit, sed a Gothis in exsílium pulsus, epíscopus Arvernórum factus est.

7*. Tiférni Tiberíni in Umbria, commemorátio sanctórum Floréntii, epíscopi, cuius verídicæ doctrínæ et sanctitátis sanctus Gregórius papa Magnus testis fuit, et Amántii eius presbýteri, caritáte in ægrótos omnibúsque virtútibus pleni.

8*. Ruthénis in Aquitánia, sancti Dalmátii, epíscopi, cuius sanctus Gregórius Turonénsis largitátem in páuperes laudat.

9*. In Valle Susingénsi apud Helvétios, sancti Himérii, eremítæ, qui ibídem Evangélium prædicávit.

10. Toléti in Hispánia, sancti Eugénii, epíscopi, qui sacræ litúrgiæ ordinándæ óperam dedit.

11*. In pago Cameracénsi in Gállia, sanctæ Maxelléndis, vírginis et mártyris, quæ, ut fertur, Christum éligens sibi sponsum, cum virum

sequi recusásset, cui a paréntibus promíssa erat, ab eo gládio percússa occúbuit.

12. Romæ apud sanctum Petrum, sancti Nicolái papæ Primi, qui vigóre apostólico in Románi Pontíficis auctoritáte firmánda in univérsa Dei Ecclésia præstitit.

13*. In monastério Régulæ in Vascónia Gálliæ, tránsitus sancti Abbónis, abbátis Floriacénsis, divínis Scriptúris et lítteris mire edócti, qui, cum monásticam disciplínam defénderet et paci strénue favéret, láncea percússus occúbuit.

14*. Eporédiæ in Subalpínis, commemorátio beáti Varmúndi, epíscopi, viva fide, pietáte et humilitáte clari, qui libertátem Ecclésiæ ab insídiis poténtium vindicávit, ecclésiam cathedrálem exstrúxit, órdinem monásticum fovit et scholam episcopálem promóvit.

15. Cremónæ in Langobárdia, sancti Homobóni, qui, negotiátor, caritáte erga páuperes, derelíctis púeris colligéndis ac educándis et famíliis pacificándis cláruit.

16. Romæ, sanctæ Augustínæ (Líviæ) Pietrantoni, vírginis e Congregatióne Sorórum a Caritáte, quæ, tabe laborántium curæ in valetudinário Sancti Spíritus christiáne se dedit, donec ab ægróto quodam, homicídii furóre capto, cultro percússa occúbuit.

17*. In vico *Simat de Valldigna* in pago Valentíno Hispániæ, beáti Ioánnis Gonga Martínez, mártyris, qui, persecutióne erga fidem sæviénte, sánguinem pro Christo effúdit.

18*. In vico *Portichol de Tavernes* prope *Carcaixent* in eódem pago Hispániæ, beátæ Maríæ a Patrocínio a Sancto Ioánne Giner Gomis, vírginis ex Institúto Sorórum Maríæ Immacuátæ Missionariárum Claretianárum et mártyris, quæ in eádem persecutióne per certámen fídei vitam accépit ætérnam.

19*. Sóphiæ in Bulgária, beatórum Petri Vičev, Pauli (Ioséphi) Džidžov et Iósaphat (Robérti Matthæi) Šiškov, presbyterórum e Congregatióne Augustinianórum ab Assumptióne, qui, témpore regíminis in Deum hostílis proditiónis crímine falso insimuláti atque in cárcerem trusi quia christiáni, mercédem fidélium discipulórum Christi mortis agóne accípere meruérunt.

Die 14 novembris

Décimo octávo Kaléndas decémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
13	14	15	16	17	18	18	19	20	21	22	23

1. Heracléæ in Thrácia, sancti Theódoti, mártyris.

2. Gangra in Paphlagónia, sancti Hypátii, epíscopi, qui, a novatiánis hæréticis in via lapídibus óbrutus, martyr occúbuit.

3. Avenióne in Província, sancti Rufi, qui primus communitátis christiánæ huius loci præses censétur.

4*. In ínsula *Bardsey* ad oram Cámbriæ septemtrionális, sancti Dubrícii, epíscopi et abbátis.

5*. Tragúrii in Dalmátia, sancti Ioánnis, epíscopi, qui, ex eremíta in monastério Camaldulénsium Absoritáno in episcopále munus ordinátus, civitátem a regis Colománni eversióne felíciter deféndit.

6. Augæ in Normánnia, tránsitus sancti Lauréntii O'Toole (Lorcan Ua Tuathail), epíscopi Dublinénsis, qui in angústiis ætátis suæ regulárem Ecclésiæ disciplínam strénue promóvit et concórdiam inter príncipes reconciliáre stúduit, demum Henríco rege Ángliæ óbviam procedénte, ætérnæ pacis gáudia ipse consecútus est.

7*. In cœnóbio Sanctæ Maríæ de Gualdo Mazocca prope Campum Bassum in Itália, beáti Ioánnis de Tuphária, eremítæ.

8*. In Horto Sanctæ Maríæ in Frísia, sancti Siárdi, abbátis ex Ordine Præmonstraténsi, qui reguIári observántia et liberalitáte erga páuperes enítuit.

9*. Icósii in Africa septemtrionáli, sancti Serapiónis, qui primus ex Ordine Beátæ Maríæ de Mercéde pro redemptióne fidélium captivórum et christiánæ fídei prædicatióne martýrii palmam méruit obtinére.

10. Hierosólymæ, sanctórum Nicolái Tavelić, Deódati Aribert, Stéphani de Cúneo et Petri de Narbóne, presbyterórum ex Ordine Minórum et mártyrum, qui, christiánam religiónem coram Saracénis in público foro líbere prædicántes, constánter Christum Dei Fílium conféssi, igne cremáti sunt.

11*. Cáccami in Sicília, beáti Ioánnis Liccio, presbýteri ex Ordine Prædicatórum, qui, indeféssa caritáte in próximos, precatiónis Rosárii propagatióne et reguláris disciplínæ stúdio conspícuus, annos centum et úndecim natus in Dómino quiévit.

12. In arce *Binh Dinh* in Cocincína, sancti Stéphani Theodóri Cuénot, epíscopi e Societáte Parisiénsi Missiónum ad ésteras gentes et mártyris, qui, post vigínti quinque annos in labóribus apostólicis peráctos, furénte in christiános persecutióne imperatóris Tự Đức, in elephántis stábulum coniéctus, ærúmnis exháustus occúbuit.

Die 15 novembris

Décimo séptimo Kaléndas decémbris. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
25	**26**	**27**	**28**	**29**	**30**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
14	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**

Sancti Albérti, cognoménto Magni, epíscopi et Ecclésiæ doctóris, qui Parísiis, in Ordinem Prædicatórum ingréssus, philosóphicas divinásque doctrínas ore et scriptis dócuit, magíster sancti Thomæ de Aquíno, sanctórum sapiéntiam cum humána ac naturáli sciéntia mirífice coniúngens; sedem Ratisbonénsem dein invítus recépit, pacem inter pópulos assídue firmáre enítens, sed post annum paupertátem Ordinis omni honóri præpósuit et Colóniæ Agrippínæ in Lotharíngia Germániæ pie obdormívit.

2. Hippóne Régio in Numídia, sanctórum vigínti mártyrum, quorum sanctus Augustínus celebrávit fidem et victóriam; ex his memorántur tantum nómina Fidentiáni, epíscopi, Valeriánæ et Victóriæ.

3. Edéssæ in Osrhoéne, sanctórum mártyrum Gúriæ, ascétæ, et Samónæ, qui, sub Diocletiáno imperatóre post diutúrnos sævósque cruciátus a Mysiáno præfécto ad mortem damnáti, gládio decolláti sunt.

4*. Nolæ in Campánia, sancti Felícis, cuius cura pastoráli et cultu hæc cívitas honestátur.

5. In Británnia Minóre, sancti Maclóvii seu Machúti, epíscopi Alethénsis, qui in Cámbria natus et apud Sántonas obiísse tráditur.

6*. Cadúrci in Aquitánia, sancti Desidérii, epíscopi, qui, plures exstrúxit ecclésias et monastéria, necnon ad commúnem utilitátem ædifícia, et ad cæléstem Sponsum ánimas, ut verum Christi templum, paráre mínime negléxit.

7*. In monte *Irschenberg* in Bavária, sanctórum Maríni, epíscopi, et Aniáni, mártyrum.

8*. Apud Rothómagum in Néustria, sancti Sidónii, abbátis, qui, ex Hibérnia oriúndus, vitam monásticam duxit, primum Gemmética, dein in Hério ínsula sub sancti Filibérti regímine, demum in monastério, quod ipse cóndidit.

9*. Rhenáugiæ apud Helvétios, sancti Fintáni, qui, ex Hibérnia oriúndus, diu in monastério diutiúsque in céllula prope ecclésiam reclúsus pro Dei amóre vixit.

10. In cœnóbio Claustri Neoburgénsis in Austria, depositío sancti Leopóldi, qui, eiúsdem terræ márchio, adhuc vivens cognómine «Pius» ornátus, pacis auctor, paupéribus et clero amícus éxstitit.

11*. Radíngæ in Anglia, beatórum mártyrum Hugónis Faringdon seu Cook, abbátis ex Ordine Sancti Benedícti, Ioánnis Eynon et Ioánnis Rugg, presbyterórum, qui Henríco regi Octávo primátum Ecclésiæ sibi affectánti tenáciter restitérunt, quaprópter proditiónis insimuláti, coram monastério láqueo suspénsi ferróque laniáti occubuérunt.

12*. Glastóniæ item in Anglia, beatórum mártyrum Richárdi Whiting, abbátis, Rogérii James et Ioánnis Thorne, presbyterórum ex

Ordine Sancti Benedícti, qui, proditiónis vel sacrilégii falso insimuláti, sub eódem rege ad éadem supplícia ducti sunt.

13*. Ferráriæ in Æmília, beátæ Lúciæ Broccadelli, religiósæ, quæ tum in matrimónio tum in monastério Tértii Ordinis Sancti Domínici multos dolóres vexationésque patiénter tulit.

14*. Nagasákii in Iapónia, beáti Caii Coreáni, mártyris, qui, catechísta, pro Christi confessióne igni tráditus est.

15. In loco *Caaró* in Paraquária, sanctórum Rochi González et Alphónsi Rodríguez, presbyterórum e Societáte Iesu et mártyrum, qui derelíctos Christo lucrifecérunt indígenos pópulos vicos « reductiónes » nuncupátos condéndo, ubi artes et vita sociális una cum christiána conversatióne líbere coniungeréntur, quaprópter a sicário viri mágicis ártibus addícti dolóse occísi sunt.

16. Romæ, sancti Ioséphi Pignatelli, presbýteri e Societáte Iesu, cui fere exstínctæ reficiéndæ ádmodum ipse operátus est, caritáte, humilitáte et integritáte morum insígnis, ad maiórem Dei glóriam semper inténtus.

17. In loco *Mengo* in Ugánda, sancti Ioséphi Mkasa Balikuddembé, mártyris, qui, aulæ régiæ præféctus, post baptísmum suscéptum multos iúvenes Christo lucrátus est puerósque áulicos a regis Mwenga vítiis túitus est; quam ob rem, vigínti quinque annos natus, ab iráto rege decollári iussus est, prima víctima eius persecutiónis.

18*. Matútæ in Ligúria Itáliæ, beátæ Maríæ a Passióne (Hélenæ) de Chappotin de Neuville, vírginis, quæ, humilitáte ac simplicitáte sancti Francísci íntimo péctore rapta, Soróres Franciscánas Missionárias Maríæ instítuit, curam mulíebris condiciónis in terris missiónis iúgiter ádhibens.

19. Apud *Wadowice* in Polónia, sancti Raphaélis a Sancto Ioseph (Ioséphi) Kalinowski, presbýteri, qui, pópulo contra oppressórem insurgénte, in bello geréndo ab hóstibus captus et in Sibériam deportátus, multas ærúmnas perpéssus et libertáti demum rédditus, Ordinem Carmelitárum Discalceatórum ingréssus est, quem valde promóvit.

Die 16 novembris

Sextodécimo Kaléndas decémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
15	16	17	18	19	20	20	21	22	23	24	25

Sanctæ Margarítæ, quæ, in Hungária nata et Malcólmo regi Scótiæ Tértio nupta, octo péperit fílios et de regni atque Ecclésiæ bono magnópere sollícita fuit, oratióni ieiuniísque largitátem iungens erga páuperes, exémplum sic præbens óptimæ cóniugis, matris et regínæ.

Sanctæ Gertrúdis, cognoménto Magnæ, vírginis, quæ, inde ab infántia solitúdini et litterárum stúdiis summo ardóre ac strenuitáte dédita, tota ad Deum convérsa monastérium Cisterciénsium Helpithénse prope Islébiam in Saxónia Germániæ ingréssa est, ubi mirum in modum viam perfectiónis cucúrrit, oratiónibus et contemplatióni Christi crucifíxi se dévovens. Ipsíus tránsitus postrídie huius diéi occúrrit.

3. Cápuæ in Campánia, sanctórum Augustíni et Felicitátis, mártyrum, qui sub Décio imperatóre passi esse ferúntur.

4*. Doli in território Bituricénsi Gálliæ, commemorátio sanctórum Leocádii et Lusóris, quorum prior, senátor Galliárum adhuc gentílis, primos apud Bituríges christiánæ fídei præcónes suscépit et in hoc vico domum suam fecit ecclésiam; alter vero, eius fílius, in albis neóphytæ de sǽculo migrásse fertur.

5. Lugdúni item in Gállia, sancti Euchérii, qui, ex órdine senatório, cum família primum in ínsula próxima Lirinénsem ad vitam ascéticam se cóntulit; dein epíscopus Lugdunénsis eléctus, plúrimas sanctórum mártyrum passiónes conscrípsit.

6*. Apud Helvétios, sancti Othmári, abbátis, qui loco cellæ a sancto Gallo cónditæ parvum pro leprósis valetudinárium et cœnóbium sub

observántia Régulæ sancti Benedícti fundávit, ob cuius iura defendénda mox in Rheni ínsulam a vicínis poténtibus deportátus exsul óbiit.

7*. In monastério Cavénsi in Campánia, beáti Simeónis, abbátis.

8. Apud Provínum Sénonum óppidum in Gállia, tránsitus sancti Edmúndi Rich, epíscopi Cantuariénsis, qui ob Ecclésiæ defensiónem exsílio afféctus, inter mónachos Cisterciénses Pontiníaci vitam sanctam agens óbiit.

9*. Asísii in Umbria ad Sanctum Damiánum, sanctæ Agnétis, vírginis, quæ sanctam Claram sorórem in flore iuventútis sequens, duce sancto Francísco paupertátem toto corde ampléxa est.

10*. Eboráci in Anglia, beáti Eduárdi Osbaldeston, presbýteri Lancastrénsis et mártyris, qui, alúmnus Collégii Anglórum Reménsis, sub Elísabeth regína Prima cápite damnátus quod Angliam sacérdos petivísset, suspéndii supplíciis tráditus est.

Die 17 novembris

Quintodécimo Kaléndas decémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
16	17	18	19	20	21	21	22	23	24	25	26

Memória sanctæ Elísabeth Hungáriæ, quæ adhuc puéllula, nupta est Ludovíco, cómiti Thuríngiæ, cui tres génuit fílios; vídua effécta, post graves ærúmnas fórtiter susténtas, iam dudum rerum cæléstium meditatióni inténta, Marbúrgi in Germánia in nosocomíum se recépit, quod condíderat, paupertátem ampléctens et in infírmos inopésque curándos se impéndens ad últimum usque spíritum vitæ, anno ætátis vigésimo quinto.

2. Neocæsaréæ in Ponto, sancti Gregórii, epíscopi, qui aduléscens fidem christiánam ampléxus est et, sive in humána sive in divína

sciéntia progréssus, epíscopus ordinátus est, doctrína, virtútibus, labóribus apostólicis clarus et propter plúrima signa ab ipso patráta Thaumatúrgus appellátus.

3. Cæsaréæ in Palæstína, sanctórum Alphǽi et Zachǽi, mártyrum, qui, primo anno persecutiónis Diocletiáni imperatóris, cum solum Deum et Christum regem Iesum fírmiter conféssi essent, post multa torménta capitálem senténtiam subiérunt.

4. Córdubæ in Hispánia Bǽtica, sancti Acíscli, mártyris.

5. Aureliáni in Gállia Lugdunénsi, sancti Aniáni, epíscopi, qui, soli Deo confídens, cuius adiutórium oratiónibus lacrimísque crebro impetrávit, civitátem suam ab Hunnis obséssam liberávit.

6*. Viénnæ in Burgúndia, sancti Namátii, epíscopi, qui tum civílibus offíciis recte functus est, tum sedem episcopálem ténuit atque ornávit.

7. Turónis in Néustria, sancti Gregórii, epíscopi, qui in hac sede sancto Euphrónio succéssit et históriam Francórum veráci et símplici sermóne conscrípsit.

8*. Vítbiæ in Northúmbria, sanctæ Hildæ, abbatíssæ, quæ fidem sacramentáque Christi suscépit et, monastérii curæ præpósita, ad monachórum ac moniálium reguláris vitæ institutiónem, ad pacis et caritátis custódiam, ad labórem et divinárum Scripturárum lectiónem tantópere incúbuit, ut in terris ópera cæléstia complevísse haberétur.

9*. Ramúsciæ in Rǽtia, sancti Floríni, presbýteri, curæ parœciáli fidéliter addícti.

10. Constantinópoli, sancti Lázari, mónachi, qui, in Arménia natus, sacrárum imáginum pictor arte insígnis, cum ópera sua evértere renuísset, Theóphili imperatóris iconoclástæ iussu diris supplíciis excruciátus est; mox vero controvérsia de recto iconárum cultu compósita, a Michaéle imperatóre Tértio Romam missus est ad concórdiam et unitátem totíus Ecclésiæ firmándam.

11*. Nucáriæ in Sicília, sancti Hugónis, abbátis, qui, a sancto Bernárdo Claravallénsi missus, ibídem et in Calábria Ordinem Cisterciénsem instítuit.

12. Lincólniæ in Anglia, sancti Hugónis, epíscopi, qui, ex mónacho Cartusiénsi ad hanc sedem episcopálem vocátus, tam in defendéndas libertátes Ecclésiæ quam in Iudǽos e mánibus inimicórum eripiéndos exímiam óperam navávit.

13*. Apud Cracóviam in Polónia, beátæ Salómeæ, quæ, regína Haliciénsis, cóniuge rege Colománo defúncto, Régulam Clarissárum proféssa est et abbatíssæ múnere sancte functa in monastério ab ipsa cóndito.

14. Helpíthis prope Islébiam in Saxónia, natális sanctæ Gertrúdis, vírginis, cuius memória prídie huius diéi reláta est.

15. Assumptióne in Paraquária, sancti Ioánnis del Castillo, presbýteri e Societáte Iesu et mártyris, qui in vico «reductióne» nuncupáto, eódem anno a sancto Rocho González fundáto et eius curis commísso, iussu viri mágicis ártibus addícti diris supplíciis afféctus et lapídibus óbrutus, pro Christo occúbuit.

16. Nagasákii in Iapónia, sanctórum Iordáni (Hyacínthi) Ansalone et Thomæ Hioji Rokuzayemon Nishi, presbyterórum ex Ordine Prædicatórum et mártyrum, quorum prior primum in ínsulis Philippínis, dein in Iapónia ádmodum pro Evangélio adlaborávit; alter vero in ínsula Formósa et, últimis annis, in pátria sua sédulus fuit in regióne Nagasakiénsi fídei propagátor, donec utérque invícto ánimo sub suprémo duce Tokugawa Yemitsu septem dies in furca et fóvea diris torméntis excruciátus occúbuit.

17*. In æquóribus ponti ad litus Rupifórtii in Gállia, beáti Lupi Sebastiáni Hunot, presbýteri Senonénsis et mártyris, qui, témpore gállicæ perturbatiónis ob sacerdótium in tábidam navem coniéctus ad áncoras in salo constitútam, ómnia captivitátis dira pátiens, fébribus demum oppréssus martýrium complévit.

18*. In civitáte *Čapaivca* in pago Kioviénsi Ucraínæ, beáti Iósaphat Kocylovskyj, epíscopi Premisliénsis et mártyris, qui, pátria regímine in Deum hoste oppréssa, Christi discípulus fidélis ánimam réddidit.

Die 18 novembris

Quartodécimo Kaléndas decémbris. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
28	**29**	**30**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
17	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**

Dedicátio basilicárum Sanctórum Petri et Pauli, Apostolórum, quarum prior, a Constantíno imperatóre in colle Vaticáno ædificáta, super sepúlcrum sancti Petri, sed vetustáte collábens, in amplióre forma restitúta, hac ipsa recurrénte die dénuo consecráta est; áltera vero via Ostiénsi, a Theodósio et Valentiniáno imperatóribus exstrúcta, dein miserándo incéndio consúmpta ac pénitus reædificáta, die décima decémbris dedicáta est. Quarum commúni commemoratióne fratérnitas Apostolórum unitásque Ecclésiæ quodámmodo significátur.

2. Antiochíæ in Sýria, sancti Románi, mártyris, qui, Ecclésiæ Cæsariénsis diáconus, cum in persecutióne Diocletiáni imperatóris christiános normis decretórum parére vidísset et ad idolórum simulácra properáre liberáque voce ad resisténdum excitavísset, post dira torménta et abscissiónem linguæ, in cárcere láqueo strangulátus, célebri martýrio coronátus est.

3*. Columbáriis in pago Bituricénsi Aquitániæ, sancti Pátrocli, presbýteri, qui eremíta et missionárius éxstitit.

4*. In Británnia Minóre, sancti Maudéti, abbátis, qui in desérta ínsula vitam duxit monásticam et, magíster vitæ spiritális, plures sanctos in númerum discipulórum congregávit.

5*. Constántiæ in Néustria, sancti Romachárii, epíscopi.

6*. In pago Velláico Aquitániæ, sancti Theofrédi, abbátis et mártyris.

7. Turónis in Néustria, tránsitus sancti Odónis, abbátis Cluniacénsis, qui observántiam monásticam iuxta Régulam sancti Benedícti et disciplínam sancti Benedícti Anianénsis instaurávit.

8*. Nagasákii in Iapónia, beatórum mártyrum Leonárdi Kimura, religiósi e Societáte Iesu, Andréæ Murayama Tokuan, Cosmæ Takeya, Ioánnis Yoshida Shoun, Domínici Jorge, qui pro christiáno nómine igne cremáti sunt.

9. In urbe Sancto Cárolo in Missúria e Civitátibus Fœderátis Américæ Septemtrionális, sanctæ Philippínæ Duchesne, vírginis e Soróribus a Sacro Corde Iesu, quæ, in Gállia nata, perturbatióne in pátria sæviénte, communitátem religiósam aggregávit et in Américam tránsiens multas scholas instítuit.

10*. Fabratériæ apud Frusinónem in Itália, beáti Grimoáldi a Purificatióne (Ferdinándi) Santamaria, religiósi e Congregatióne Passiónis, qui, dum fervóre et gáudio ad sacerdótium se parábat, morbo corréptus pie óbiit.

11*. In vico *Wal-Ruda* in Polónia, beátæ Carolínæ Kózka, vírginis et mártyris, quæ, bello flagránte, cum a mílite castitátem suam deféndere voluísset, ense concússa adhuc aduléscens pro Christo occúbuit.

12*. Apud Matrítum in Hispánia, beatárum Maríæ a Refúgio (Maríæ Gabriélæ) Hinojosa y Naveros et quinque sociárum,[1] vírginum ex Ordine Visitatiónis Sanctæ Maríæ et mártyrum, quæ, persecutióne sæviénte, in monastérium reclúsæ, sed dolóse a militiánis apprehénsæ, plumbis cæsæ ad Christum Sponsum migravérunt.

[1] Quarum nomina: beatæ Teresia Maria (Laura) Cavestány y Anduaga, Iosepha Maria (Maria del Carmen) Barrera y Izaguirre, Maria Agnes (Agnes) Zudaire y Galdeano, Maria Angela (Martina) Olaizola y Garagarza, Maria Engratia (Iosepha Ioachima) Lecuona y Aramburú.

Die 19 novembris

Tertiodécimo Kaléndas decémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
18	19	20	21	22	23	23	24	25	26	27	28

1. Commemorátio sancti Abdíæ, prophétæ, qui post pópuli Israel exsílium iram Dómini contra gentes inimícas nuntiávit.

2. Cæsaréæ in Cappadócia, sancti Máximi, chorepíscopi et mártyris.

3. In vico Brennáco prope Viénnam in Gállia Lugdunénsi, sanctórum Severíni, Exsupérii et Feliciáni, mártyrum.

4. Antiochíæ in Sýria, sancti Bárlaam, mártyris, qui, agréstis et rudis, sed Christi sapiéntia munítus, igne cum thure mánui impósito per invíctam fídei constántiam réstitit et ob feróciam tyránni ad palmam pervénit.

5. Heracléæ in Thrácia, sanctárum mulíerum, vírginum et viduárum, número quadragínta, mártyrum.

6*. In pago Velláico Aquitániæ, sancti Eudónis, abbátis.

7*. In monte Mercúrio in Calábria, sancti Simónis, eremítæ.

8*. In monastério Helpithénsi in Saxónia, sanctæ Mechtíldis, vírginis, quæ, múlier exquisítæ doctrínæ ac humilitátis fuit, supérno dono illustráta mýsticæ contemplatiónis.

9*. Mántuæ in Langobárdia, beáti Iacóbi Benfatti, epíscopi, ex Ordine Prædicatórum, qui, dissídiis in civitáte compósitis, pópulum peste ac fame laborántem sublevávit.

10*. In vico *Garraf* in pago Valentíno Hispániæ, beatórum mártyrum Eliséi García, religiósi e Societáte Salesiána, et Alexándri Planas Saurí, qui, témpore persecutiónis erga fidem, Christi salvífico certámini sociári dignáti sunt.

Die 20 novembris

Duodécimo Kaléndas decémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
19	20	21	22	23	24	24	25	26	27	28	29

1. Antiochíæ in Sýria, sancti Basilíi, mártyris.

2. In civitáte Astigitána in Hispánia Bǽtica, sancti Crispíni, epíscopi et mártyris.

3. Doróstori in Mœsia, sancti Dásii, mártyris.

4. Augústæ Taurinórum in Ligúria, sanctórum Octávii, Solutóris et Adventóris, mártyrum.

5*. Vercéllis item in Ligúria, sancti Theonésti, mártyris, in cuius honórem sanctus Eusébius epíscopus exstrúxit basílicam.

6*. Benevénti in Campánia, sancti Dori, epíscopi.

7. Cabillóni in Burgúndia, sancti Silvéstri, epíscopi, qui, quadragésimo secúndo sui sacerdótii anno, plenus diérum atque virtútum migrávit ad Dóminum.

8*. Ad montem Iuram in território Lugdunénsi, sancti Hippólyti, abbátis et epíscopi.

9. Constantinópoli, sancti Gregórii Decapolitáni, mónachi, qui monásticam primum et anachoréticam póstea vitam proféssus est; dein peregrínus efféctus, Thessalonícæ diútius consédit, tandem Constantinópoli, ubi pro defensióne sacrárum Imáginum fórtiter decértans ánimam Deo restítuit.

10. In Anglia, sancti Edmúndi, mártyris, qui, rex Anglórum orientálium, in prœ́lio contra pagános invasóres captus pro Christi fide martýrio coronátus est.

11. Hildésiæ in Saxónia Germániæ, sancti Bernwárdi, epíscopi, qui gregem ab incursiónibus deféndit, cleri disciplínam plúribus sýnodis instaurávit vitámque monásticam fovit.

12*. In Calábria, sancti Cypriáni, abbátis Calaminténsis, qui orientálium institúta et exémpla fidéliter custodívit, in se sevérus, paupéribus vero largus omnibúsque bonus consiliárius.

13. Hanóii in Tunquíno, sancti Francísci Xavérii Cần, mártyris, qui, catechísta, sub imperatóre Minh Mạng pro fide strangulátus et decollátus est.

14*. Vérulis in Látio Itáliæ, beátæ Maríæ Fortunátæ (Annæ Felícis) Viti, ex Ordine Sancti Benedícti, quæ per totum fere vitæ cursum vestiárii curam gessit, solis Régulæ præcéptis toto corde servándis inténta.

15*. Prope Valéntiam in Hispánia, beatárum Angelæ a Sancto Ioseph (Francíscæ) Lloret Martí et quattuórdecim sociárum,[2] vírginum et mártyrum, quæ, áltera antístita generális, réliquæ religiósæ e Congregatióne Doctrínæ Christiánæ, persecutióne erga Ecclésiam in bello civíli sæviénte, pro Christi fide passæ sunt.

16*. In vico *Picadero de Paterna* item in pago Valentíno Hispániæ, beátæ Maríæ a Miráculis Ortells Gimeno, vírginis ex Ordine Clarissárum Capuccinárum et mártyris, in eádem tempestáte ob Christi testimónium coronátæ.

[2] Quarum nomina: beatæ Maria a Suffragio (Antonia Maria) Orts Baldó, Maria a Doloribus (Maria de Monte Serrato) Llimona Planas, Teresia a Sancto Ioseph (Ascensio) Duart y Roig, Elisabeth Ferrer Sabriá, Maria ab Assumptione (Iosepha) Mongoche Homs, Maria a Conceptione (Æmilia) Martí Lacal, Maria Gratia (Paula) a Sancto Antonio, Cor Iesu (Maria a Purificatione) Gómez Vives, Maria a Succursu (Teresia) Jiménez Baldoví, Maria a Dolóribus (Gertrudis) Surís Brusola, Ignatia a Sanctissimo Sacramento (Iosepha) Pascual Pallardó, Maria a Rosario (Catharina) Calpe Ibáñez, Maria a Pace (Maria Isabella) López García, Marcella a Sancto Thoma (Aurea) Navarro.

Die 21 novembris

Undécimo Kaléndas decémbris. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
1	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
20	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**30**

Memória Præsentatiónis beátæ Maríæ Vírginis. Postrídie dedicatiónis basílicæ Sanctæ Maríæ Novæ, prope murum templi Hierosolymitáni exstrúctæ, celebrátur dedicátio illa, quam sui ipsíus Deo ab infántia exhíbuit futúra Dei Génetrix, movénte Spíritu Sancto, cuius grátia repléta erat in conceptióne sua immaculáta.

2. Commemorátio sancti Rufi, quem beátus Paulus Apóstolus ad Romános scribens eléctum esse a Dómino dicit.

3. Paréntii in Hístria, sancti Mauri, epíscopi et mártyris.

4. Cæsaréæ in Palæstína, sancti Agápii, mártyris, qui, iam sǽpius torméntis excruciátus, sed semper ad maióra certámina dilátus, in amphitheátri ludis coram ipso Maximíno, urso vorándus tráditus est et, cum adhuc spiráret, póstera die, lapídibus pédibus appénsis, in mare demérsus.

5. Romæ apud sanctum Petrum, sancti Gelásii papæ Primi, qui, doctrína et sanctitáte conspícuus, ne unitáti Ecclésiæ imperiális auctóritas obésset, duórum regíminum proprietátes ac mútuam libertátem primus fúnditus illustrávit; summa caritáte et necessitátibus egenórum motus, ut paupéribus subveníret, paupérrimus óbiit.

6. Cæsénæ in Flamínia, sancti Mauri, epíscopi.

7*. Romæ, beátæ Maríæ a Iesu Bono Pastóre (Francíscæ) de Siedliska, vírginis, quæ, e Polónia ob angústias rei públicæ profécta, Institútum Sorórum Sanctæ Famíliæ Nazarethánæ fundávit ad curam pátriæ suæ migrántium.

Die 22 novembris

Décimo Kaléndas decémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
2	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
21	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**26**	**27**	**28**	**29**	**30**	**1**

Memória sanctæ Cæcíliæ, vírginis et mártyris, quæ dúplicem illam palmam Romæ in cœmetério Callísti via Appia pro Christi amóre consecúta esse tráditur cuiúsque nomen títulus ecclésiæ Transtiberínus antíquitus præbet.

2. Commemorátio sancti Philémonis Colosséensis, cuius caritáte in Christum Iesum beátus Paulus Apóstolus gavísus est et qui una cum sancta Apphía uxóre cólitur.

3. Arbélis in Pérside, sancti Ananíæ, mártyris, qui, témpore persecutiónis Sáporis regis Secúndi, iubénte Ardisag archimágo, comprehénsus est ac fústibus ter tanta sævítia cæsus, ut carnífices, eum iam interiísse rati, iacéntem in platéa relínquerent; nocte vero insequénti a christiánis domum suam delátus est, ubi ánimam exhalávit.

4. Medioláni in Ligúria, sancti Benígni, epíscopi, qui in magna invasiónum perturbatióne Ecclésiam ipsi commíssam summa constántia et religióne administrávit.

5. Augustodúni in Gállia Lugdunénsi, sancti Pragmátii, epíscopi.

6*. Apud rivum *Žihun* prope urbem *Maraš* in Cilícia, beatórum Salvatóris Lilli, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum, Ioánnis fílii Balži atque aliórum sex sociórum armenórum génere,[3] mártyrum, qui, a milítibus Othománis Christum negáre iussi, cum fidem suam pródere recusássent, cuspídibus transfóssi ad regnum ætérnum migravérunt.

[3] Quorum nomina: beati K'adir filius Xodianin, Cerun filius K'uraži, Vardavar filius Dimbalac, Paulus filius Ieremiæ, David et Theodorus filii Davidis, fratres.

7*. In vico Trióra in Ligúria Itáliæ regióne, beáti Thomæ Reggio, epíscopi Ianuénsis, qui, austeritáti vitæ miram suavitátem morum coniúngens, concórdiam civílem conciliávit atque inópibus omnímodo ádstitit, máxime agens curam humáni cœtus difficultátum.

8. In urbe *Teocaltitlán* in México, sancti Petri Esqueda Ramírez, presbýteri et mártyris, qui in persecutióne mexicána propter sacerdótium in cárcerem coniéctus est, demum plumbis interféctus.

9*. In civitáte *Paterna* in pago Valentíno Hispániæ, beatórum Elíæ (Iuliáni) Torrijo Sánchez et Bertrándi (Francísci) Lahoz Moliner, religiosórum ex Institúto Fratrum Scholárum Christianárum et mártyrum, qui, Christi exémplo suffúlti, in persecutióne religiósa præmium ætérnum perseverántibus promíssum cónsequi mériti sunt.

Die 23 novembris

Nono Kaléndas decémbris. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
3	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
22	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**27**	**28**	**29**	**30**	**1**	**2**

Sancti Cleméntis papæ Primi, mártyris, qui, tértius post beátum Petrum Apóstolum, Románam rexit Ecclésiam et ad Corínthios præcláram scripsit epístulam ad pacem et concórdiam inter illos firmándam. Hac die depositío córporis eius Romæ cólitur.

Sancti Columbáni, abbátis, qui hibérnus génere, pro Christo peregrínus efféctus ad gentes Gálliæ in Evangélio erudiéndas, Luxoviénse cum multis áliis monastériis fundávit, quæ ipse arcto regímine gubernávit; dehinc exsuláre coáctus, Alpes transgréssus est et Bobiénse cœnóbium in Ligúria cóndidit, disciplína ac stúdiis célebre, ubi óptime de Ecclésia méritus in pace óbiit et eius corpus hac die depósitum est.

3. Romæ in cœmetério Máximi via Salária Nova, sanctæ Felicitátis, mártyris.

4. Apud Clúsium in Etrúria, sanctæ Mustíolæ, mártyris.

5. Cýzici in Hellespónto, sancti Sisínnii, epíscopi et mártyris, qui in persecutióne Diocletiáni imperatóris post multa torménta gládio cæsus esse fertur.

6*. Metis in Gállia Bélgica, commemorátio sancti Cleméntis, qui primus epíscopus huius civitátis habétur.

7. Eméritæ in Lusitánia, sanctæ Lucrétiæ, mártyris.

8. Icónii in Lycaónia, sancti Amphilóchii, epíscopi, qui, sanctórum Basilíi et Gregórii Nazianzéni in erémo sócius et in episcopátu colléga, sanctitáte et doctrína clarus, multa suscépit pro cathólica fide certámina.

9. Parísiis in Gállia Lugdunénsi, sancti Severíni, qui in cella reclúsus divínæ contemplatióni vacávit.

10. Agrigénti in Sicília, sancti Gregórii, epíscopi, qui libros sacros illustravísse vidétur, ut ábdita imperítis pánderet.

11. Sarchínii in Brabántia Austrásiæ, sancti Trudónis, presbýteri, qui bona sua Ecclésiæ Meténsi trádidit et ibídem monastérium ædificávit discipulósque congregávit.

12*. Albæ Pompéiæ in Subalpínis, beátæ Margarítæ de Sabáudia, quæ, vídua effécta, in monastério moniálium Ordinis Prædicatórum, quod ipsa fundáverat, Deo se trádidit.

13. Seuli in Coréa, sanctæ Cæcíliæ Yu So-sa, mártyris, quæ, vídua, propter fidem bonis destitúta et in cárcerem ducta, duodécies in quæstiónes postuláta est et ita supplício vérberum affécta, ut in cárcere prope octogenária obíret.

14*. In vico *Guadalupe* in território Zacatecénsi in México, beáti Michaélis Augustíni Pro, presbýteri e Societáte Iesu et mártyris, qui, persecutióne contra Ecclésiam sæviénte, quasi facínoris sócius sine iudício cápite damnátus, martýrium, quod eius ardens votum erat, complévit.

15*. Apud Matrítum in Hispánia, beátæ Maríæ Cæcíliæ (Maríæ Felicitátis) Cendoya y Araquistain, vírginis ex Ordine Visitatiónis Sanctæ Maríæ et mártyris, quæ in magna persecutióne, cum eius soróres comprehénsæ essent, sponte eádem nocte militiánis se trádidit et cum sodálibus fídei testimónium suprémo sacrifício confirmávit.

Die 24 novembris

Octávo Kaléndas decémbris. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
4	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
23	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**28**	**29**	**30**	**1**	**2**	**3**

Memória sanctórum Andréæ Dũng Lạc, presbýteri, et sociórum,[4] mártyrum. Commúni enim celebratióne centum decem et septem honorántur mártyres in Tunquinénsi, Anna-

[4] Quorum nomina: sancti Clemens Ignatius Delgado Cebrián, Dominicus Henares, Hieronymus Hermosilla, Iosephus Maria Díaz Sanjurjo, Melchior García Sanpedro, Petrus Dumoulin-Borie, Valentinus Berrio Ochoa, episcopi; Augustinus Schoeffler, Bernardus Vũ Văn Duệ, Dominicus Cẩm, Dominicus Mậu, Dominicus Nguyễn Văn (Đoàn) Xuyên, Dominicus Nguyễn Văn Hạnh (Diêu), Dominicus Trạch, Dominicus Tước, Emmanuel Nguyễn Văn Triệu, Franciscus Gil de Federich, Franciscus Jaccard, Hyacinthus Castañeda, Iacobus Đỗ Mai Năm, Ioannes Carolus Cornay, Ioannes Đạt, Ioannes Đoàn Trinh Hoan, Ioannes Ludovicus Bonnard, Ioannes Theophanes Vénard, Iosephus Đặng Đình (Niên) Viên, Iosephus Đỗ Quang Hiền, Iosephus Fernández, Iosephus Marchand, Iosephus Nguyễn Đình Nghi, Iosephus Tuấn, Isidorus Gagelin, Laurentius Nguyễn Văn Hưởng, Lucas Vũ Bá Loan, Martinus Tạ Đức Thịnh, Matthæus Alonso de Leziniana, Paulus Lê Bảo Tịnh, Paulus Lê-Văn-Lộc, Paulus Nguyễn Ngân, Paulus Phạm Khắc Khoan, Petrus Almato Ribeira, Petrus Đoàn Công Quý, Petrus Franciscus Néron, Petrus Khanh, Petrus Lê Tùy, Petrus Nguyễn Bá Tuân, Petrus Nguyễn Văn Lựu, Petrus Nguyễn Văn Tự, Petrus Trưởng Văn Thi, Philippus Phan Văn Minh, Thomas Đinh Viết Dụ, Thomas Khuông, Vincentius Đỗ Yến, Vincentius Lê Quang Liêm, Vincentius Nguyễn Thế Điểm, presbyteri; Andreas Nguyễn Kim Thông Nam (Nam Thuông), Antonius Nguyễn Hữu (Nam) Quỳnh, Dominicus Bùi Văn Úy, Franciscus Xaverius Cần, Franciscus Xaverius Hà Trọng Mậu, Ioannes Baptista Đinh Văn Thành, Iosephus Nguyễn Đình Uyển, Iosephus Nguyễn Duy Khang, Iosephus Nguyễn Văn Lựu, Matthæus Nguyễn Văn Phượng, Paulus Nguyễn Văn Mỹ, Petrus Đoàn Văn Vân, Petrus Nguyễn Khắc Tự, Petrus Nguyễn Văn Hiếu, Petrus Trưởng Văn Đường, Petrus Vũ Văn Truật, Thomas Toán, catechistæ; Agnes Lê Thị Thành (Đê), Andreas Tường, Andreas Trần Văn Trông, Antonius Nguyễn Đích, Augustinus Nguyễn Văn Mới, Augustinus Phan Viết Huy, Dominicus Huyên, Dominicus Mạo, Dominicus Ngôn, Dominicus Nguyên, Dominicus Nhi, Dominicus Nicolaus Đinh Đạt, Dominicus Ninh, Dominicus Phạm Trọng (Án) Khảm, Dominicus Toại, Emmanuel Lê Văn Phụng, Emmanuel Lê Văn Phụng, Franciscus Đỗ Minh Chiểu, Franciscus Trần Văn Trung, Ioannes Baptista Cơn, Iosephus Hoàng Lưởng Cảnh, Iosephus Lê Đăng Thị, Iosephus Phạm Trọng (Cai) Tả, Iosephus Tuân, Iosephus Túc, Lucas (Cai) Thìn, Martinus Thọ, Matthæus Lê Văn Gẫm, Michael Hồ Đình Hy, Michael Nguyễn Huy Mỹ, Nicolaus Bùi Viết Thể, Paulus Hạnh,

miénsi et Cocinchinénsi Asiæ regiónibus, inter quos octo epíscopi, permúlti presbýteri atque ingens turba christifidélium laicórum utriúsque sexus et omnis condiciónis ac ætátis, qui omnes exsília, cárceres, cruciátus, extréma dénique supplícia pati maluérunt quam crucem calcáre et a christiána fide labi.

2. Aquiléiæ in Venétia, commemorátio sancti Chrysógoni, mártyris, qui Romæ die anniversária dedicatiónis ecclésiæ in título eiúsdem nóminis cólitur.

3. Amériæ in Umbria, sanctæ Firmínæ, mártyris.

4. Medioláni in Ligúria, sancti Protásii, epíscopi, qui apud Constántem imperatórem causam sancti Athanásii deféndit et in Concílio Sardicénsi sedit.

5. In castro Blávio territórii Burdigalénsis in Aquitánia, sancti Románi, presbýteri.

6*. Cluáni in Hibérnia, sancti Colmáni, epíscopi Cloynénsis.

7. In território Arvérno Aquitániæ, sancti Portiáni, abbátis, qui, servus in iuventúte, apud monastérium refúgium et libertátem quæsívit, ubi mónachus efféctus, deínde abbas, senex óbiit fessus ieiúniis.

8. Córdubæ in Vandalícia Hispániæ regióne, sanctárum Floræ et Maríæ, vírginum et mártyrum, quæ in Maurórum persecutióne cum sancto Eulógio in cárcerem coniéctæ sunt, deínde gládio interémptæ.

9. Remis in Gállia, pássio sancti Albérti Lovaniénsis, epíscopi Leodiénsis et mártyris, qui ob Ecclésiam defénsam exsílio afféctus, ibídem eódem anno et ordinátus et necátus est.

10*. In monastério Cavénsi in Campánia, beáti Bálsami, abbátis, qui inter túrbida et conflictiónes ætátis suæ cum sapiéntia et prudéntia múnere suo functus est.

Paulus Tống Viết Bường, Petrus Đa, Petrus Đông, Petrus Dũng, Petrus Thuần, Petrus Võ Đăng Khoa, Simon Phan Đắc Hòa, Stephanus Nguyễn Văn Vinh, Thomas Nguyễn Văn Đệ, Thomas Trần Văn Thiện, Vincentius Đưởng, Vincentius Tường.

11. In urbe *Đồng Hới* in Annámia, sanctórum mártyrum Petri Dumoulin-Borie, epíscopi e Societáte Parisiénsi Missiónum ad ésteras gentes, Petri Võ Đăng Khoa et Vincéntii Nguyễn Thế Điểm, presbyterórum, quorum primus decollátus est, céteri vero stranguláti, iussu imperatóris Minh Mạng.

12*. Medioláni in Itália, beátæ Maríæ Annæ Sala, vírginis e Congregatióne Sorórum a Sancta Marcellína, quæ tota ad puéllas instituéndas incúbuit, sciéntiæ magístra fide ac pietáte suffúltæ.

13*. In vico *Picadero de Paterna* in pago Valentíno Hispániæ, beatárum Nicéthæ a Sancta Prudéntia Plaja Xifra et sociárum,[5] vírginum ex Institúto Sorórum Carmelitárum a Caritáte et mártyrum, quæ, lámpades splendéntes geréntes, cum Christo Sponso ad dapes ætérnas intráre dignátæ sunt.

Die 25 novembris

Séptimo Kaléndas decémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
24	25	26	27	28	29	29	30	1	2	3	4

Sanctæ Catharínæ, quam vírginem fuísse Alexandrínam et mártyrem narrátur, ingénii acúmine et sapiéntia non minus quam ánimi róbore refértam. Eius corpus in célebri cœnóbio in monte Sina pia cólitur veneratióne.

2. Cæsaréæ in Cappadócia, sancti Mercúrii, mártyris.

[5] Quarum nomina: Paula a Sancta Anastasia Isla Alonso, Antonia a Sancto Timotheo Gosens Sáez de Ibarra, Daria a Sancta Sophia Campillo Paniagua, Erundina a Domina Nostra a Monte Carmelo Colino Vega, Consolata a Sanctissimo Sacramento Cuñado González, Concepta a Sancto Ignatio Odriozola Zabalía, Feliciana a Domina Nostra a Monte Carmelo de Uribe Orbe, Concepta a Sancta Magdalena Rodríguez Fernández, Iusta a Maria Immaculata Maiza Goicoechea, Clara a Domina Nostra a Spe Ezcurra Urrutia et Candidæ a Domina Nostra Angelorum Cayuso González.

3. Romæ, commemorátio sancti Móysis, presbýteri et mártyris, qui, sancto Fabiáno papa sub Décio imperatóre interémpto, una cum presbyterórum collégio curam fratrum in Ecclésia egit; pacem lapsis infírmis et in éxitu constitútis dandam iudicávit et, in cárcere diu deténtus, sæpe per sancti Cypriáni Carthaginénsis lítteras eos consolátus, exímio et admirábili martýrio coronátus est.

4. Alexandríæ in Ægýpto, sancti Petri, epíscopi et mártyris, qui, ómnibus virtútibus exornátus, repénte, Galérii Maximiáni imperatóris iussu cápite obtruncátus, magnæ persecutiónis última víctima et sigíllum mártyrum éxstitit. Cum eo commemorántur epíscopi tres ægýptii, scílicet Hesýchius, Pachómius et Theodórus, cum multis áliis, qui, item Alexandríæ in eádem persecutióne passi sunt, gládio crudéli ad cælum evécti.

5. In Numídia, sancti Márculi, epíscopi, qui, ut fertur, Constántis imperatóris témpore, a Macário quodam e rupe præcipitátus martyr occúbuit.

6*. In agro Agennénsi in Aquitánia, sancti Mauríni, mártyris, qui, ad plebem rurálem evangelizándam incúmbens, a pagánis trucidátus esse tráditur.

7*. In pago Gálliæ Valentinénsi, beátæ Beatrícis de Ornacieux, vírginis ex Ordine Cartusiénsi, quæ, amóre Crucis insígnis, in cœnóbio Emoscénsi, quod condíderat, in extréma paupertáte vixit et óbiit.

8*. Ruéthis in Suévia, beátæ Elísabeth Achler, cognoménto Bonæ, vírginis, quæ, in Tértio Ordine Regulári Sancti Francísci quasi reclúsa vivens, humilitátem, paupertátem corporísque afflictiónem mirífice cóluit.

9. Seuli in Coréa, sancti Petri Yi Ho-yŏng, mártyris, qui, catechísta, una cum soróre sancta Agatha Yi So-sa a satellítibus captus, cum in confessióne fídei firmus permansísset, ter confráctis ei óssibus, quáttuor annos in cárcere deténtus est, ubi primus gloriósi ágminis mártyrum huius natiónis óbiit.

10*. In vico *Puebla de Híjar* prope Terúlium in Hispánia, beáti Hyacínthi Serrano López, presbýteri ex Ordine Prædicatórum et mártyris, in persecutióne erga Ecclésiam plumbis transfóssi. Cum eo comme-

morátur beátus martyr Iacóbus Meseguer Burillo, présbyter ex eódem Ordine, qui pro Christo Barcinóne ignóto die egrégium perégit certámen.

Die 26 novembris

Sexto Kaléndas decémbris. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
6	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
25	**26**	**27**	**28**	**29**	**1**	**30**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**

1. Romæ in cœmetério Priscíllæ via Salária Nova, sancti Sirícii, papæ, quem vere magístrum laudat sanctus Ambrósius, útpote qui, ómnium episcopórum ferens póndera, eos Patrum dócuit documénta, quæ et apostólica auctoritáte firmávit.

2. Hadrianópoli in Paphlagónia, sancti Alýpii, diáconi et stylítæ, qui prope centenárius óbiit.

3. Constántiæ in Suévia Germániæ, sancti Conrádi, epíscopi, qui, óptimus gregis sui pastor, de suis lárgiter Ecclésiæ et paupéribus provídit.

4. Lacedǽmone in Peloponnéso, sancti Nicónis, mónachi, qui, post cœnobíticam et eremíticam vitam in Asia ductam, óperam impéndit in ínsulam Cretam Saracenórum iugo liberátam ad christiános mores evangélico zelo reducéndam; Grǽciam dein pæniténtiam prǽdicans peragrávit, donec in Spartáno cœnóbio, quod condíderat, óbiit.

5. In silva apud Fractam in território Rhodigiénsi in Venétia, pássio sancti Bellíni, epíscopi Patavíni et mártyris, qui, Ecclésiæ defénsor exímius, a sicáriis crudéliter intercéptus, multis illátis vulnéribus occúbuit.

6*. In monastério Canonicórum Regulárium Sisiénsi in Sabáudia, beáti Póntii Falciniacénsis, qui, olim abbas Abundántiæ, múnere depósito, tamquam simplex religiósus vóluit obíre.

7. Apud Fabriánum in Picéno Itáliæ, sancti Silvéstri Gozzolini, abbátis, qui, cum ante apértum sepúlcrum amíci paulo ante defúncti omnem vanitátem mundi intellexísset, in erémum secéssit et, cum várias mutavísset sedes, ut magis hómines latéret, tandem in desérto apud Montemfánum Congregatiónis Silvestrinórum fundaménta iecit, sub Régula sancti Benedícti.

8*. Aptæ Iúliæ in Província, beátæ Delphínæ, cóniugis sancti Elzeári de Sabran, quocum ambos castos fore vovit et post cuius mortem in paupertáte et oratióne mansit.

9*. Eboráci in Anglia, beatórum mártyrum Hugónis Taylor, presbýteri, et Marmadúci Bowes, quorum prior, iúvenis, quod sacérdos Angliam petivísset, alter vero, senex, quod eúndem sacerdótem adiuvísset, sub Elísabeth regína Prima patíbuli supplício affécti sunt.

10. Bisiniáni in Calábria, sancti Húmilis (Lucæ Antónii) Pirozzo, religiósi ex Ordine Fratrum Minórum, spíritu prophetíæ et extásium frequéntia clari.

11. Romæ in convéntu Sancti Bonaventúræ in Palatíno, sancti Leonárdi de Portu Maurítio, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum, qui, zelo animárum replétus, totam pæne vitam in prædicatiónes, in pios libros edéndos atque in trecéntas ámplius missiónes in Urbe, in ínsula Córsica et per Itáliam septemtrionálem visitándas impéndit.

12. In urbe *Nam Định* in Tunquíno, sanctórum Thomæ Đinh Viết Dụ et Domínici Nguyễn Văn (Đoàn) Xuyên, presbyterórum ex Ordine Prædicatórum et mártyrum, qui ex decréto imperatóris Minh Mạng simul decolláti sunt.

13*. Passáni prope Vicétiam in Itália, beátæ Caietánæ Sterni, religiósæ, quæ, adhuc iúvenis in viduitáte relícta, omníno páuperum se dedit servítio et Congregatiónem Sorórum a Divína Voluntáte instítuit, quæ paupéribus infirmísque ministrárent.

14*. Romæ, beáti Iacóbi Alberione, presbýteri, qui, evangelizatiónis summópere sollícitus, omni ope ac stúdio enísus est instruménta com-

municatiónis sociális in bonum humánæ societátis fléctere et tamquam subsídia effícere, quæ Christi veritátem efficácius nuntiárent, quaprópter Congregatiónem Piæ Societátis a Sancto Paulo Apóstolo fundávit.

Die 27 novembris

Quinto Kaléndas decémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
26	27	28	29	1	2	1	2	3	4	5	6

1. Apud Cæam flúvium in Gallǽcia, sanctórum Facúndi et Primitívi, mártyrum.

2. Gruménti in Lucánia, sancti Lavérii, mártyris.

3. Aquiléiæ in Venétia, sancti Valeriáni, epíscopi, qui advérsus ariános fidem orthodóxam in Illýrico deféndit et cléricos ac láicos ad vitam commúnem ducéndam congregávit.

4. In Pérside, sancti Iacóbi, cognoménto Intercísi, mártyris, qui, témpore Theodósii iunióris imperatóris, cum in Iasdigérdis regis obséquium Christum negavísset, acérbe a matre sua et uxóre increpátus, hinc in se revértit et intrépide coram Varáme, Iasdigérdis fílio ac successóre, se christiánum conféssus est; ideóque ab iráto rege, lata in eum mortis senténtia, membrátim iussus est concídi et cápite obtruncári.

5. Apud Régium in Província, sancti Máximi, post sanctum Honorátum Lirinénsis cœnóbii patris et mox Reiénsis Ecclésiæ epíscopi.

6*. In pago Blesénsi Gálliæ, sancti Eusícii, solitárii, qui ad Cari crepídinem céllulam sibi éxstruit.

7*. Carpentoráte in Província, sancti Siffrídi, epíscopi.

8*. Noviómi in Gállia, sancti Achárii, epíscopi, qui, ex mónacho Luxoviénsi ad Novioménsem Ecclésiam atque Tornacénsem eléctus, pópulis aquilonárium regiónum evangelizándis se trádidit.

9*. Mogúntiæ in Rhenánia Austrásiæ, sanctæ Bilhíldis, vírginis, quæ cœnóbium exstrúxit, in quo pie óbiit.

10*. In Scótia, sancti Fergústi, epíscopi, qui apud Pictos munus exercuísse créditur.

11. Salisbúrgi in Bavária, sancti Virgílii, epíscopi, viri doctíssimi, natióne hibérni, qui, Pippíno rege favénte, Ecclésiæ Salisburgénsi præféctus est; ibi ecclésiam cathedrálem in honórem sancti Rupérti exstrúxit atque fídei inter Carantános disseminándæ óperam felíciter navávit.

12*. In loco Bello Visu ad litus Gálliæ in pago Nanneténsi Británniæ Minóris, sancti Gulstáni, mónachi, qui, iúvenis e mánibus piratárum evásus et a sancto Felíce, tunc eremíta, accéptus, in monastério Rhuvigiénsi illitterátus memóriter psaltério recitándo et navigántibus providéndo cláruit.

13*. Aquilæ in Vestínis Itáliæ, beáti Bernardíni de Fossa (Ioánnis) Amici, presbýteri ex Ordine Minórum, qui cathólicam fidem plures in Itáliæ províncias propagávit.

14*. Nagasákii in Iapónia, beatórum Thomæ Koteda Kiuni et decem sociórum,[6] mártyrum, qui in ódium fídei iussu Gonzuku præsidis decolláti sunt.

15*. Intra castra detentiónis Dacháni prope Monáchium Baváriæ in Germánia, beáti Bronislái Kostowski, mártyris, qui, témpore Polóniæ more militári in bello occupátæ, diris torméntis in cárcere afflíctus palmam martýrii adéptus est.

[6] Quorum nomina: beati Bartholomæus Seki, Antonius Kimura, Ioannes Iwanaga, Alexius Nakamura, Leo Nakanishi, Michael Takeshita, Matthias Kozasa, Romanus Matsuoka Miota, Matthias Nakano Miota, Ioannes Motoyama.

Die 28 novembris

Quarto Kaléndas decémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
27	28	29	1	2	3	2	3	4	5	6	7

1. Sebáste in Arménia, sancti Irenárchi, mártyris, qui, supplícii exáctor, christianárum mulíerum constántia ad Christum convérsus atque sub Diocletiáno imperatóre et Máximo præside secúri percússus esse fertur.

2. In Africa, commemorátio sanctórum mártyrum Papiniáni Viténsis et Mansuéti Urusitáni, episcopórum, qui, témpore vandálicæ persecutiónis, sub Genseríco rege ariáno pro cathólicæ fídei defensióne, candéntibus ferri láminis toto córpore adústi, gloriósum agónem consummavérunt. Quo témpore, étiam álii sancti epíscopi, scílicet Urbánus Girbitánus, Crescens Byzaciénsis, Habetdéus Teudalénsis, Eustrátius Sufetánus, Crescónius Oëénsis, Vicis Sabraténsis, Felix Hadrumetánus, posteáque, sub Hunneríco, Genseríci fílio, Hortulánus Bennefénsis et Florentiánus Midilénsis, exsílio affécti, in confessióne fídei cursum vitæ suæ implevérunt.

3. Constantinópoli, sancti Stéphani iunióris, mónachi et mártyris, qui, sub Constantíno Coprónymo imperatóre, pro sacrárum Imáginum cultu váriis excruciátus supplíciis, veritátem cathólicam effúso sánguine confirmávit.

4*. Prope Rossánum in Calábria, sanctæ Theodóræ, abbatíssæ, discípulæ sancti Nili iunióris et monásticæ conversatiónis magístræ.

5. Neápoli in Campánia, depositio sancti Iacóbi Picéni seu de Márchia, presbýteri ex Ordine Minórum, prædicatióne et vitæ asperitáte præclári.

6*. Eboráci in Anglia, beáti Iacóbi Thomson, presbýteri et mártyris, qui, sub Elísabeth regína Prima cápite damnátus, quod plúrimos Ecclésiæ cathólicæ reconciliásset, patíbuli supplíciis tráditus est.

7. In pago *Khám Đường* in Annámia, sancti Andréæ Trần Văn Trông, mártyris, qui, cum crucem calcáre noluísset, post cárcerem et atróces cruciátus sub imperatóre Minh Mạng cápite obtruncátus est.

8*. In loco *Paracuellos del Jarama* apud Matrítum in Hispánia, beatórum Ioánnis Iesu (Mariáni) Adradas Gonzalo, presbýteri, et quattuórdecim sociórum,[7] mártyrum, qui, religiósi ex Ordine Sancti Ioánnis a Deo, persecutiónis témpore illústri passióne coronáti sunt.

9*. In vico *Picadero de Paterna* in pago Valentíno item in Hispánia, beáti Aloýsii Campos Górriz, mártyris, qui, in eádem persecutióne religiósa, vitam alácriter apostolátui caritatísque opéribus déditam gloriósa morte coronávit.

Die 29 novembris

Tértio Kaléndas decémbris. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
9	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
28	**29**	**1**	**2**	**3**	**4**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**

1. Romæ in cœmetério Trasónis via Salária Nova, sancti Saturníni Carthaginénsis, mártyris, qui, ut sanctus Dámasus papa refert, sub Décio imperatóre pro Christo in pátria in ecúleo impósitus est et Romam extórris missus, ubi, áliis atrócibus torméntis superátis, Gratiánum tyránnum ad fidem convértit et cápite obtruncáto corónam martýrii adéptus est.

[7] Quorum nomina: beati Gulielmus (Vincentius) Llop Gayá, Clemens Díez Sahagún, Lazarus (Ioannes Maria) Múgica Goiburu, Martinianus (Antonius) Meléndez Sánchez, Petrus Maria Alcalde Negredo, Iulianus Plazaola Artola, Hilarius (Antonius) Delgado Vílchez, religiosi professi; Petrus de Alcantara Bernalte Calzado, Ioannes Alcalde y Alcalde, Isidorus Martínez Izquierdo, Angelus Sastre Corporales, novitii; Iosephus Mora Velasco, presbyter et postulans; Iosephus Ruiz Cuesta, postulans; Eduardus Baptista Jiménez.

2. Tolósæ in Gállia Narbonénsi, commemorátio sancti Saturníni, epíscopi et mártyris, qui, ut fertur, eiúsdem Décii tempóribus, in Capitólio huius urbis a pagánis tentus est et de summa arce per gradus præcipitátus, ut, cápite collíso et toto córpore dilaniáto, Christo ánimam rédderet.

3. Ancýræ in Galátia, sancti Philómeni, mártyris, qui, in persecutióne Aureliáni imperatóris, sub Felíce præside, in ignem illátus, dein mánibus pedibúsque ac cápite clavis confíxis, martýrium consummavísse fertur.

4. Tudérti in Umbria, sanctæ Illuminátæ, vírginis.

5. Bathnis item in Osrhoéne, sancti Iacóbi, epíscopi Sarugénsis, qui, sermónibus, homíliis et versiónibus Ecclésiam hanc puríssima illustrávit fide et cum sancto Ephræm doctor et colúmna Ecclésiæ apud Syros cólitur.

6*. Davéntriæ in Frísia, translátio sancti Radbódi, epíscopi Ultraiecténsis, qui, doctus ac prudens pastor, in visitándis rústicis óbiit.

7*. Eboráci in Anglia, beáti Eduárdi Burden, presbýteri et mártyris, qui, stúdiis in Collégio Anglórum Reménsi peráctis, cum sacerdótio auctus in domínia Elísabeth regínæ Primæ revérsus esset, in patíbulo coram turba furénte passiónem complévit.

8*. Ibídem, octo post annis, beatórum Geórgii Errington, Guliélmi Gibson et Guliélmi Knight, mártyrum, qui, cum sacerdótes ipso tantum facto proscríptos túiti essent, per vários cruciátus martýrio tráditi sunt.

9*. In ínsula Sumatrénsi *Aceh*, beatórum mártyrum Dionýsii a Nativitáte (Petri) Berthelot, presbýteri, et Redémpti a Cruce (Thomæ) Rodríguez, religiósi, ex Ordine Carmelitárum Discalceatórum, qui, primum a mahometánis in servitútem redácti sunt, tandem in lítore maris sagíttis et secúri interfécti.

10. Lucériæ in Apúlia, sancti Francísci Antónii Fasani, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum Conventuálium, qui, vir exquisítæ doctrínæ,

prædicatiónis et pæniténtiæ stúdio magnópere suffúltus, paupéribus egenísque ita consúluit, ut numquam vestem sibi detráhere dubitáret, qua mendícum contégeret, et christiánum adiuméntum ómnibus offérre.

11*. In loco *El Saler* nuncupáto prope Valéntiam in Hispánia, beáti Alaphrídi Simón Colomina, presbýteri e Societáte Iesu et mártyris, qui in persecutióne erga Ecclésiam sánguine suo fidelitátem Dómino confirmávit.

Die 30 novembris

Prídie Kaléndas decémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
29	1	2	3	4	5	4	5	6	7	8	9

Festum sancti Andréæ, Apóstoli, qui, Bethsáidæ natus, frater Simónis Petri et cum eo piscátor, primus ex discípulis Ioánnis Baptístæ a Dómino Iesu vocátus apud Iordánem, ipsum secútus est et ad eum étiam fratrem addúxit; post Pentecósten Evangélium tráditur in Acháia prædicásse et apud Patras in cruce affíxus esse. Quem Ecclésia Constantinopolitána patrónum perinsígnem habet coléndum.

2. Medioláni in Ligúria, sancti Miroclétis, epíscopi, cuius sanctus Ambrósius méminit inter fidéles epíscopos suos decessóres.

3*. In Británnia Minóre, sancti Tugduáli, cognoménto Pabu, abbátis et epíscopi, qui in pago Trecorénsi monastérium constítuit.

4. Ad montem Sébium in Etrúria, sancti Galgáni Guidotti, eremítæ, qui, post iuventútem dissipátam ad Deum convérsus, in voluntária córporis castigatióne réliquam vitam exégit.

5*. Monte Pessuláno in Província Gálliæ, beáti Ioánnis de Vercéllis Garbella, presbýteri, qui, magíster generális Ordinis Prædicatórum, reveréntiam erga nomen Iesu eníxe prædicávit.

6*. Ratísbonæ in Bavária Germániæ, beáti Frideríci, religiósi ex Ordine Eremitárum Sancti Augustíni, qui, sollers faber tignárius, orándi fervóre, obœdiéntia et caritáte excélluit.

7. Sancti Stéphani Fani in Anglia, sancti Cuthbérti Mayne, presbýteri et mártyris, qui, cathólicam fidem secútus et sacérdos ordinátus, ministérium in Cornúbia exércuit, donec sub Elísabeth regína Prima cápite damnátus quod Lítteras Apostólicas públici iuris fecísset, patíbuli supplício tráditus est, primus ex alúmnis Collégii Anglórum Duacénsis.

8*. Eboráci item in Anglia, beáti Alexándri Crow, presbýteri et mártyris, qui, ex húmili sutóre sacérdos factus, sub eádem regína propter sacerdótium in patíbulo cursum martýrii glorióse confécit.

9. In loco *Quxian* in *Sichuan* província Sinárum, sancti Thaddǽi Liu Ruiting, presbýteri et mártyris, qui in ódium fídei strangulátus est.

10. Apud Huéum in Annámia, sancti Ioséphi Marchand, presbýteri e Societáte Parisiénsi Missiónum ad éxteras gentes et mártyris, qui sub imperatóre Minh Mạng supplício centum plagárum damnátus est.

11*. In loco *Paracuellos del Jarama* apud Matrítum in Hispánia, beatórum Michaélis Ruedas Megías et sex sociórum,[8] mártyrum, qui, religiósi ex Ordine Sancti Ioánnis a Deo christiána confessióne clari, persecutióne sæviénte, vi inimicórum Ecclésiæ ad Dóminum migravérunt.

12*. Valéntiæ item in Hispánia, beáti Ioséphi Otín Aquilé, presbýteri e Societáte Salesiána et mártyris, qui in eádem tempestáte constántia fídei invíctus in cæléste pervénit regnum.

13*. Prope Monáchium Baváriæ in Germánia intra castra detentiónis Dacháni, beáti Ludovíci Rochi Gientyngier, presbýteri et mártyris, qui, témpore occupatiónis Polóniæ in bello, in facinóribus a regímine fídei inimíco patrátis cruciátibus afféctus spíritum réddidit.

[8] Quorum nomina: beati Didacus de Gadibus (Iacobus) García Molina, Nicephorus Salvador del Río, Romanus (Raphael) Touceda Fernández, religiosi; Arthurus Donoso Murillo, Iesus Gesta de Piquer et Antonius Martínez Gil-Leonis, professi.

DECEMBER

Die 1 decembris

Kaléndis decémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
1	2	3	4	5	6	5	6	7	8	9	10

1. Commemorátio sancti Nahum, prophétæ, qui Deum prædicávit cursum témporum regéntem et pópulos in iustítia iudicántem.

2. Medioláni in Transpadána, sancti Castritiáni, epíscopi.

3*. Apud Pictávium in Aquitánia, sanctæ Floréntiæ, vírginis, quæ, a sancto Hilário epíscopo in Asiam relegáto ad Deum verum convérsa, eum secúta est ad suos redeúntem.

4*. Apud Forum Iúlii in Província, sancti Leóntii, epíscopi, qui institutiónem monásticam sancti Honoráti in ínsula Lirinénsi fovit cuíque sanctus Ioánnes Cassiánus, eius amícus, decem primas Collatiónes dicávit.

5. Apud Cenómanum in Néustria, sancti Domnóli, epíscopi, qui, ántea abbas monastérii Sancti Lauréntii Parisiénsis, virtúte miraculórum enítuit.

6. Apud Virodúnum in Austrásia, sancti Ageríci, epíscopi, qui ecclésias baptisteriáque exstrúxit et, cum ecclésiam suam asýlum profugórum fecísset, a Theodoríco rege multa passus est.

7. Novióми in Néustria, sancti Elígii, epíscopi, qui, áurifex et consiliárius Dagobérti regis, cum iam plúrima ædificavísset monastéria et sanctórum monuménta insígni arte ac décore fabricátus esset, ad sedem Novioménsem et Tornacénsem evéctus omni zelo ad apostólicam óperam incúbuit.

8*. In óppido Cotinióla in Æmília, beáti Antónii Bonfadini, presbýteri ex Ordine Minórum, qui, verbum Dei prædicans, multas Itáliæ regiónes et Terræ Sanctæ loca diútius peragrávit.

9*. Colcéstriæ in Anglia, beáti Ioánnis Beche, presbýteri ex Ordine Sancti Benedícti et mártyris, qui, abbas monastérii Sancti Ioánnis, in spéciem crímine proditiónis, revéra propter fidelitátem erga Románum Pontíficem servátam, sub Henríco rege Octávo cápite damnátus est et patíbuli supplício tráditus.

10. Londínii item in Anglia, sanctórum Edmúndi Campion, Radúlphi Sherwin et Alexándri Briant, presbyterórum et mártyrum sub Elísabeth regína Prima, ingénio et fortitúdine eximiórum. Sanctus Edmúndus, qui fidem cathólicam iúvenis proféssus erat, in Societátem Iesu Romæ admíssus et Pragæ sacerdótio auctus in pátriam rédiit, ubi tam verbo quam scriptis fidélium ánimos valde confirmávit, quaprópter Tybúrni post multos cruciátus necátus est. Cum eo éadem torménta subiérunt sancti Radúlphus et Alexánder, quorum alter in cárcere in Societátem Iesu adscríbi méruit.

11*. Eboráci item in Anglia, beáti Richárdi Langley, mártyris, qui sub eádem regína Elísabeth ob sacerdótes hospítio recéptos cápite damnátus est et collo suspénsus.

12*. In campo exítii *Oświęcim* seu *Auschwitz* prope Cracóviam in Polónia, beáti Casimíri Sykulski, presbýteri et mártyris, qui ob fidem coram persecutóribus Ecclésiæ Dei in bello fórtiter servátam plumbis occísus est.

13*. In civitáte *Dire Dawa* in Æthiópia, beátæ Liduínæ (Helísæ Angelæ) Meneguzzi, vírginis ex Institúto Sancti Francísci Salésii, quæ, verum facta humilitátis et christiánæ caritátis spéculum, misericórdiam Dei inter páuperes, ægrótos et captívos benígne fecit conspícuam.

14*. In loco *Isiro* in interióre Reipúblicæ Populáris Congénsis parte, beátæ Clementínæ Nengapeta Anuarite, vírginis e Congregatióne Sorórum a Sacra Família et mártyris, quæ, persecutióne in bello civíli sæviénte, cum áliis religiósis apprehénsa, eas hortáta est, ut vigilárent et orárent, et tribúni mílitum libídinem magna vi recúsans, ab ipso furénte pro Christo Sponso enecáta est.

Die 2 decembris

Quarto Nonas decémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
2	3	4	5	6	7	6	7	8	9	10	11

1. Commemorátio sancti Hábacuc, prophétæ, qui coram iniquitáte et violéntia hóminum iudícium Dómini nuntiávit, sed et eius misericórdiam, dicens: « Iustus autem in fide sua vivet ».

2. Romæ, sanctæ Bibiánæ, mártyris, sub cuius nómine sanctus Simplícius papa basílicam in Esquilíno nuncupávit.

3. Item Romæ in cœmetério Pontiáni via Portuénsi, sancti Piménii, presbýteri et mártyris.

4. Aquiléiæ in Venétia, sancti Chromátii, epíscopi, qui, verus ártifex pacis, Itáliæ claustris ab Alaríco dírutis ac populórum lúctibus remédia comparávit et, divíni verbi mysteriórum exquisítus explanátor, ad altióra mentes éxtulit.

5. In ínsula Palmária, tránsitus sancti Silvérii, papæ et mártyris, qui, cum Anthimum, epíscopum hæréticum Constantinopolitánum, a sancto Agapíto prædecessóre suo depósitum restitúere noluísset, Theodóræ imperatrícis iussu sede orbátus et in exsílium pulsus, ibídem multis ærúmnis conféctus óbiit.

6*. In monastério Viridivallénsi in regióne Bruxellénsi Brabántiæ, beáti Ioánnis Ruysbroeck, presbýteri et canónici reguláris, qui admirabília de váriis vitæ spiritális grádibus dócuit.

7*. Múrtiæ in Hispánia, beátæ Maríæ Angelæ Astorch, abbatíssæ ex Ordine Clarissárum, quæ, valde húmilis et pæniténtiis dédita, tam moniálibus quam sæculáribus solácium et consília in bonum præbébat.

8*. In loco *Logiewniki* in Polónia, beáti Raphaélis (Melchióris) Chylińscy, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum Conventuálium, qui

Cracóviæ témpore pestiléntiæ ægrótos visitábat, ut iis pie assidéret et de honésta et christiána morte cavéret.

9*. Stanislaópoli in Ucraína, beáti Ioánnis Slezyuk, epíscopi et mártyris, cui sub regímine Deo infénso ob ministérium clandestínum apud fidéles Ritus byzantíni indefésse explétum et impávidam ante persecutóres in Christo constántiam Dóminus tríbuit palmam ætérnam.

Die 3 decembris

Tértio Nonas decémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
3	4	5	6	7	8	7	8	9	10	11	12

Memória sancti Francísci Xavier, presbýteri e Societáte Iesu, Indiárum evangelizatóris, qui, in Navárra natus, ex primis sancti Ignátii sóciis, dilatándi Evangélii ardóre motus, innúmeris pópulis in India, in Molukénsibus aliísque ínsulis, deínde in Iapónia Christum impénse nuntiávit multósque ad fidem convértit et tandem in Sinárum ínsula Sanciána óbiit morbo et labóribus consúmptus.

2. Commemorátio sancti Sophoníæ, prophétæ, qui in diébus Iosíæ, regis Iudæ, impiórum ruínam in die iræ Dómini nuntiávit et pópulum páuperum et egenórum in spe salútis roborávit.

3. Tingi in Mauretánia, sancti Cassiáni, mártyris.

4. Vintóniæ in Anglia, depositío sancti Biríni, qui, in Británniam inferiórem ab Honório papa missus, primus Dorcestriénsem ténuit sedem et Sáxonum occidentálium genti núntium salútis impénse vulgávit.

5. Cúriæ Rhætórum apud Helvétios, sancti Lúcii, eremítæ.

6*. Londínii in Anglia, beáti Eduárdi Coleman, mártyris, qui ob fidem cathólicam accéptam falso crímine coniuratiónis advérsus Cárolum regem Secúndum insimulátus est et Tybúrni láqueo suspénsus, demum adhuc vivens ferro laniátus.

7*. Tridénti in Venétia, beáti Ioánnis Nepomucéni De Tschiderer, epíscopi, qui cum evangélico ardóre fídei et lenitáte Ecclésiam illam administrávit et in témpore afflictiónis miríficum præbuit in suum gregem amóris testimónium.

Die 4 decembris

Prídie Nonas decémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
4	5	6	7	8	9	8	9	10	11	12	13

Sancti Ioánnis Damascéni, presbýteri et Ecclésiæ doctóris, sanctitáte et doctrína célebris, qui pro cultu sacrárum Imáginum verbo et scriptis advérsus Leónem Isáuricum imperatórem strénue decertávit et, mónachus efféctus in laura Sancti Sabæ prope Hierosólymam, sacros hymnos compósuit ibíque quiévit. Eius corpus hac die depósitum est.

2. Commemorátio sanctæ Bárbaræ, quæ Nicomedíæ virgo et martyr fuísse tráditur.

3. Alexandríæ in Ægýpto, sancti Héraclæ, epíscopi, qui, Orígenis discípulus, sócius et succéssor in schola, celebérrimam invénit famam et ad hanc sedem regéndam eléctus est.

4. Sebastópoli in Ponto, sancti Melétii, epíscopi, qui, etsi iam eruditiónis prærogatíva exímius, virtúte vero ánimi et sinceritáte vitæ longe clárior éxstitit.

5. Bonóniæ in Æmília, sancti Felícis, epíscopi, qui sub sancto Ambrósio Mediolanénsis Ecclésiæ diáconus fúerat.

6*. Apud Viénnam in Gállia Lugdunénsi, sancti Apri, presbýteri, qui, pátriam relínquens, céllulam sibi exstrúxit et solitáriam ac pæniténtem vitam egit.

7*. In pago Bituricénsi Aquitániæ, sancti Sigirámni, mónachi, peregríni et abbátis Longoreténsis.

8*. Cenómani in Néustria, sanctæ Adrehíldis seu Adæ, abbatíssæ monastériii Sanctæ Maríæ.

9*. In monastério Ellwangénsi in Bavária, sancti Solæ, presbýteri et eremítæ.

10. Polýboti in Phrýgia, sancti Ioánnis, cognoménto Thaumatúrgi, epíscopi, qui contra Leónis Arméni imperatóris consílium magnópere operátus est sacris Imagínibus coléndis.

11. In monastério Sigisburgénsi in Rhenánia Germániæ, sancti Annónis, epíscopi Colóniæ Agrippínæ, qui, Henríco imperatóre Quarto regnánte, vir strénui ingénii, tam in Ecclésia quam in públicis negótiis in magno fuit honóre et ad fidem pietatémque augéndam complúres ecclésias et monastéria condi curávit.

12. Sarisbériæ in Anglia, sancti Osmúndi, epíscopi, qui, ex Normánnia cum Guliélmo rege in Angliam transgréssus, mox ad episcopátum promótus ecclésiam cathedrálem dicávit atque sedis administratióni et cúltui divíno consúluit.

13. Parmæ in Æmília, sancti Bernárdi, epíscopi, qui mónachus in perfectiónem vitæ, cardinális in bonum Ecclésiæ, epíscopus demum in salútem animárum semper inténdit.

14*. Senis in Etrúria, beáti Petri Pectinárii, religiósi e Tértio Ordine Sancti Francísci, peculiári caritáte in egénos ac infírmos, humilitáte et siléntio conspícui.

15*. In loco *Edo* in Iapónia, beatórum mártyrum Francísci Gálvez, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum, Hierónymi de Angelis, presbýteri, et Simónis Yempo, religiósi, utriúsque e Societáte Iesu, qui in ódium fídei igni tráditi sunt.

16*. Colóniæ Agrippínæ in Rhenánia Borússiæ, beáti Adólphi Kolping, presbýteri, qui, de opifícibus et iustítia sociáli ardénter sollícitus, consociatiónem iúvenum operariórum cóndidit et complúribus locis diffúdit.

17. Verónæ in Itália, sancti Ioánnis Calabria, presbýteri, qui Congregatiónem Páuperum Servórum et Servárum a Divína Providéntia fundávit.

Die 5 decembris

Nonis decémbris. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
15	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**1**	**2**	**3**	**4**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
5	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**

1. Thevéste in Numídia, pássio sanctæ Crispínæ Thagorénsis, matrisfamílias, quæ, tempóribus Diocletiáni et Maximiáni, cum idólis sacrificáre noluísset, iussu Anolíni procónsulis decolláta est.

2. Prope Hierosólymam, sancti Sabæ, abbátis, qui, in Cappadócia natus, desértum Iudæ áttigit, ubi novum eremíticæ conversatiónis genus instítuit in septem monastériis, quæ lauræ appelláta sunt, solitários cóngregans sub uno antístite; in magna laura, ipsíus nómine póstmodum insigníta, longos annos transégit, sanctitátis exémplo refúlgens atque pro fide chalcedonénsi strénue decértans.

3*. In cœnóbio Sancti Petri de Aquára in Lucánia, sancti Lúcidi, mónachi.

4*. Brácaræ in Lusitánia, commemorátio sancti Geráldi, epíscopi, cultu divíno instaurándo, ecclésiis reficiéndis et ecclesiástica disciplína promovénda insígnis, qui in loco *Bornos* nuncupáto pastoráles visitatiónes in díssita quadam regióne péragens óbiit.

5*. Mántuæ in Langobárdia, beáti Bartholomǽi Fanti, presbýteri ex Ordine Carmelitárum, qui fidélium corda ad sanctum Dei amórem atque ad filiálem in Dei Genitrícem Maríam devotiónem verbis et exémplis excitávit.

6. Londínii in Anglia, sancti Ioánnis Almond, presbýteri et mártyris, qui decem ámplius annos ánimas occúlte curávit, donec sub Iacóbo rege Primo Tybúrni propter sacerdótium láqueum nanctus est, ex ipso patíbulo eleemósynas dilargíri non désinens.

7*. Sveríni in Megalopolitána Germániæ regióne, tránsitus beáti Nicolái Stensen, epíscopi Titiopolitáni, qui, e Dánia oriúndus, unus ex claríssimis témporis sui rerum natúræ inquisitóribus éxstitit; sed cathólicam fidem proféssus, Deo in tutélam veritátis servíre cúpiens présbyter factus est, dein epíscopus ordinátus ad Európæ septemtrionális missiónem omnem curam impéndit.

8*. Augústæ Taurinórum in Itália, beáti Philíppi Rinaldi, presbýteri e Societáte Salesiána, qui fídei in terras missiónum dilatándæ óperam dedit.

9*. Prope Monáchium Baváriæ in Germánia, beáti Narcíssi Putz, presbýteri et mártyris, qui, Polónia sub aliéno regímine belli témpore coácta, ob constántiam fídei in castra detentiónis Dacháni coniéctus est, ubi diris torméntis conféctus occúbuit.

Die 6 decembris

Octávo Idus decémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
6	7	8	9	10	11	10	11	12	13	14	15

Sancti Nicolái, epíscopi Myrénsis in Lýcia, sanctitáte et intercéssione apud thronum grátiæ divínæ præclári.

2. Romæ, commemorátio sanctæ Aséllæ, vírginis, quæ, ut sanctus Hierónymus scribit, vitam in ieiúniis et oratiónibus usque ad senéctam prodúxit.

3. In Africa, commemorátio sanctórum mártyrum, témpore vandálicæ persecutiónis sub Hunneríco rege ariáno, gravíssimis et innúmeris supplíciis pro cathólicæ fídei defensióne excruciatórum; ex quorum turma,[1] Dionýsia et fílius eius Maióricus laudántur, qui, cum adulescéntulus adhuc esset ac torménta pavésceret, matris obtútibus verbísque corroborátus, céteris fórtior factus in tormentis ánimam réddidit.

4*. Bríxiæ in Langobárdia, sancti Obítii, qui, eques, ad Deum convérsus et pæniténtiæ déditus, bona sua in públicam utilitátem erogávit.

5*. Granátæ in Hispánia, beáti mártyris Petri Pascual, epíscopi Giennénsis, ex Ordine de Mercéde, qui, dum gregem visitábat ad pópulum in fídei defensiónem exhortándum, a Mauris comprehénsus, in vínculis deténtus óbiit.

6. In civitáte *Hải Dương* in Tunquíno, sancti Ioséphi Nguyễn Duy Khang, mártyris, qui, catechísta et sancti epíscopi Hierónymi Hermosilla comes in itinéribus, cum eo in persecutióne Tự Đức imperatóris captus, flagellátus et in cárcere deténtus, novíssime decollátus est.

7*. In vico *Picadero de Paterna* in pago Valentíno Hispániæ, beátæ Aloýsiæ Maríæ Frías Cañizares, vírginis et mártyris, quæ, témpore persecutiónis erga fidem, certámine fídei fructum áttulit ætérnum.

[1] Inter quos: sancti Æmilius medicus, Dativa, Leontia, Tertius, Bonifatius Sibidensis, Servius, Victrix.

Die 7 decembris

Séptimo Idus decémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
7	8	9	10	11	12	11	12	13	14	15	16

Memória sancti Ambrósii, epíscopi Mediolanénsis et Ecclésiæ doctóris, qui prídie Nonas aprílis in Dómino obdormívit, sed hac die potíssimum cólitur, qua célebrem sedem adhuc catechúmenus gubernándam suscépit, cum civitátis præfectúræ offício fungebátur. Verus pastor et doctor fidélium, máxime in omnes caritátem exércuit, libertátem Ecclésiæ ac rectæ fídei doctrínam advérsus ariános strénue defféndit et commentáriis hymnísque concinéndis pópulum pie catechizávit.

2. Spoléti in Umbria, sancti Sabíni, qui epíscopus et martyr cólitur.

3. In Sýria, sancti Athenodóri, mártyris, qui, ut fertur, sub Diocletiáno imperatóre et Eléusio præside igne aliísque supplíciis tortus, demum cápite damnátus, cum cárnifex corruísset, nec ullus álius gládio illum feríre ausus esset, orans obdormívit in Dómino.

4. Theáni in Campánia, sancti Urbáni, epíscopi.

5. In Palæstína, sancti Ioánnis Silentiárii seu Hesychástis, qui episcopátu Coloniénsi in Arménia dimísso, in laura Sancti Sabæ tum in húmili servítio fratrum tum in solitúdine áspera et siléntio monásticam vitam duxit.

6. Eboríaci in pago Meldénsi in Gállia, sanctæ Faræ, abbatíssæ, quæ, cum multos annos monastério præfuísset, demum ad cœtum vírginum Agnum Dei sequéntium aggregáta est.

7. In Ontário Canadénsi regióne, pássio sancti Cároli Garnier, presbýteri e Societáte Iesu et mártyris, qui, dum aquam baptísmatis in

catechúmenos effundébat, a pagánis quibúsdam irrumpéntibus gráviter vulnerátus, demum secúris ictu percússus óbiit. Cuius memória die undevicésima octóbris cum áliis sóciis ágitur.

8. Savóne ad oram Itáliæ, sanctæ Maríæ Ioséphæ (Benedíctæ) Rossello, vírginis, quæ Institútum Filiárum Dóminæ Nostræ a Misericórdia cóndidit et in animárum salútem perficiéndam omni stúdio se impéndit, soli Deo fidens.

Die 8 decembris

Sexto Idus decémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
8	9	10	11	12	13	12	13	14	15	16	17

Sollémnitas Conceptiónis Immaculátæ beátæ Maríæ Vírginis, quæ vere grátia plena et in muliéribus benedícta, ex prævísis ortu et salvífica Fílii Dei morte, in ipso primo instánti Conceptiónis suæ, singulári Dei privilégio, ab omni originális culpæ labe immúnis præserváta est, sicut pro certo dógmate, ex vetustióre vero doctrína trádito, a Pio papa Nono, hac ipsa recurrénte die, sollémniter definítum est.

2. Alexandríæ in Ægýpto, commemorátio sancti Macárii, mártyris, qui, témpore Décii imperatóris, cum multis verbis a iúdice ad negándum Christum suaderétur, sed maióre constántia fidem suam ipse profiterétur, vivus ad últimum exúri iussus est.

3. Romæ in cœ́meterio Callísti via Appia, deposítio sancti Eutychiáni, papæ.

4. Tréviris in Gállia Bélgica, sancti Euchárii, qui primus epíscopus habétur huius civitátis.

5. Commemorátio sancti Patápii, solitárii, qui, ex Thebáide oriúndus, Constantinópoli apud Blachérnas conversátus est et in Ægyptiórum monastério sepúltus.

6. In monte Vósego in Burgúndia, sancti Romaríci, abbátis, qui, Theudebérti regis procer, in monastérium Luxoviénse recéssit, deínde in fundo suo cœnóbium cóndidit, cui ipse tandem præfuit.

7*. Apud Valles Cernáii in agro Parisiénsi, sancti Theobáldi de Marliáco, abbátis ex Ordine Cisterciénsi, qui frátribus suis ínfima offícia præstábat.

8. In Ontário Canadénsi regióne, pássio sancti Natális Chabanel, presbýteri e Societáte Iesu et mártyris, qui, cum Deo se usque ad mortem in missióne sibi dilécta inter Hurónes mansúrum vovísset, iter fáciens in silva cum apóstata quodam, ab eódem in ódium fídei interféctus est. Eius memória die undevicésima octóbris cum sóciis celebrátur.

9*. Limæ in Perúvia, beátæ Narcíssæ a Iesu Martillo Morán, vírginis, quæ, paréntibus orbáta, victu expers, post multas ærúmnas in cœnóbium hospítio suscépta, contínuæ precatióni et ásperæ pæniténtiæ se dedit.

10*. In vico *Picadero de Paterna* in pago Valentíno Hispániæ, beáti Ioséphi Maríæ Zabal Blasco, mártyris, qui, paterfamílias, in persecutióne erga fidem passiónis suæ torménta fortitúdine in Christo superávit.

11*. Intra castra detentiónis Dacháni prope Monáchium Baváriæ in Germánia, beáti Aloýsii Liguda, presbýteri e Societáte Verbi Divíni et mártyris, qui, Polónia in bello invása, a vigílibus cárceris trucidátus Christum Dóminum ad mortem usque conféssus est.

Die 9 decembris

Quinto Idus decémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
9	10	11	12	13	14	13	14	15	16	17	18

Sancti Ioánnis Dídaci Cuauhtlatoatzin, qui, ex Indórum nativórum stirpe, vir fide puríssima prǽditus, humilitáte et fervóre suo effécit, ut in honórem Beátæ Maríæ Vírginis de *Guadalupe* sanctuárium in colle *Tepeyac* apud Mexicópolim ædificarétur, ubi eídem appáruit et ipse in Dómino quiévit.

2. Toléti in Hispánia, sanctæ Leocádiæ, vírginis et mártyris, Christi confessióne insígnis.

3. Pápiæ in Ligúria, sancti Syri, primi civitátis epíscopi.

4. Naziánzi in Cappadócia, sanctæ Gorgóniæ, matrisfamílias, quæ fuit sanctæ Nonnæ fília, atque sanctórum Gregórii Theólogi et Cæsárii soror, cuius ipse Gregórius virtútes conscrípsit.

5. In monastério Genoliacénsi apud Petricórdium in Gállia, sancti Cypriáni, abbátis, cura ægrotórum clari.

6*. Ad Mænum flúvium in Bavária Germániæ, beáti Libórii Wagner, presbýteri et mártyris, qui, caritáte exímius, curam pastorálem tam pro cathólicis quam pro dissidéntibus effúso sánguine coronávit.

7. Graii in Burgúndia, quo exsul se recéperat, tránsitus sancti Petri Fourier, presbýteri, qui paupérrimam parœciam *Mattaincourt* in Lotharíngia sibi elégit ac mire curávit, Canónicos Reguláres Salvatóris Nostri renovávit atque Institútum Canonissárum Regulárium Dóminæ Nostræ pro gratuíto edocéndis puéllis fundávit.

8*. Moricóne in Sabína Itáliæ, beáti Bernárdi Maríæ a Iesu (Cǽsaris) Silvestrelli, presbýteri e Congregatióne Passiónis, qui, præpósitus generális eléctus, in eiúsdem increméntum ac diffusiónem alácriter enísus est.

9*. In óppido *Llombay* in pago Valentíno Hispániæ, beáti Ioséphi Ferrer Esteve, presbýteri ex Ordine Clericórum Regulárium Scholárum Piárum et mártyris, qui in ódium sacerdótii plumbis occísus est.

10*. In vico *Picadero de Paterna* item in pago Valentíno, beatórum Richárdi de los Ríos Fabregat, Iuliáni Rodríguez Sánchez et Ioséphi Giménez López, presbyterórum e Societáte Salesiána et mártyrum, qui, persecutióne erga fidem sæviénte, pro Christo egrégium peregérunt certámen.

Die 10 decembris

Quarto Idus decémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
10	11	12	13	14	15	14	15	16	17	18	19

1. Eméritæ in Lusitánia, sanctæ Euláliæ, vírginis et mártyris, quæ, ut fertur, in iuveníli ætáte pro confessióne Christi vitam offérre non dubitávit.

2. Romæ in cœmetério Trasónis via Salária Nova, sancti Mauri, mártyris, quem sanctus Dámasus papa célebrat insóntem púerum nullo cruciátu a fide deiéctum.

3. Ancýræ in Galátia, sancti Gemélli, mártyris.

4. Romæ apud sanctum Petrum, sancti Gregórii papæ Tértii, qui Evangélium Germánis prædicáre curávit et advérsus iconoclástas Urbis ecclésias sacris Imagínibus ornávit.

5*. In monastério Sancti Nicolái de Viotoríto in Calábria, sancti Lucæ, epíscopi Insulæ, qui pro bono páuperum et institutióne monachórum indefésse adlaborávit.

6. Londínii in Anglia, sanctórum mártyrum Edmúndi Gennings, presbýteri, et Swithíni Wells, qui, sæviénte Elísabeth regínæ Primæ persecutióne, cápite damnáti, prior quod sacérdos esset, alter quod illum hospítio recepísset, ante portam domicílii láqueo suspénsi sunt et usque ad mortem cruciátibus conf́ecti.

7. Item Londínii, sanctórum Polydóri Plasden et Eustátii White, presbyterórum, atque beatórum Briáni Lacy, Ioánnis Mason et Sydnéii Hodgson, mártyrum, qui, eódem anno éadem supplícia Tybúrni passi sunt, álii quod sacerdótes Angliam petivíssent, álii quod illis auxílium præstitíssent.

8. Ibídem, Tybúrni, decem et novem post annis, sancti Ioánnis Roberts, ex Ordine Sancti Benedícti, et beáti Thomæ Somers, presbyterórum et mártyrum, qui, sub Iacóbo rege Primo propter sacerdótium damnáti, sédecim latrónes ampléxi eódem patíbulo suspénsi sunt.

9*. In vico *Vallés* in pago Valentíno Hispániæ, beáti Gundisálvi Viñes Masip, presbýteri et mártyris, qui, témpore persecutiónis, pro Christo egrégium perégit certámen.

10*. In vico *Picadero de Paterna* in eódem pago Hispániæ, beatórum mártyrum Antónii Martín Hernández, presbýteri, et Augustíni García Calvo, religiósi, e Societáte Salesiána, qui in eádem tempestáte ob Christi fidem stolam glóriæ accepérunt.

Die 11 decembris

Tértio Idus decémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
11	12	13	14	15	16	15	16	17	18	19	20

Sancti Dámasi papæ Primi, qui, angústis tempóribus suis, contra schísmata et hǽreses complúres collégit sýnodos ad

nicǽnam fidem defendéndam, libros sacros a sancto Hierónymo latíne reddéndos curávit et sepúlcra mártyrum pie excóluit versibúsque ornávit.

2. In pago Ambianénsi in Gállia Bélgica, sanctórum Victoríci et Fusciáni, mártyrum.

3. Placéntiæ in Æmília, sancti Sabíni, epíscopi, qui ad Christi fidem turbas vocávit, vírginum sacrária instítuit et veritátem nicǽnam invícte propugnávit.

4. Constantinópoli, sancti Daniélis, cognoménto Stylítæ, presbýteri, qui, post vitam in cœnóbio ductam et multos susténtos labóres, more et exémplo sancti Simeónis in colúmnam elátus stetit, nulla vi frígoris vel æstus vel ventórum fractus annos trigínta tres tresque menses usque ad óbitum.

5*. In monastério Himmerodénsi apud Tréviros in Germánia, beáti Dávidis, mónachi, quem, córpore débilem, sanctus Bernárdus apud Claravállem accépit, deínde cum frátribus in Germániam misit ad novum monastérium condéndum, ubi die noctúque oratióni et bonis opéribus vacávit.

6*. Senis in Etrúria, beáti Franci Lippi, eremítæ ex Ordine Carmelitárum, exímia austeritáte vitæ clari.

7*. In pago Camerinénsi in Picéno Itáliæ, beáti Hugolíni Magalotti, eremítæ, ex Tértio Ordine Sancti Francísci.

8*. Apud Tiférnum Metauréńse item in Picéno, beáti Hierónymi, presbýteri ex Ordine Servórum Maríæ, qui in solitúdine et siléntio sciéntiam sanctórum assecútus est.

9*. Nagasákii in Iapónia, beatórum Martíni Lumbreras Peralta et Melchióris Sánchez Pérez, presbyterórum ex Ordine Sancti Augustíni et mártyrum, qui vix hanc civitátem ingréssi deprehénsi sunt et in cellam obscúram coniécti, demum igni tráditi.

10*. Londínii in Anglia, beáti Arthúri Bell, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum et mártyris, qui sub Cárolo rege Primo propter

solum sacerdótium cápite damnátus est et Tybúrni patíbulum perpéssus.

11*. In loco *El Saler* nuncupáto prope Valéntiam in Hispánia, beátæ Maríæ a Colúmna Villalonga Villalba, vírginis et mártyris, quæ, persecutióne religiósa furénte, martýrio suo vestígia Christi secúta est.

12. In óppido *La Aldehuela* in regióne Matriténsi item in Hispánia, sanctæ Mirabíliæ a Iesu Pidal y Chico de Guzmán, vírginis ex Ordine Carmelitárum Discalceatárum, quæ plura monastéria in Hispánia atque in India cóndidit, vitam contemplatívam actuósæ caritáti coniúngens.

Die 12 decembris

Prídie Idus decémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
12	13	14	15	16	17	16	17	18	19	20	21

Beátæ Maríæ Vírginis de *Guadalupe* in México, cuius matérnum auxílium ingens pópulus in colle *Tepeyac* prope Mexicópolim, ubi appáruit, humíliter implórat ac útpote stellam in evangelizándis famíliis populórum et indigenárum pauperúmque præsídium fidénter salútat.

2. Commemorátio sanctórum mártyrum Alexandrinórum Epímachi et Alexándri, qui, sub Décio imperatóre, post diútina víncula et vários cruciátus, ígnibus tandem pro Christi fide consúmpti sunt. Cum his passæ sunt sanctæ Ammonárion, virgo, Mercúria, Dionýsia et ália, quæ, cum iudex a féminis superári erubésceret ac dubitáret, ne, inaudítis in illas exércitis cruciaméntis, eárum étiam constántia vincerétur, statim iussæ sunt decollári.

3. In ínsula Cypro, sancti Spyridónis, epíscopi, veri óvium pastóris, cuius mirabília gesta ore ómnium celebrabántur.

4*. Clonárdiæ in Hibérnia, sancti Finniáni, abbátis, qui, plúrium monasteriórum cónditor, pater et magíster éxstitit ingéntis monachórum turmæ.

5*. Coriosópiti in Británnia Minóre, sancti Corentíni, qui primus epíscopus huius civitátis cólitur.

6*. Doráti in pago Lemovicénsi Aquitániæ, sancti Israélis, presbýteri et canónici reguláris, qui magno adiuménto fuit epíscopo in verbi Dei prædicatióne.

7*. Novi Monastérii in Holsátia Germániæ, natális sancti Vicelíni, epíscopi Oldenburgénsis, qui ad Slavos evangelizándos magnópere se cóntulit.

8*. Apud óppidum *Celloli* in Etrúria, beáti Bártholi Buonpedoni, presbýteri, qui, sexagenárius lepra corréptus, curam parœciálem depósuit et, Tértii Ordinis Sancti Francísci hábitum índuens, in hospítio reclúsus ómnibus patiénter assédit.

9*. In pago *Bastia* prope Asísium in Umbria, beáti Conrádi de Ophyda, presbýteri ex Ordine Minórum, qui humilitátem et prístinam Ordinis paupertátem valde diléxit et quæsívit.

10*. Neápoli in Campánia, commemorátio beáti Iacóbi Capocci, epíscopi, qui ex eremíta Sancti Augustíni Ecclésiam Beneventánam, deínde Neapolitánam suscépit regéndam, quam sapiéntia, doctrína et prudéntia illustrávit.

11. Huéi in Annámia, sancti Simónis Phan Đắc Hòa, mártyris, qui, médicus ac paterfamílias páuperum caritáte exímius, sub imperatóre Minh Mạng captus quod missionários hospítio accepísset, post cárceres ac flagellatiónes decollatióne martýrium consummávit.

12*. Prope Cracóviam in Polónia, beáti Pii Bartosik, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum Conventuálium et mártyris, qui, témpore Polóniæ sub aliénum régimen in Deum hostíle redáctæ, in campo exítii *Oświęcim* seu *Auschwitz* cruciátibus fractus pro Christo martýrium consummávit.

Die 13 decembris

Idibus decémbris. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
13	14	15	16	17	18	17	18	19	20	21	22

Memória sanctæ Lúciæ, vírginis et mártyris, quæ accénsam lámpadem in occúrsu Sponsi, dum víveret, custodívit et, Syracúsis in Sicília ad mortem pro Christo perdúcta, cum eo ad núptias introíre méruit et lumen indefíciens possidére.

2. In Portu Románo, sancti Aristónis, mártyris.

3. In Sulcitána península Sardíniæ, sancti Antíochi, mártyris.

4. In Arménia, sanctórum Eustrátii, Auxéntii, Eugénii, Mardárii et Oréstis, mártyrum.

5. In Néustria septemtrionáli, sancti Iudóci, presbýteri et eremítæ, qui, fílius Iuthaélis, Armóricæ regis, et frater sancti Iudicaélis, ne patri succédere cogerétur, pátriam relíquit et ad vitam eremíticam secéssit.

6. Cameráci in Austrásia, sancti Autbérti, epíscopi.

7. In pago Argentoraténsi Burgúndiæ, sanctæ Othíliæ, vírginis et primæ abbatíssæ monastérii Altitonénsis ab Adalríco duce, eius patre, cónditi.

8*. Neápoli in Campánia, beáti Ioánnis (Francísci) Marinoni, presbýteri ex Ordine Clericórum Regulárium vulgo Theatinórum, qui una cum sancto Caietáno ad cleri reformatiónem ac animárum salútem se cóntulit et ad egénos sublevándos Monti Pietátis favit.

9. In monastério Visitatiónis Molinénsi in Gállia, natális sanctæ Ioánnæ Francíscæ Frémiot de Chantal, cuius memória die duodécima augústi ágitur.

10*. Firmi in Picéno Itáliæ, beáti Antónii Grassi, presbýteri e Congregatióne Oratórii, viri húmilis et pacífici, qui exémplo suo ádmodum ad observándam régulam confrátres ímpulit.

11. In pago *Tjyen-Tiyou* in Coréa, sanctórum Petri Cho Hwa-sŏ, patrisfamílias, et quinque sociórum,[2] mártyrum, qui, a mandaríno promissiónibus vel torméntis temptáti, ut christiánam religiónem relínquerent, usque ad cápitis abscissiónem restitérunt.

Die 14 decembris

Décimo nono Kaléndas ianuárii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
14	15	16	17	18	19	18	19	20	21	22	23

Memória sancti Ioánnis a Cruce, presbýteri ex Ordine Carmelitárum et doctóris Ecclésiæ, qui, sancta Terésia a Iesu suadénte, primus inter fratres Ordinis reformatiónem aggréssus est, quam labóribus operibúsque innúmeris, necnon ásperis tribulatiónibus sustínuit et, scriptis eius testántibus, vitam se intus quærens abscónditam in Christo atque amóris Dei flamma combústus, per noctem obscúram ad montem Dei ascéndit; Ubédæ tandem in Vandalícia Hispániæ regióne in Dómino quiévit.

2. Alexandríæ in Ægýpto, commemorátio sanctórum mártyrum Herónis, Atéi et Isidóri, cum Dióscoro púero duódecim annos nato; quorum tres primos iudex in persecutióne deciána, cum váriis cruciátibus laniátos pari constántia fídei armátos vidéret, igni iussit tradi; sanctum Dióscorum vero, multiplíciter flagellátum, differri præcépit.

[2] Quorum nomina: sancti Petrus Yi Myŏng-sŏ et Bartholomæus Chŏng Mun-ho, patresfamilias; Petrus Sŏn Sŏn-ji, paterfamilias et catechista; Iosephus Petrus Han Chae-kwon, antea catechista; Petrus Chŏng Won-ji, adulescens.

3. Apollóniæ in Bithýnia, sanctórum Thyrsi, Léucii, Calliníci et sociórum, mártyrum, qui, témpore Décii imperatóris, passi esse narrántur.

4. Antiochíæ in Sýria, sanctæ Drósidis, mártyris, quam sanctus Ioánnes Chrysóstomus ásserit igne cremátam esse.

5. Ascalóne in Palæstína, sanctórum Ares, Promi et Elíæ, mártyrum, qui, cum ex Ægýpto Cilíciam pétere vellent, ut confessóres Christi in persecutióne Maximíni imperatóris visitárent et adiuvárent, Cæsaréæ deprehénsi, óculis pedibúsque atróciter orbáti ac Ascalónem dedúcti, iussu Firmiliáni præsidis, Ares ígnibus, álii vero decollatióne martýrium complevérunt.

6. Pápiæ in Ligúria, sancti Pompéii, epíscopi, qui paucos sed pacíficos annos sancti Syri succéssor agens ad Dóminum migrávit.

7. Remis in Gállia Bélgica, pássio sancti Nicásii, epíscopi, qui ante óstium basílicæ ab ipso cónditæ a pagánis irruéntibus cæsus est cum germána Eutrópia, vírgine Christo sacráta, Floréntio diácono et Iucúndo.

8. Neápoli in Campánia, sancti Agnélli, abbátis monastérii Sancti Gaudiósi.

9*. Pictávii in Aquitánia, sancti Venántii Fortunáti, epíscopi, qui multórum sanctórum gesta conscrípsit et expolítis hymnis sanctam Crucem celebrávit.

10*. Apud Mórinos in Gállia septemtrionáli, sancti Folcuíni, epíscopi Taruannénsis.

11*. Urbevéti in Túscia, beáti Bonaventúræ de Pistório, presbýteri ex Ordine Servórum Maríæ, qui, sancti Philíppi Benizi prædicatióne commótus, eum in pace inter factiónes componénda per urbes itálicas adiúvit.

12. In loco *Klifane* in território Libanénsi, sancti Nimatullácii al-Hardini (Ioséphi Kassab), presbýteri ex Ordine Libanénsi Maronitárum, qui in institutiónem theológiæ, in iúvenum educatiónem et in

pastorálem navitátem incúbuit, oratiónis spíritu et pæniténtia éminens.

13*. Aquisgráni in Germánia, beátæ Francíscæ Schervier, vírginis, quæ aliquámdiu in civitáte erga ínopes, ægrótos atque afflíctos sédula fuit et pro páuperum necessitátibus serviéndo Congregatiónem Sorórum Páuperum a Sancto Francísco fundávit.

14*. Barcinóne in Hispánia, beáti Protásii (Antónii) Cubells Minguell, religiósi ex Ordine Sancti Ioánnis a Deo et mártyris, qui, cum persecútio in Ecclésiam sæviret, in ódium religiónis occísus est.

Die 15 decembris

Décimo octávo Kaléndas ianuárii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
15	16	17	18	19	20	19	20	21	22	23	24

1. Commemorátio sancti Valeriáni, epíscopi Avensáni in Africa, qui, octogenárius ámplius, in persecutióne vandálica a Genseríco rege ariáno expetítus, ut Ecclésiæ utensília tráderet, cum hoc fácere constánter renuísset, extra civitátem singuláris iussus est pelli; et cum præcéptum esset, ut nullus eum neque in domo sua neque in agro habitáre síneret, diutíssime in via pública sub nudo áere iácuit et ita, conféssor orthodóxæ veritátis, cursum beátæ vitæ complévit.

2. In território Aurelianénsi Gálliæ Lugdunénsis, sancti Maximíni, presbýteri, qui primus abbas Miciacénsis habétur.

3*. In monastério Cavénsi in Campánia, beáti Maríni, abbátis, fidelitáte erga Románum Pontíficem mirábilis.

4*. Génuæ in Ligúria, beátæ Maríæ Victóriæ Fornari, quæ, vídua effécta, Ordinem Annuntiatiónis fundávit.

5. Ibídem, sanctæ Virgíniæ Centurione Bracelli, víduæ, quæ, in servítium Dómini se impéndens, paupéribus multímodis subvénit, ecclésias agréstes iuvávit atque Auxiliáres Matrónas a Misericórdia instítuit ac rexit.

6. Bríxiæ in Langobárdia, sanctæ Maríæ Crucifíxæ De Rosa, vírginis, quæ pro salúte ánimæ corporísque próximi divítias suas ac seípsam impéndit et Institútum Ancillárum Caritátis fundávit.

7*. Verónæ in Venétia, beáti Cároli Steeb, presbýteri, qui, Tubíngæ natus, Verónæ fidem cathólicam proféssus est et sacerdótio auctus Institútum Sorórum a Misericórdia fundávit pro afflíctis egenísque et ægrótis curándis.

Die 16 decembris

Décimo séptimo Kaléndas ianuárii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
16	17	18	19	20	21	20	21	22	23	24	25

1. Commemorátio sancti Aggǽi, prophétæ, qui, témpore Zoróbabel ducis Iudæ, pópulum admónuit, ut domus Dómini reædificarétur, in quam ventúrus erat thesáurus cunctárum géntium.

2. Commemorátio plurimárum sanctárum vírginum, quæ, in Africa in persecutióne vandálica sub ariáno rege Hunneríco, póndera laminásque ignítas perpéssæ, martýrii agónem felíciter consummárunt.

3. In Hibérnia, sancti Beáni, eremítæ.

4*. Cisónii in Artésia Gálliæ província, sancti Everárdi, qui, comes Foroiuliénsis, ibídem Canonicórum Regulárium monastérium cóndidit, in quo áliquot annis post mortem pie depósitus est.

5. Viénnæ in Burgúndia, sancti Adónis, epíscopi, qui, ex mónacho epíscopus eléctus, Martyrológium compónens Sanctórum memóriam egrégie cóluit.

6. Elizátii prope Argentorátum in Lotharíngia Germániæ, sanctæ Adalhéidis, cui, imperatríci, erat erga domésticos gravis iucúnditas, erga extráneos honestíssima grávitas, in paupéribus infatigábilis píetas, in honorándis ecclésiis Dei affluentíssima lárgitas.

7*. In Lucánia, sancti Macárii de Collesáno, mónachi, qui, humilitáte et abstinéntiis exímius, váriis cœnóbiis montis Mercúrii et Latiniáni prudénter præfuit.

8*. Génuæ in Ligúria, commemorátio beáti Sebastiáni (Salvátici) de Mádiis, presbýteri ex Ordine Prædicatórum, qui pópulo regiónis Evangélium prædicávit et in convéntibus disciplínæ reguléri consúluit.

9*. Augústæ Taurinórum in Subalpínis, beátæ Maríæ ab Angelis (Mariánnæ) Fontanella, vírginis ex Ordine Carmelitárum, quæ voluntáriis pæniténtiis necnon obœdiéntiæ virtúte cláruit.

10*. Ripæ Albæ in Itália, beáti Cleméntis Marchisio, presbýteri, qui, párochus huius loci, Institútum Filiárum a Sancto Ioseph fundávit.

11*. In urbe *Nowe Miasto* in Polónia, beáti Honoráti de Biała Podlaska (Floréntii) Kazminsky, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum Capuccinórum, qui in pæniténtes ministrándos, in verbi Dei prædicatiónem et in ánimos captivórum in cárcere relevándos exímiam impéndit óperam.

12*. Prope urbem *Mukdahan* in Thailándia, beáti Philíppi Siphong Onphitak, mártyris, qui, paterfamílias, sacerdóte vici *Song-Khon* depúlso, dux communitátis christiánæ eléctus est et, persecutióne ineúnte advérsus christiános, iuxta rivum *Tum Nok* dolóse addúctus est et plumbis interféctus.

Die 17 decembris

Sextodécimo Kaléndas ianuárii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
17	18	19	20	21	22	21	22	23	24	25	26

1. Hierosólymæ, sancti Modésti, epíscopi, qui, post Urbem Sanctam a Persis captam et vastátam, monastéria relevávit monachísque implévit et sanctuária incéndio díruta multo labóre refécit.

2. Eleutherópoli in Palæstína, pássio sanctórum quinquagínta mílitum,[3] qui, témpore Heraclíi imperatóris, a Saracénis Gazam obsidéntibus ob Christi fidem occísi sunt.

3*. In Británnia Minóre, sancti Iudicaélis, qui concórdiam inter Britónes et Francos valde conciliávit et, múnere regis depósito, vitam in monastério sancti Mevénni exegísse fertur.

4. Andénnis in Brabántia, sanctæ Beggæ, víduæ, quæ, post cóniugis necem, monastérium Beátæ Maríæ Vírginis cóndidit, sub Régulis sanctórum Columbáni et Benedícti.

5. In monastério Fuldénsi in Austrásia, sancti Stúrmii, abbátis, qui, discípulus sancti Bonifátii, Saxóniam evangelizávit et célebre hoc monastérium ex præcépto magístri ædificándum curávit ac primus abbas rexit.

6*. In monte Mercúrio in Lucánia, sancti Christóphori de Collesáno, mónachi, qui tota cum família sua monásticæ conversatióni propagándæ summópere dedit óperam.

[3] Inter quos: sancti Ioannes, Paulus, alius Ioannes, alter Paulus, Photinus, Zitas, Eugenius, Muselius, Ioannes, Stephanus, Theodorus, Ioannes, alius Theodorus, filius præcedentis, Georgius, Theopemptus, alius Georgius, Sergius, alius Georgius, alius Theodorus, Cyriacus, alius Ioannes, Zitas, Philoxenus, alius Georgius, alius Ioannes, alius Georgius, omnes ex cohorte Scythorum; Theodosius, Epiphanius, Ioannes, Theodorus, Sergius, Georgius, Thomas, Stephanus, Conon, alter Theodorus, Paulus, alius Ioannes, alter Georgius, alius Ioannes, alius Ioannes, Paulinus, Caiumas, Abramius, Marmises, Marinus, omnes ex cohorte Voluntariorum.

7. Prope Bruxéllas in Brabántia Lotharíngiæ, sanctæ Wiwínæ, primæ abbatíssæ monastérii Beátæ Maríæ de Bigárdis.

8. Romæ in monte Cǽlio, sancti Ioánnis de Matha, presbýteri, qui, gallus génere, Ordinem Sanctíssimæ Trinitátis pro captívis rediméndis instítuit.

9. Barcinóne in Hispánia, sancti Ioséphi Manyanet y Vives, presbýteri, qui, ut exémplo sanctæ illíus Nazarethánæ Iesu, Maríæ et Ioseph omnes famíliæ perféctæ redderéntur, Congregatiónes Filiórum et Filiárum a Sacra Família fundávit.

10*. In vico *Don Benito* prope Badaiócium in Hispánia, beátæ Mathíldis a Sacro Corde Téllez Robles, vírginis, quæ, in próximo suo imáginem Christi ipsíus inspíciens, benígna cum sedulitáte materiáli máxime ac spirituáli egenórum auxílio se trádidit et Congregatiónem Filiárum Maríæ Matris Ecclésiæ fundávit.

11*. Romæ apud Sanctam Sabínam in Aventíno, beáti Hyacínthi (Henríci) Cormier, presbýteri, qui, magíster generális, Ordinem Prædicatórum prudénter rexit stúdia theológica ac spiritália ádmodum fovens.

Die 18 decembris

Quintodécimo Kaléndas ianuárii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
18	19	20	21	22	23	22	23	24	25	26	27

1. Commemorátio sancti Malachíæ, prophétæ, qui, post transmigratiónem Babylóne diem magnum Dómini eiúsque advéntum in templum nuntiávit sempérque et ubíque mundam oblatiónem nómini eius offeréndam.

2. In Africa, commemorátio sanctórum mártyrum Namphamónis, Mígginis, Sanámis et Lucítæ, qui, teste Máximo Madaurénsi gentíli

in epístula ad sanctum Augustínum scripta, magnæ veneratióni pópulo christiáno erant.

3. Turónis in Gállia Lugdunénsi, sancti Gatiáni, primi epíscopi, qui ad illam civitátem ab urbe Roma transmíssus esse refértur et in ipsíus vici cœmetério christianórum sepúltus.

4*. Laóniæ in Hibérnia, sancti Flannáni, epíscopi.

5*. In monastério Heidenheiménsi in Bavária, sancti Winebáldi, abbátis, qui, anglus natióne, cum fratre sancto Willibáldo sanctum Bonifátium secútus est et adiúvit in germánis géntibus evangelizándis.

6. In colle *Gò-Voi* in Tunquíno, sanctórum Pauli Nguyễn Văn Mỹ, Petri Trưởng Văn Đường et Petri Vũ Văn Truật, mártyrum, qui, catechístæ, firmi in fide sub imperatóre Minh Mạng stranguláti sunt.

7*. Borgári prope Augústam Taurinórum in Itália, beátæ Nemésiæ (Iúliæ) Valle, vírginis ex Institúto Sorórum a Caritáte, quæ, in iuvénibus instruéndis et in amóre Evangélii moderándis exímia, viam mandatórum Dómini per próximi dilectiónem iúgiter currit.

Die 19 decembris

Quartodécimo Kaléndas ianuárii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
29	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
19	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**

1. Romæ in cœmetério Pontiáni via Portuénsi, depositío sancti Anastásii papæ Primi, viri ditíssimæ paupertátis et apostólicæ sollicitúdinis, qui hæréticis doctrínis firme óbstitit.

2. Autissiodóri in Gállia Lugdunénsi, sancti Gregórii, epíscopi.

3*. In Cartúsia *Casotto* in Subalpínis, beáti Guliélmi de Fenólis, religiósi, qui prius vitam eremíticam dúxerat.

4*. Avenióne in Província Gálliæ, beáti Urbáni papæ Quinti, qui, ex mónacho in Petri cáthedram sublátus, statim ad Sedem Apostólicam in Urbem reducéndam et ad unitátem Ecclésiæ restituéndam præcípue ánimum vertit.

5. In loco *Bắc-Ninh* in Tunquíno, sanctórum mártyrum Francísci Xavérii Hà Trọng Mậu, Domínici Bùi Văn Úy, catechistárum, Thomæ Nguyễn Văn Đệ, sartóris, atque Augustíni Nguyễn Văn Mới et Stéphani Nguyễn Văn Vinh, agricolárum, quorum alter neóphytus, alter adhuc catechúmenus, qui omnes crucem calcáre noléntes, cárcerem cruciatúsque passi sunt, tandem iussu imperatóris Minh Mạng stranguláti.

6*. In óppido *Słonim* in Polónia, beatárum Maríæ Evæ de Providéntia Noiszewska et Maríæ Marthæ de Iesu Wołowsk, vírginum e Congregatióne Sorórum a Conceptióne Immaculáta et mártyrum, quæ, témpore occupatiónis Polóniæ in bello, ob fidem servátam plumbis necátæ sunt.

Die 20 decembris

Tertiodécimo Kaléndas ianuárii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
1	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
20	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**

1. Romæ iuxta cœmetérium Callísti via Appia, deposítio sancti Zephyríni, papæ, qui decem et octo annos Románam Ecclésiam gubernávit et sancto Callísto suo diácono munus mandávit Ecclésiæ Románæ cœmetérium via Appia condéndi.

2. Item Romæ via Salária Vétere in cœmetério ad Septem Palúmbas, sancti Liberális, mártyris, qui quondam in mundo consulári honóre perfúnctus esse fertur.

3. Antiochíæ in Sýria, sancti Philogónii, epíscopi, qui, Dei nutu ex causídico ad hanc Ecclésiam regéndam accersítus, una cum sancto Alexándro epíscopo et sóciis advérsus Aríum primum pro fide cathó-

lica certámen íniit clarúsque méritis quiévit in Dómino; quem sanctus Ioánnes Chrysóstomus præcláro encómio celebrávit.

4*. In Iura Helvético ad Dubim flumen, sancti Ursicíni, qui, discípulus sancti Columbáni, primum eremíticam vitam agens in solitúdine, mox detéctus multos ad idem vitæ genus incitávit.

5. In monastério Exiliénsi in Castélla Hispániæ regióne, sancti Domínici, abbátis, qui, ántea eremíta, dein hoc cœnóbium propémodum dilápsum restítuit, disciplínam redintegrávit et laudem divínam die ac nocte exaltávit.

6*. Turri Octávæ apud Neápolim in Campánia, beáti Vincéntii Romano, presbýteri, qui, párochus, in púeros excoléndos et in opíficum atque piscatórum necessitátes curándas totum ánimum inténdit.

7*. In campo detentiónis Sachsenhúsæ in Germánia, beáti Michaélis Piaszczyński, presbýteri et mártyris, qui, polónus génere, in aliénam custódiam propter fidem cónditus per torménta ad cæléstem glóriam migrávit.

Die 21 decembris

Duodécimo Kaléndas ianuárii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
2	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
21	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**1**

Sancti Petri Canísii, presbýteri e Societáte Iesu et Ecclésiæ doctóris, qui, in Germániam missus, multos annos strénue ad fidem cathólicam tuéndam et firmándam prædicatióne et scriptis óperam navávit, inter quæ opus éminet, quod « Catechísmus » inscríbitur; Fribúrgi Helvetiórum tandem a labóribus quiévit.

2. Commemorátio sancti Michǽæ, prophétæ, qui diébus Ióatham, Achaz et Ezechíæ, regum Iudæ, prædicatióne sua oppréssos deféndit,

idóla ac improbitátes damnávit et pópulo elécto a diébus æternitátis egrésso ducem in Béthlehem Iudæ nascitúrum nuntiávit, qui Israel pásceret in fortitúdine Dómini.

3. In Lýcia, sancti Themístoclis, mártyris, qui, sub Décio imperatóre, pro sancto Dióscoro, qui quærebátur ad necem, se obtulísse narrátur et, ecúleo tortus, raptátus ac fústibus cæsus, martýrii corónam adéptus est.

4*. Monte Cerinióne in Flamínia, beáti Domínici Spadafora, presbýteri ex Ordine Prædicatórum, qui ministério prædicatiónis sédulo adlaborávit.

5. Hanóii in Tunquíno, pássio sanctórum Andréæ Dũng Lạc et Petri Trương Văn Thi, presbyterórum et mártyrum, qui, cum crucem calcándi iussum renuíssent, decollatióne agónem consummárunt. Quorum memória die vigésima quarta novémbris celebrátur.

6*. Confluéntibus in Rhenánia Germániæ, beáti Petri Friedhofen, religiósi, qui, múnere primum purgatóris caminórum functus, dein Congregatiónem Fratrum Misericórdiæ a María Auxiliatríce fundávit, pro qua plácide et æquo ánimo multas passus est irrisiónes et moléstias.

Die 22 decembris

Undécimo Kaléndas ianuárii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
22	23	24	25	26	27	26	27	28	29	1	2

1. Commemorátio sanctórum Chærémonis, epíscopi Nilopolitáni, et aliórum plurimórum mártyrum in Ægýpto, quorum álii, sæviénte Décii imperatóris persecutióne, fuga dispérsi et in solitudínibus erràntes, a béstiis interémpti sunt, álii fame, frígore ac languóre consúmpti, álii demum a bárbaris et latrónibus necáti, ita ut omnes divérso mortis génere eádem martýrii glória coronaréntur.

2. Item commemorátio sancti Ischyriónis, mártyris in Ægýpto, qui, eódem témpore, cum convíciis et iniúriis sacrificáre contempsísset, præacúta sude per média víscera transverberátus, neci tráditus est.

3. Romæ via Labicána in cœmetério ad Duas Lauros, sanctórum trigínta mártyrum, qui omnes una die coronáti sunt.

4. In Raíthi regióne in Ægýpto, sanctórum quadragínta trium monachórum, qui pro christiána religióne a Blémmiis occísi sunt.

5*. Ultraiécti in Géldria Lotharíngiæ, sancti Hungéri, epíscopi.

6*. Londínii in Anglia, beáti Thomæ Holland, presbýteri e Societáte Iesu et mártyris, qui, clandestínum ministérium péragens, sub Cárolo rege Primo cápite damnátus est et láqueo iugulátus spíritum réddidit.

7. Chicágiæ in Illinoésia ex Civitátibus Fœderátis Américæ Septentrionális, sanctæ Francíscæ Xavériæ Cabrini, vírginis, quæ Institútum Missionariárum a Sacratíssimo Corde Iesu fundávit atque exímia caritáte omnem labórem migrántium curæ impértiit.

Die 23 decembris

Décimo Kaléndas ianuárii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
4	**5**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
23	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**27**	**28**	**29**	**1**	**2**	**3**

Sancti Ioánnis de Kęty, presbýteri, qui, sacerdótio auctus, múnere docéndi plures annos in Cracoviénsi Academía functus, Olkusiénsis deínde parœ́ciæ curam pastorálem suscépit, ubi rectam fidem virtútibus cúmulans, pietátis et caritátis in próximum exémplar cooperatóribus ac discípulis evásit et postrídie huius diéi Cracóviæ in Polónia ad cæléstia gáudia migrávit.

2. Gortýnæ in ínsula Creta, sanctórum decem mártyrum Theodúli, Saturníni, Eupóri, Gelásii, Euniciáni, Zótici, Póntii, Agathópi, Basílidis et Evarísti, qui, in Décii imperatóris persecutióne, cum in templi Fortúnæ dedicatióne sacrificáre iussi públice repugnavíssent, torménta passi sunt et cápite cæsi.

3. Romæ, commemorátio sancti Sérvuli, qui, inde a prima ætáte paralýticus iacens in pórticu prope ecclésiam Sancti Cleméntis, in dolóre semper Deo grátias ágere stúduit, ut sanctus Gregórius Magnus scribit, et quidquid e stipe collígerat paupéribus erogábat.

4*. Carnúti in Gállia, sancti Ivónis, epíscopi, qui canonicórum órdinem restaurávit et multa pro sacerdótii et impérii concórdia atque Ecclésiæ utilitáte egit et scripsit.

5*. Brixínæ in agro Tridéntino, beáti Hartmánni, epíscopi, qui ántea canónicus reguláris Ecclésiam illam prudénter et fidéliter gubernávit.

6*. In Islándia, sancti Thorláci, epíscopi Skalholténsis, qui in mores cleri et pópuli reformándos óperam impéndit.

7. Cantuáriæ in Anglia, commemorátio sancti Ioánnis Stone, presbýteri ex Ordine Fratrum Sancti Augustíni et mártyris, qui fídei cathólicæ strénuus propugnátor sub Henríco rege Octávo in patíbulo martýrium consummávit.

8*. Valéntiæ in Hispánia, beáti Nicolái, cognoménto Factóris, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum, qui, ardentíssima caritáte Dei incénsus, exstásibus raptus est.

9. Marianópoli in Cánada, sanctæ Maríæ Margarítæ d'Youville, religiósæ, quæ, materfamílias vídua efféctra, duos fílios pie educávit in viam sacerdótii et totas cóntulit vires ad infírmis, sénibus ac omnis géneris míseris assidéndum, pro quibus Congregatiónem Sorórum a Caritáte fundávit.

10*. Paulópoli in Brasília, beáti Antónii a Sancta Anna Galvão de França, presbýteri ex Ordine Fratrum Minórum, qui prædicatióni ac pæniténtiæ ministério fructuóse se dedit et Recéssum Lucis

cóndidit, ubi communitátem Sorórum summa spirituáli rexit moderatióne.

11. In pago *Tjyen-Tiyon* in Coréa, sancti Ioséphi Cho Yun-ho, mártyris, qui, iúvenis vestígia sancti Petri Cho Hwa-sŏ, patris sui, sequens, pro christiáno nómine fústibus occísus est.

12*. In pago Valentíno Hispániæ, beáti Pauli Meléndez Gonzalo, mártyris, qui, paterfamílias, persecutióne erga fidem sæviénte, Christi vestígiis adhǽrens, per eius grátiam ad regna pervénit ætérna.

Die 24 decembris

Nono Kaléndas ianuárii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
24	25	26	27	28	29	28	29	1	2	3	4

1. Commemorátio ómnium sanctórum avórum Iesu Christi, fílii David, fílii Abraham, fílii Adam, patrum scílicet, qui Deo placuérunt et iusti invénti sunt et iuxta fidem defúncti, nullis accéptis promissiónibus, sed longe eas aspiciéntes et salutántes, ex quibus natus est Christus secúndum carnem, qui est super ómnia Deus benedíctus in sǽcula.

2. Burdígalæ in Aquitánia, sancti Delphíni, epíscopi, qui cum sancto Paulíno Noláno íntima familiaritáte coniúnctus est et arcéndis Priscilliáni erróribus strénuam dedit óperam.

3. Romæ, commemorátio sanctæ Tarsíllæ, vírginis, cuius sanctus Gregórius Magnus, eius nepos, contínuam oratiónem, gravitátem vitæ et singulárem abstinéntiam laudat.

4. Apud Tréviros in Austrásia, sanctæ Irmínæ, abbatíssæ cœnóbii Horreénsis, quæ, matróna Deo sacráta, monasteríolum ab ipsa in villa sua Epternáci fundátum sancto Willibrórdo donávit et de suis largíta est.

5. Cracóviæ in Polónia, natális sancti Ioánnis de Kęty, cuius memória prídie huius diéi ágitur.

6*. Bonóniæ in Æmília, beáti Bartholoméi Maríæ Dal Monte, presbýteri, qui multis in regiónibus Itáliæ pópulo christiáno et clero verbum Dei prædicávit Piámque Operam Missiónum ad eúndem finem instítuit.

7. Comónte apud Bérgomum in Langobárdia, sanctæ Paulæ Elísabeth (Constántiæ) Cerioli, quæ, ómnibus praematúre mórtuis fíliis, vídua effécta, opes virésque ad rústicos púeros orphanósque sine spe futúri edocéndos impéndit et, Institútum Sorórum ac Congregatiónem Patrum Fratrúmque a Sacra Família fundans, gáudia matris in Dómino perdúxit.

8. Annáiæ in Líbano, natális sancti Sarbélii (Ioséphi) Makhlūf, cuius memória die vigésima quarta mensis iúlii celebrátur.

Die 25 decembris

Octávo Kaléndas ianuárii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
6	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
25	**26**	**27**	**28**	**29**	**30**	**29**	**1**	**2**	**3**	**4**	**5**

Innúmeris transáctis sǽculis a creatióne mundi, quando in princípio Deus creávit cælum et terram et hóminem formávit ad imáginem suam; permúltis étiam sǽculis, ex quo post dilúvium Altíssimus in núbibus arcum posúerat, signum fœ́deris et pacis; a migratióne Abrahæ, patris nostri in fide, de Ur Chaldæórum sǽculo vigésimo primo; ab egréssu pópuli Israel de Ægýpto, Móyse duce, sǽculo décimo tértio; ab unctióne David in regem, anno círciter millésimo; hebdómada sexagésima quinta, iuxta Daniélis prophetíam; Olympíade centésima nonagésima quarta; ab Urbe cóndita anno septingentésimo quinquagésimo secúndo; anno impérii Cǽsaris Octaviáni Augústi quadragésimo secúndo; toto

Orbe in pace compósito, Iesus Christus, ætérnus Deus æterníque Patris Fílius, mundum volens advéntu suo piíssimo consecráre, de Spíritu Sancto concéptus, novémque post conceptiónem decúrsis ménsibus, in Béthlehem Iudæ náscitur ex María Vírgine factus homo: Natívitas Dómini nostri Iesu Christi secúndum carnem.

Textus cum cantu infra, pp. 71-74.

2. Romæ, commemorátio sanctæ Anastásiæ, mártyris Sírmii in Pannónia.

3. Item Romæ in cœmetério Aproniáni via Latína, sanctæ Eugéniæ, mártyris.

4. Item Romæ via Latína, sanctórum Iovíni et Basiléi, mártyrum.

5*. In cœnóbio Cluniacénsi in Burgúndia Gálliæ, beáti Petri Venerábilis, abbátis, qui Ordinem monásticum prístinæ observántiæ præcéptis rexit et multos compósuit tractátus.

6*. Septémpedæ in Picéno Itáliæ, beáti Bentivólii de Bonis, presbýteri ex Ordine Minimórum, concionatóris exímii.

7*. In civitáte *Unzen* in Iapónia, beáti Michaélis Nakashima, religiósi e Societáte Iesu et mártyris, qui, catechísta, propter fidem Christi in aquam fervéntem demérsus corónam martýrii consecútus est.

8*. Romæ, beátæ Maríæ ab Apóstolis (Maríæ Terésiæ) von Wüllenweber, vírginis, germánæ génere, quæ, missionário ardóre incénsa, Tíburi in Látio Institútum Sorórum a Divíno Salvatóre fundávit.

9. Cracóviæ in Polónia, sancti Albérti (Adámi) Chmielowski, religiósi, qui, pictor arte clarus, paupéribus se vovit, studens illis esse in ómnibus bonus, atque Congregatiónes Fratrum et Sorórum Tértii Ordinis Sancti Francísci paupéribus serviéntium fundávit.

Die 26 decembris

Séptimo Kaléndas ianuárii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
26	27	28	29	30	1	1	2	3	4	5	6

Festum sancti Stéphani, protomártyris, viri pleni fide et Spíritu Sancto, qui, primus e septem diáconis, quos Apóstoli elegérunt ut ministérii cooperatóres, primus étiam e discípulis Dómini sánguinem suum Hierosólymæ effúdit, testimónium præbens pro Christo Iesu, quem se vidére asséruit stantem in glória a dextris Patris, et lapídibus óbrutus est pro persecutóribus súpplicans.

2. Romæ in cœmetério Callísti via Appia, sancti Dionýsii, papæ, qui, post Valeriáni imperatóris persecutiónem, fratres vel mæréntes lítteris et præséntia consolátus est, vel captívos a cruciátibus prétio redémit, vel ignáros documénta fídei dócuit, omni virtúte énitens.

3. Commemorátio sancti Zenónis, epíscopi Maiúmæ in Palæstína, qui consobrínis sanctis Eusébio, Nestábio et Zenóni, martýribus, basílicam ædificávit et usque ad éxitum vitæ textórium opus exércuit, ut victum quǽreret ac paupéribus subveníret.

4. Romæ via Tiburtína apud beátum Lauréntium, deposítio sancti Zósimi, papæ.

5. Sardis in Lýdia, sancti Euthýmii, epíscopi et mártyris, qui, ob cultum sacrárum Imáginum a Michaéle imperatóre iconoclásta exsílio afféctus, demum, Theóphilo imperánte, búbulis nervis inhumániter cæsus, martýrium consummávit.

6. Matríti in Hispánia, sanctæ Vincéntiæ Maríæ López Vicuña, vírginis, quæ Institútum fundávit et diffúdit Filiárum Maríæ Imma-

culátæ, ut puéllis a famíliis segregátis et doméstico famulátui præpósitis ánimæ corporísque præberéntur subsídia.

7*. In vico *Song-Khon* in Thailándia, beatárum mártyrum Agnétis Phila et Lúciæ Khambang, vírginum e Soróribus Amántibus Crucem, necnon Agathæ Phutta, Cæcíliæ Butsi, Bibiánæ Hampai et Maríæ Phon, quæ christiánam fidem negáre recusántes in pagi cœmetério plumbis necátæ sunt.

8*. Apud locum *Dragali* in Nigromóntio, beáti Secúndi Pollo, presbýteri Vercellénsis, qui, cappelláni mílitum offícium éxsequens témpore totíus orbis belli secúndi, míliti moriénti ássidens ipse gravi vúlnere afféctus est et paulo post, sánguine amísso, spíritum Deo réddidit.

Die 27 decembris

Sexto Kaléndas ianuárii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
27	28	29	30	1	2	2	3	4	5	6	7

Festum sancti Ioánnis, Apóstoli et Evangelístæ, qui, fílius Zebedǽi, cum fratre Iacóbo et Petro testis fuit transfiguratiónis, necnon passiónis Dómini et ab ipso iuxta crucem Maríam accépit ut matrem. In Evangélio et áliis scriptis theólogum se præbet, qui, glóriam Verbi incarnáti contemplári dignátus, quod vidit annuntiávit.

2*. Commemorátio sanctæ Fabíolæ, víduæ románæ, quæ, teste sancto Hierónymo, pǽniténtiam suam ad benefícium páuperum vertit et perfécit.

3. Apaméæ in Bithýnia, pássio sancti Theodóri, mónachi lauræ Sancti Sabæ in Palæstína, presbýteri et mártyris, qui, Constantinópoli

cum fratre sancto Theóphane pro defensióne sacrárum Imáginum vérbera, cárceres, exsílium, necnon stígmata in fronte súbiit, quapróp-ter Graptus vocátus est, et in cárcere exspirávit.

4*. Bléndii in Cantábria ad litus Hispániæ, beáti Alaphrídi Parte, presbýteri ex Ordine Clericórum Regulárium Scholárum Piárum et mártyris, qui témpore persecutiónis, quod sacérdos esset, ad glorió-sum martýrium ductus est.

5*. Item, in actuária in freto maris ante Bléndium in Hispánia, beáti Ioséphi Maríæ Corbín Ferrer, mártyris, qui pro Christo egrégium perégit certámen.

Die 28 decembris

Quinto Kaléndas ianuárii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
9	**10**	**11**	**12**	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
28	**29**	**30**	**1**	**2**	**3**	**3**	**4**	**5**	**6**	**7**	**8**

Festum sanctórum Innocéntium mártyrum. Púeri, qui Béth-lehem Iudæ ab Heróde ímpio rege interfécti sunt, ut cum iis Iesus infans períret, quem Magi adoráverant, et mártyres honoráti inde a primis Ecclésiæ sǽculis, primítiæ ómnium, qui sánguinem suum effusúri erant pro Deo et Agno.

2. Alexandríæ in Ægýpto, sancti Theónæ, epíscopi, qui magíster et decéssor fuit sancti Petri mártyris.

3. Commemorátio sancti Antónii, mónachi, qui vitam solitáriam egit et senex in monastérium Lirinénse in Província se recépit, ubi amábilis et doctus pie quiévit.

4*. Matilícæ in Picéno Itáliæ, beátæ Matthíæ de Nazaréis, abbatíssæ ex Ordine Clarissárum.

5. Lugdúni in Gállia, natális sancti Francísci de Sales, epíscopi Genevénsis, cuius memória ágitur die depositiónis Annécii, vigésimo quarto ianuárii.

6. Romæ, sancti Gásparis del Bufalo, presbýteri, qui pro Ecclésiæ libertáte strénue decertávit et in cárcerem quoque detrúsus peccatóres ad rectam viam addúcere non cessávit, præsértim devotióne in pretiosíssimum sánguinem Christi, in cuius honórem Congregatiónes Missionariórum atque Sorórum instítuit.

7*. Neápoli in Itália, beátæ Catharínæ Volpicelli, vírginis, quæ, assisténtiæ páuperum et ægrotórum iúgiter dédita, Institútum Ancillárum Sacri Cordis fundávit, curans ut christiána cáritas actuositáte societátis témporis necessitátibus accommodáta semper exprimátur.

8*. Kióviæ in Ucraína, beáti Gregórii Khomyšyn, epíscopi Stanislaopolitáni et mártyris, qui, témpore persecutiónis erga fidem, in cælésti Agni dápibus discúmbere méruit.

Die 29 decembris

Quarto Kaléndas ianuárii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
29	30	1	2	3	4	4	5	6	7	8	9

Sancti Thomæ Becket, epíscopi et mártyris, qui ob iustítiæ et Ecclésiæ defensiónem a sede Cantuariénsi et ab ipso regno Angliæ exsuláre coáctus est et post sex annos in pátriam revérsus multa adhuc sustínuit, donec ab Henríci regis Secúndi satellítibus in ecclésia cathedráli gládio percússus ad Christum migrávit.

2. Commemorátio sancti David, regis et prophétæ, qui, fílius Iesse Bethlehemítæ, grátiam invénit ante Deum et óleo sancto a Samuéle prophéta unctus est, ut pópulum Israel régeret; in civitátem Ierúsalem Arcam fœderis Dómini tránstulit ac Dóminus ipse mox ei iurávit

semen eius in ætérnum mansúrum esse, eo quod ex ipso Iesus Christus secúndum carnem nascitúrus esset.

3. Areláte in Província Gálliæ, sancti Tróphimi, qui primus epíscopus habétur huius civitátis.

4. Carthágine, sancti Libósi, Vagénsis epíscopi et mártyris, qui in Concílio Carthaginénsi de baptísmo hæreticórum asséruit: « In Evangélio Christus dixit: Ego sum véritas, et non: Ego sum consuetúdo ».

5. Medioláni in Ligúria, sancti Martiniáni, epíscopi.

6. Constantinópoli, sancti Marcélli, abbátis monastérii Acemetárum ad Bósphorum, in quo die noctúque sine ulla unquam intermissióne psalmórum decantátio persequebátur.

7. Oximi in Néustria, sancti Ebrúlfi, abbátis monastérii Uticénsis, témpore Childebérti regis.

8*. Panórmi in Sicília, beáti Gerárdi Cagnoli, religiósi ex Ordine Minórum, qui prius et diútius in eremítica vita commorátus est.

9*. Londínii in Anglia, beáti Guliélmi Howard, mártyris, qui, vicecómes Statefurténsis, fidem cathólicam proféssus est, quaprópter coniuratiónis in Cárolum regem Secúndum falso insimulátus, secúri pro Christo percússus occúbuit.

10. Seuli in Coréa, sanctórum Benedíctæ Hyŏn Kyŏng-nyŏn, víduæ et catechístæ, et sex sociórum,[4] mártyrum, qui pro christiáno nómine plúribus supplíciis affécti sunt et decollatióne interémpti.

11*. In civitáte *Paterna* in pago Valentíno Hispániæ, beáti Ioséphi Aparicio Sanz, presbýteri et mártyris, qui, persecutióne erga fidem furénte, sánguinem pro Christo effúdit.

[4] Quorum nomina: sancti Petrus Ch'oe Ch'ang-hŭb, catechista; Barbara Cho Chŭng-i, vidua sancti Sebastiani Nam I-gwan; Magdalena Han Yŏng-i, vidua; Elisabeth Chŏng Chŏng-hye, virgo, filia sanctæ Cæciliæ Yu So-sa et soror sancti Pauli Chŏng Hasang; Barbara Ko Sun-i, uxor sancti Augustini Pak Chong-wŏn; Magdalena Yi Yŏng-dŏg, virgo, soror sanctæ Catharinæ Yi.

12*. In vico *Picadero de Paterna* item in pago Valentíno, beatórum mártyrum Henríci Ioánnis Requena, presbýteri, et Ioséphi Perpiñá Nácher, qui pro Christo egrégium complevérunt certámen.

13*. In vico Sancto Michaéle Regum in eódem pago, beáti Ioánnis Baptístæ Ferreres Boluda, presbýteri e Societáte Iesu et mártyris, qui in eádem persecutióne, passiónem Christi ǽmulans, illústrem cónsequi palmam méritus est.

Die 30 decembris

Tértio Kaléndas ianuárii. Luna:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	t	u
11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29

A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P
30	1	2	3	4	5	5	6	7	8	9	10

1. Romæ in cœmetério Callísti via Appia, depositío sancti Felícis papæ Primi, qui sub Aureliáno imperatóre Románam Ecclésiam rexit.

2. Bonóniæ in Mœsia, sancti Hermétis, exorcístæ et mártyris.

3. Commemorátio sancti Anýsii, epíscopi Thessalonicénsis, qui tempóribus Theodósii imperatóris cláruit, a Románis Pontifícibus vicárius apostólicus in Illýrico constitútus et a sancto Ambrósio láudibus cumulátus.

4. Turónis in Gállia Lugdunénsi, sancti Perpétui, epíscopi, qui Sancti Martíni basílicam et multas álias in honórem sanctórum ædificávit atque usum ieiuniórum vigiliarúmque in Ecclésia sua ordinávit.

5*. Augústæ Prætóriæ in Alpibus Graiis, sancti Iucúndi, epíscopi.

6. Fláviæ in território Bellovacénsi Néustriæ, sancti Geremári, abbátis monastérii huius loci, quod cóndidit.

7*. Eveshámii in Anglia, sancti Egwíni, epíscopi, qui monastérium loci cóndidit.

8. In Vestínis Itáliæ, sancti Rainérii, epíscopi Furconénsis, cuius Alexánder papa Secúndus virtútem in administrándis bonis laudávit.

9*. Cannis in Apúlia, sancti Rogérii, epíscopi.

10*. Apud óppidum Fraxanónem in Sicília, sancti Lauréntii, mónachi sub orientálium præcéptis, vitæ asperitáte et indeféssa prædicatióne insígnis.

11*. Apud Prænéste in Látio, beátæ Margarítæ Colonna, vírginis, quæ divítiis ac sǽculi oblectaméntis paupertátem pro Christo prǽtulit, cui Régulam sanctæ Claræ prófitens servívit.

12*. Génuæ in Ligúria Itáliæ, beátæ Eugéniæ Ravasco, vírginis, quæ Institútum Sorórum Filiárum a Sacratíssimis Córdibus Iesu et Maríæ fundávit, cui puellárum institutiónis, necnon ægrotórum atque parvulórum puerórum necessitátum commísit curam.

13*. In pago *Pancalieri* prope Augústam Taurinórum in Itália, beáti Ioánnis Maríæ Boccardo, presbýteri, qui inter multos impénsos labóres pro senum et ægrotórum cura ac puerórum christiána institutióne Congregatiónem cóndidit Sorórum Páuperum Filiárum Sancti Caietáni.

Die 31 decembris

Prídie Kaléndas ianuárii. Luna:

a	**b**	**c**	**d**	**e**	**f**	**g**	**h**	**i**	**k**	**l**	**m**	**n**	**p**	**q**	**r**	**s**	**t**	**u**
12	**13**	**14**	**15**	**16**	**17**	**18**	**19**	**20**	**21**	**22**	**23**	**24**	**25**	**26**	**27**	**28**	**29**	**30**

A	**B**	**C**	**D**	**E**	**F**	**F**	**G**	**H**	**M**	**N**	**P**
1	**2**	**3**	**4**	**5**	**6**	**6**	**7**	**8**	**9**	**10**	**11**

Sancti Silvéstri papæ Primi, qui multos annos pie rexit Ecclésiam, témpore quo Constantínus Augústus venerándas

exstrúxit basílicas et Christum Fílium Dei Nicǽna Sýnodus acclamávit. Hac die Romæ in cœmetério Priscíllæ eius corpus depósitum est.

2. Item Romæ in cœmetério Iordanórum via Salária Nova, sanctárum Donátæ, Paulínæ, Rogátæ, Dominándæ, Serótinæ, Saturnínæ et Hiláriæ, mártyrum.

3. Apud Sénones in Gállia Lugdunénsi, sanctæ Colúmbæ, vírginis et mártyris.

4. Constantinópoli, sancti Zótici, presbýteri, qui alendórum orphanórum curam suscépit.

5. Hierosólymæ, sanctæ Meléniæ iunióris, quæ cum cóniuge suo sancto Piniáno ex urbe Roma discéssit et ad Civitátem Sanctam profécta est; ibíque ipsa inter féminas Deo sacras et vir inter mónachos religiósam vitam exercuérunt et ambo sancto fine quievérunt.

6. Ravénnæ in Flamínia, sancti Barbatiáni, presbýteri.

7*. Lausónii apud Helvétios, sancti Márii, epíscopi, qui sedem Avanticénsem illuc tránstulit, plures ecclésias ædificávit et páuperum defénsor éxstitit.

8. In pago *La Louvesc* in iugis prope Anícium in Gállia, sancti Ioánnis Francísci Régis, presbýteri e Societáte Iesu, qui prædicatióne ac celebratióne sacraménti pæniténtiæ per montes et pagos loci peregrínans de fide cathólica renovánda in ánimis incolárum indesinénter provídit.

9*. In arce *Mercuès* apud Cadúrcum in Gállia meridionáli, tránsitus beáti Aláni de Solminihac, epíscopi Cadurcénsis, qui pastorálibus visitatiónibus morum pópuli emendatióni consúlere conténdit atque apostólica sedulitáte Ecclésiam ipsi commíssam omnímodo renováre nisus est.

10. Parísiis in Gállia, sanctæ Catharínæ Labouré, vírginis e Puéllis a Caritáte, quæ Deíparam Immaculátam singuláriter cóluit et simplicitáte, caritáte et patiéntia enítuit.

INDEX

NOMINUM SANCTORUM ET BEATORUM

Signo ◆ beati indicantur.

A

B

C

D

E

F

G

H

I

J

K

L

M

N

O

P

Q

R

S

T

U

V

W

X

Y

Z

INDEX GENERALIS

TYPIS VATICANIS